SPIRITUS SANCTI CHRYSOSTOMI,

SIVE:

DOCTRINA MORALIS

EX AUREIS OPERIBUS
S. P. JOANNIS CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI
COLLECTA,
AC IN SINGULOS ANNI DIES AD MEDITANDUM
PROPOSITA

A

P. ROMANO KÖGL,
BENEDICTINO ETTALENSI.

CUM CONSENSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER p. m. FILIORUM.

MDCCLXXVI.

Divinas paginas, sacrosancta Concilii Tridentini, & Prædecessorum nostrorum Decreta, familiares sanctorum Patrum, & præsertim Chrysostomi Conciones &c. diurna, nocturnaque manu versare vobis summopere commendamus, ut decet dispensatores Mysteriorum Dei. Clemens XIII. Pont. Max. in pastor. Litteris ad Clerum. 1763.

APPROBATIO.

Legi Spiritum S. Chryſoſtomi, *ex Aureis S. P. Joannis Chryſoſtomi, Archiepiſcopi Conſtantinopolitani Operibus collectum*, & in eo bonis Moribus, & Orthodoxæ fidei non ſolum nihil contrarium, ſed ubique S. Chryſoſtomum tanquam *Doctorem orbis terrarum*, ut eundem Theodoretus l. 5. Hiſt. Eccleſ. vocat, qui incredibili eloquentia, & zelo ad ſectandam patientiæ, aliarumque virtutum ſemitam ſtimulat, inveni; ac ideo hoc opuſculum dignum omnino, quatenus typis evulgetur, cenſeo. Auguſtæ Vindelicorum 28. Decemb. Anno 1775.

JOSEPHUS ANTONIUS STEINER,

SS. Theol. Doctor, Eminent. ac Sereniſſ. Archiepiſc. Trev. & Epiſc. Auguſt. Conſil. Eccleſ. Major Pœnitentiarius, Viſitator Gen. Conſiſt. Aſſeſſor, & librorum Cenſor.

Imprimatur.

JOANNES HERZ,

SS. Theol. Licent. Eminent. ac Sereniſſ. Archiepiſc. Trev. & Epiſc. Auguſt. Conſil. Eccleſ. Conſiſt. Fiſcalis Aſſeſſor, & Provicarius generalis in Spiritualibus, nec non Canon. ad S. Gertrudem.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Accipe amice, ac candide Lector! Spiritum S. Chrysostomi, complectentem pro singulis anni diebus doctrinam moralem, ex aureis operibus S. Chrysostomi depromptam. Non est, cur tibi eum pluribus commendem; nota est sanctissimi Viri, & maximi Ecclesiæ Patris eximia pro formandis fidelium moribus Doctrina: nota Ejus præclara in dicendo eloquentia, qua sibi in toto orbe christiano aurei Oratoris cognomentum jure meritissimo conciliavit. Illud solum vel maxime dolendum, quod præstantissima ejus opera tam paucorum mani-

manibus terantur; id quod inde evenire autumo, quod nimis ampla, & haud levi pretio cuilibet comparanda ſint. Quam ob rem ne plurimi Ejusdem præclaræ vitæ chriſtianæ regulis, atque, ut Innocentius I. Pont. Max. in epiſtola ad Arcadium Imperatorem apud Nicephor. lib. 13. loquitur, *Sapientiſſima, ſpirituali, & divina doctrina, & inſtitutione Ejus* penitus carere debeant, tempore infirmitatis, quæ me ad alia ferme omnia incapacem reddidit, præcipuas ſacratioris Philoſophiæ, ſive Ethices ſententias ex vaſtiſſimis hujus Eccleſiæ Doctoris lucubrationibus collegi, & præſenti Opuſculo inſerere ſtatui. Lege itaque iſtas, & non tantum ad tui ſolius, ſed ad aliorum quoque ſpiritualem profectum applica; nam ſive Confeſſarii, ſive Concionatoris munere fungaris, ſaluberrima ad virtutem incitamenta in iisdem reperies, quæ auditoribus, & pœnitentibus, immo etiam ægrotantibus, atque moribundis inſtillare, eosque ad chriſtianæ vitæ perfectionem, ac denique ad felicem

æternitatem adjuvante Deo perducere valebis. Hunc in finem additus eſt indiculus, exhibens omnes Doctrinas in hoc opere contentas, ut, quamcunque tibi, aliisque proponere meditaris, eam absque laborioſa inquiſitione invenire poſſis. In ipſis vero Documentis non nunquam aliqua fuere mutata, aliqua penitus prætermiſſa, tum ut lectio facilior, tum etiam ut brevior evaderet; citato tamen ſemper tomo, & loco, ex quo fuere excerpta, ut ſi opera ipſa tibi ad manus ſint, ea pro lubitu ex integro legere poſſis. Cæterum cum ſanctiſſimus Pater verſione ſeptuaginta Interpretum uſus ſit, ac textus ſacræ Scripturæ non raro, prout memoriæ occurrebant, in concionando pronunciarit, iſtos eo modo, quo in recepta ab Eccleſia Vulgata latina leguntur, pro majori divini Verbi Præconum commoditate apponere placuit. Vale, & huic qualicunque labori fave.

P. S.

T.

U. & V.

U. J. O. G. D.

P. S. Si Superis, ac Superioribus placet, ſequentur brevi alii octo tomuli, continentes pariter cum morales, tum dogmaticas doctrinas, ex operibus S. P. Chryſoſtomi collectas, quas jam pridem magnorum Virorum ſuaſu prælo deſtinaram. Interim hisce contentus iterum iterumque vale.

MONITUM BIBLIOPOLARUM,

CIRCA EDITIONEM PRIMAM HUJUS OPERIS.

Quantum rudioribus olim sæculis obfuit exile illud, aut omnino nullum in perscrutandis Sanctorum Patrum operibus studium: tantum prodest labenti cultissimo Sæculo nostro insignis plane diligentia Virorum Litteratorum, partim in evolvendis Sanctorum Patrum scriptis, partim in adornandis novis, iisque limatissimis eorumdem Editionibus. Neque illi solum singulari encomio condecorandi sunt, qui aut integra hujus Generis volumina perlustrant, aut nova Editione illustrant; sed & ii etiam eximie commendari merentur, qui ex vastis hujusmodi monumentis sententias utiliores colligunt, & Luce publica donant: plures enim hodiedum reperire est, qui potius parvas sententiarum collectiones suis usibus destinant, quam qui ipsamet

met Sanctorum Patrum Opera Lectioni quotidianæ conſecrant. Hanc ſane ob cauſam Editionem primam hujus libri maturandam eſſe conſultum duximus; ex una enim parte Eruditorum nemo ignorat, quantum & Divinæ Sapientiæ, & Utilitatis ſpiritualis luce coruſcent Scripta S. Patris Chryſoſtomi: ex altera parte vero ipſa moles commoda libelli, & moderata plane taxa pretii nullum non poteſt adducere, ut eundem ſibi comparet, ac ſedulo uſu fructum omnino uberrimum reportet. Cum autem nec omnes latini Idiomatis notitiam habeant, & multi ſint, qui ejusmodi Opuſculum in Lingua Vernacula evolvere cupiant; Idcirco ne, aut juſtis deſideriis Virorum prudentum, aut inſignibus commodis Animarum, deeſſe videamur: etiam Germanico Idiomate hunc ipſum librum brevi tempore evulgabimus.

CONSPECTUS
MATERIARUM IN HOC LIBRO CONTENTARUM.

SPIRI-



Vera Effigies S. Ioannis Chryſoſtomi cui ſcribenti, et prædicanti S. Ap. Paulus plura dictavit.

SPIRITUS
SANCTI CHRYSOSTOMI.

JANUARIUS.
DE PATIENTIA IN ADVERSIS.

I.
Juſti, & injuſti calamitates pati debent.

Si videris juſtum affligi, aut omnia perpetientem, ne conſterneris animo. Nam & illi res acerbæ ſplendidiores reddunt coronas : & omnino quævis pœna, ſiquidem peccatoribus infligatur, detrahit aliquid vitiorum ponderi : ſin juſtis infligatur, ſplendidiorem reddit illis animum. Sic ut utriſque maximus ex afflictione fructus eveniat, tantum ſi grate toleremus : hoc enim eſt, quod quæritur. Propter hoc, cum ſint ejuſmodi exempla innumerabilia, ſacrarum ſcripturarum hiſtoria his repleta eſt, juſtos, ac injuſtos malis afflictos nobis exhibens,

ut, sive justus sis, sive peccator, quoniam habes exempla, feras fortiter. Non solum autem ostendit tibi improbos malis afflictos, verum etiam feliciter agentes, ne illorum felicitate conturberis, nimirum doctus ex iis, quæ diviti (*) acciderunt, cujusmodi illos post hanc vitam maneat incendium, nisi vitam eam reliquerint. Non possumus & hic, & illic requie frui: non possumus, inquam. Tom. 1. Conc. 3. de Lazaro p. 749.

II.

Qui Deo placere cupit, non debet sectari vitam mollem, sed laboriosam.

Prorsus ita necesse est eum, qui placere velit Deo, qui probatus, ac purus esse velit, haudquaquam sectari vitam mollem, remissam, ac dissolutam, sed laboriosam, multisque sudoribus plenam. Audi ipsum dicentem: *Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certaverit.* (a) Et alibi: *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet* (b) in omnibus continens est, & in verbis, & in aspectu, & in voce, & a convitiis temperans, & a blasphemia, & a turpiloquio. Hinc ediscimus, etsi tentatio non foris infestet, seipsos exercere oportere quotidianis jejuniis, asperaque vita, vili cibo, tenui mensa, ubique vitantes sumptus magnificos: aliter non potest quis placere Deo. Tom. 1. ibid.

III.

(*) Epuloni.

(a) 2. Timoth. 2, 5. (b) 1. Cor. 9, 25.

III.

Præmiorum est tempus futurum, laborum præsens.

Cogitandum est, præmiorum, & coronarum tempus esse futurum sæculum, colluctationum vero ac laborum præsens. Quod nobis apertius insinuare volens beatus Paulus dicebat: *Si curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* (c) At vero cum ad finem certaminis venisset, demum beatam illam emisit vocem: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ:* (d) ostendens vitam omnem in certaminibus, & laboribus nobis esse agendam, si cupimus æterna requie, bonisque illis innumeris perfrui. Tom. 1. ad Stagirium dæmone vexatum.

IV.

Nemo potest & vitæ hujus voluptatibus, & gaudiis cœlestibus frui.

Si aliquis ita negligens sit, ut putet se, & hujus vitæ voluptatibus, & præmiis, ac gaudiis, quæ in cœlis parata sunt iis, qui labores sustinuerint, frui posse; hic seipsum prorsus fallit, ac decipit. Nam sicut ex Athletis ille, qui tempore certaminum requiem quærit, confusionem sibi perpetuam atque ignominiam parat: qui vero in stadio labores omnes fortiter tolerat, coronam,

 & glo-

(c) 1. Cor. 9, 27. (d) 2. Tim. 4, 7. & 8.

& gloriam, & laudes, & in ipſo certamine, & poſt ſolutum theatrum a ſpectatoribus conſequitur: ita in nobis quoque fit. Nam is, qui laborum tempus quieti dedicat, tunc ingemiſcet & ſtridebit dentibus, quando in æterna requie debuiſſet finem laborum nanciſci, atque extrema ſupplicia luere cogetur. Qui vero preſſuras omnes prompte, ac libenter tulit, & hic, & in futuro ſæculo clariſſimus erit, veraque & immortali gloria beatus . . .. Dixit enim Chriſtus: *In mundo preſſuram habebitis.* (e) Beatus vero Paulus: *Et omnes*, ait, *qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.* (f) Job quoque, *militia*, inquit, *eſt vita hominis ſuper terram.* (g)

V.

Tentatio fit permittente Deo.

Nullus profecto, niſi Deus tibi hanc inferri tentationem permiſit. Nam ſi nec porcos quidem invadere nequiſſimi dæmones auſi fuerint, niſi prius illa permitteret: multo minus pretioſam animam. Sicut igitur viro illi (*), quod fortiter omnia, & cum gratiarum actione ferret, id multam contulit mercedem; ita pariet & tibi, ſi modo non graviter, atque indignanter feras, ſed in omnibus gratias agas clementiſſimo Deo. Nam & beatus Job ea, quæ paſſus eſt, Deo permittente perpeſſus eſt: coronis tamen non ideo tantum donatus eſt, quia paſſus eſt: verum etiam quia contra adverſa omnia fortis, atque inviolabilis perſtitit: admiramurque illum omnes,

(e) Joan. 16, 33. (f) 2. Tim. 3, 12.
(g) Job. 7, 1. (*) Job.

omnes, non quod privatus omnibus a diabolo fuerit, sed quia inter hæc omnia non peccaverit, ne quidem in labiis suis. Ibidem.

VI.

Datur altera vita, in qua justi præmiis afficiuntur, improbi vero puniuntur.

Cum videris justum angustiari, affligi, in imbecillitate, pauperie, & innumeris aliis ærumnis præsentem vitam claudere, dic intra te ipsum, nisi resurrectio esset, & judicium, nunquam Deus tanta propter se mala passum, nullo potitum bono, hinc migrare permisisset: unde patet, ipsum alteram eis vitam præsenti jucundiorem, & multo meliorem parare. Nisi enim hoc esset, nunquam sivisset improbos, & quidem multos per hanc vitam gaudere, justorum vero multos in plurimis ærumnis versari: sed quoniam præparatum est sæculum aliud, in quo secundum meritum, huic quidem improbitatis, illi vero virtutis præmia reddere debet: ideo sinit hunc quidem affligi, illum vero deliciis diffluere. Ibid.

VII.

Diabolus maxime insidiatur justis.

Ne admiremur, quod spiritualibus instantes multa patiamur adversa. Ut enim latrones, non ubi fœnum, & palea, & calamus, sed ubi aurum, & argentum, ibi fodiunt, & assidue vigilant: sic & diabolus iis maxime instat, qui spiritualia attingunt negotia. Ibi multæ insidiæ, ubi virtus: illic invidia, ubi eleemosyna. Sed

est nobis telum maximum, quod omnes tales machinas repellere valeat, ut per hæc omnia Deo gratias agamus. Abel, dic mihi, nonne de primitiis Deo sacrificans, fraterna cecidisti manu? (*h*) Sed tamen Deus permisit, non eum perosus, qui se honoravit, sed valde diligens: & præter speciosissimi illius sacrificii coronam, alteram etiam ipsi per martyrium præbens. (*i*) Moyses cuidam injuria affecto opitulari voluit, & mori periclitatus est, & patria excidit; (*k*) Deusque permisit, ut Sanctorum patientiam discas. Si enim præscii, nihil nos passuros mali, sic spiritualia attigissemus negotia, nihil magnum facere visi essemus, tale securitatis pignus habentes: nunc vero hinc maxime admirabiles sunt, qui talia faciunt, quod & pericula, & damna, & mortes, & infinita providentes mala, tamen hujusmodi officiis non absistant, neque timorum exspectationibus segniores facti sunt. Sicut igitur tres pueri dicebant: *Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, o rex, liberare. Quodsi noluerit, notum tibi sit, rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus:* & tu igitur quando quid boni secundum Deum operari debes, multa prospice pericula, multa damna, multas mortes; & ne mireris, neque perturberis, si hæc accidant. *Fili*, inquit, *accedens, ad servitutem, sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* (*l*) Nemo nempe pugnare decernens, absque vulneribus coronam reportare exspectat. Ibidem.

VIII.

(*h*) Gen. 4. (*i*) Abel Martyr.
(*k*) Exod. 2. (*l*) Eccli. 2, 1.

VIII.

Cur Deus hominem tentari permittat.

Quando Deus permittit tentationem inferri, eousque finit, quousque scit nos posse sustinere, ut & retributionem, quæ nostræ congruat fortitudini, tribuat, & suam misericordiam declaret: sicut & Paulus inquit: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* (m) Ibidem.

IX.

Afflictio est signum Providentiæ divinæ.

Ne existimemus esse signum, quod nos dereliquerit, & despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur: sed hoc maximum sit nobis indicium, quod Deus nostri curam gerat. Nam etsi habeamus peccatorum sarcinas, quæ nos premant, poterimus, magnam patientiam, & gratiarum actionem declarando, leviores eas facere: & si non multa habeamus peccata, iterum majori fruemur gratia, si grato animo tulerimus. Quia enim Deus noster liberalis est, & nostræ salutis curam gerit: ea de causa quasi luctam, & exercendi materiam nobis proponit, pro stadio, & arena tentationes inferens: ut si, quod nostrum est, præstemus, largiore dignetur nos sua providentia. Quod cum sciamus, ne tristes simus in tentationibus, neque afflictiones gravatim feramus: sed gaudeamus secundum beatum Paulum: *Superabundo*, inquit, *gaudio in omni tribulatione*

(m) 1. Cor. 10, 13.

latione nostra. (n) Vidisti animam gratam? Nam si in afflictionibus gaudebat, quomodo potuit unquam in tristitia esse? si quæ alios afficiunt tristitia, ipsi pariunt lætitiæ occasionem, cogita, oro, in quo statu illius erat anima. Tom. 4. hom. 33. in 13. caput Genesis.

X.

In regnum Dei venire non possumus nisi per afflictiones.

Ut discas, non posse aliter nos promissa bona assequi, & regno cœlorum dignos fieri, nisi per afflictionem vitam præsentem transeamus, audi Apostolos dicentes eis, qui nuper ad fidem conversi erant: *Cumque evangelizassent*, inquit, *civitati illi, & docuissent multos, reversi sunt Lystram, Iconium, & Antiochiam, confirmantes animas discipulorum, exhortantesque, ut permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* (o) Quales igitur posthac erit nobis excusatio, si noluerimus, generose, ac fortiter omnia ferre, quæ inferuntur? præsertim scientes, non posse nos aliter salutem assequi, nisi hac incesserimus via? quod enim nihil insolens, aut novum sit passus justorum ullus, qui per afflictiones transegit hanc vitam, audi Christum dicentem: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite.* (p) Nam ne audita tristitia, spe excidant, statim fiduciam eis affert, & suam pollicetur gratiam. *Sed confidi-te,*

(n) 2. Cor. 7, 4. (o) Act. 14, 20.
(p) Joan. 16, 33.

te, inquit, *ego vici mundum.* (q) Habes, inquit, eum, qui gratia alleviet, qui non permittit te submergi ab illatis tentationibus, qui cum tentatione & exitum præbebit, & non permittit supra nostras vires inferri gravia. (r) ibid.

XI.

In rebus desperatis fiducia ponenda in Deo.

Quid tristaris? quid mœres? quid impatiens es? quare tam abjecto animo es? Num si, quæ nostra sunt attulerimus, patientiam dico, & fortitudinem, & gratum animum, nos sinet despici? Num etsi desperatæ sunt res, vincere possunt sapientiam Domini nostri? Nos, quæ nostra sunt, exhibeamus, & sinceram habeamus fidem, scientes solertiam Tutoris animarum nostrarum. Et ipse prorsus melius novit, quam nos, quid conducat, qui ita res dispensabit, ut ipsi fuerit honorificum, & nobis utile: quo & patientiæ mercedem accipiamus a gratia, & miserationibus Domini nostri Jesu Christi . . . Amen. ibid.

XII.

Deus justos non semper in adversis manere sinit.

Discamus multam exhibere patientiam, & nunquam in laboribus virtutum vel desperare, vel torpescere: sed sciamus Dominum no-

(q) ibid. (r) 1. Cor. 10, 13.

ſtrum benignum eſſe, & munificum, ac pro parvis laboribus magna nobis reddere prœmia, non ſolum in futurum immortalia bona reponendo, ſed & in præſenti vita noſtræ naturæ infirmitatem multis largitionibus conſolando. Quandoquidem Patriarcha iſte (*) non mediocriter interjecto illo tempore adverſis rebus exercitus eſt, quamvis ſemper adverſa temperarentur proſperis. Tom. 4. hom. 40. in cap. Geneſ.

XIII.

In afflictionibus nos penitus Deo relinquamus; ſcit enim optimus ille noſtrarum animarum medicus, quid nobis expediat.

Medicus, quando infirmum curat, neque ſemper inopia cibi torquet, neque ſemper larga menſa frui ſinit, ne foracitas febrim pariens augeat morbum, cibi vero inopia infirmiorem eum efficiat: ſed conjectans apud ſe, quantæ ſint ægrotantis vires, & diligenter utens arte, omnia ſua in medium affert. Similiter & benignus Deus ſciens, quid cuivis expediat, aliquando concedit nobis proſperitate frui, aliquando autem exercitationis gratia tentationibus nos circumdat. Nam ſi virtute præditi ſunt, qui tentationes experiuntur, clariores evadunt, abundantiorem ſibi ſupernam gratiam conciliantes: ſi autem, ut nos, peccatores ſint, & cum gratiarum actione tentationes ferant,

(*) Sc. Abraham, cujus virtutem Deus variis calamitatibus viginti quatuor annos probaverat.

rant, gravem deponent peccatorum sarcinam, multaque venia & ipsi potientur. Ideo obsecro, cum sciamus potentiam, & sapientiam medici animarum nostrarum, nunquam curiose ejus dispensationes inquiramus: cum enim eas mens nostra comprehendere nequeat, hinc magis obstupescamus, & glorificemus Deum pro omnibus, quod talem habeamus Dominum, cujus dispensationes neque mens nostra, neque humanæ naturæ ratio capere potest. Neque enim tam bene scimus, quid nobis expediat, quam ipse scit; neque sic nostra nos curamus, ut ipse salutem nostram; & omnia facit, & molitur, ut ad virtutem nos inducat, & a diaboli manibus eripiat. Tom. 4. hom. 40. in cap. 17. Genes.

XIV.

Cur Deus nos non semper in prosperitate vivere permittat.

Bonus medicus, qui animadvertit obesiores fieri eos, quorum curam gerit, propter crapulam, ad sanitatem per sobrietatem reducit. Ita eximius nostrarum animarum medicus Deus permittit paulisper nos tentari, ut sentiamus, quantum damni ex prosperitate acceperimus; & quando videt restitutam sanitatem, tunc celeri nobis subsidio concedit, ut a tentationibus liberemur, & suæ providentiæ curam ubertim declarat. Itaque etsi aliqui virtute præditi in tentationes incidant, ne turbentur, sed hinc meliorem spem concipiant, quia tentationum incursus coronarum, & præmiorum eis sunt materia. Quodsi, in peccatis cum sint, in adversa inci-

incidant, ne propterea gravatim ferant, ſcientes omni tempore peccata adverſis purgari, modo cum gratiarum actione ſuſcipiamus ea, quæ eveniunt. Grati enim famuli eſt, non ſolum gratias agere Domino, quando ubertim pro ſententia omnia ſuccedunt; ſed & ſi in adverſis eamdem grati animi ſignificationem det. ib.

XV.

Deus afflictiones nobis immittit, vel ut in hac vita pro peccatis ſatisfaciamus, vel in altera majorem gloriam accipiamus.

Si quem videris rapientem, fraudantem, & eum minime puniri, excute tu quoque conſcientiam tuam, reputa tecum vitam tuam, & tua delicta percurre; tunc probe intelliges, tibi primo non expedire, ut in peccatis ſingulis puniaris. Idcirco enim ſevere multi loquuntur, quod non ſua prius, quam aliena conſiderent, & nos noſtris omiſſis omnes in res aliorum inquiramus. Verumtamen ne amplius id agamus, ſed plane contrarium. Ac ſiquidem juſtum aliquem puniri videas, Jobi recordare. Etſi enim juſtus ſit aliquis, nec tamen juſtior illo erit: ac licet innumera ſit mala paſſus, necdum tamen quidquam tale paſſus eſt, quale vir ille. Hoc igitur mente verſans, deſine Dominum accuſare, cum intelligas Deum, non, quod illum deſerat, talem ſinere malis affligi, ſed quod illum corona donare, atque illuſtriorem velit reddere. Si vero peccatorem videas caſtigari, recordare paralytici, qui triginta jam annos in lecto decubuerat. Nam illum propter peccata tum

tum traditum illi morbo fuisse, audi, quo pacto Christi verba testentur, *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* (s) Vel enim eorum, quæ comisimus, luimus pœnas, dum castigamur: vel occasionem accipimus coronarum, si dum recte vivimus, malis affligimur. Tom. 2. hom. 1. adversus eos, qui dicunt, dæmones gubernare res humanas.

XVI.

Calamitates justis, & injustis utiles sunt.

Sive in justitia, sive in peccatis vitam degamus, utile nobis est puniri, quod id aliquando illustriores nos reddat, aliquando modestiores efficiat, ac futurum supplicium nobis mitiget. Posse namque aliquem, qui fuerit in hac vita punitus, & cum gratiarum actione cuncta pertulerit, gravitatem supplicii in altera vita subeundi mitigare, disce ex his Pauli verbis: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Quodsi nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur: dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum mundo damnemur.* (t) ibid.

XVII.

Cur Deus nos assidue vexari permittat.

An non poterat Deus ante precationem bona nobis conferre? An non vitam dolore vacuam concedere, atque a quavis ærumna vacuam?

(s) Joan. 5, 4. (t) 1. Cor. 11, 30.

cuam? ſed utraque ille ſummo amore facit. Cur enim nos vexari permittit, nec illico auxilium admovet? qua de cauſa? Ut ipſum aſſidue adeamus, ejus poſtulantes opem, ad ipſumque confugiamus, & frequenter ipſum ad auxilium vocemus. Ideo corporis dolores, ideo penuriæ fructuum, ideo fames: ut ex his ærumnis ab illo ſemper pendeamus, atque ſic per temporales ærumnas vitam æternam in hæreditatem conſequamur. Itaque pro his etiam Deo gratias agere debemus, qui multis modis ſanitatem, & ſalutem confert animabus noſtris. Tom. 2. hom. 4. de Pœnit. & Orat. pag. 300.

XVIII.

Deus in adverſis non ſtatim juvat.

Dei conſuetudo eſt, ut rerum acerbitates non in principio exſtinguat: verum, cum evenerint, atque ad finem extremum pervenerint, jamque ſpes omnis a multis abjecta ſit, tum denique mira, atque ab hominum opinione aliena facinora edere ſolet; & vim ſuam oſtendens, & eorum, qui in calamitates incidunt, patientiam exercens. Quam ob rem ne animum dejicias. Etenim una duntaxat res gravis, & pertimeſcenda eſt, una tentatio, nempe peccatum, atque hoc verbum nunquam tibi occinere deſtiti: reliqua autem omnia ſunt mera fabula, ſive inſidias dixeris, ſive inimicitias, ſive fraudes, ſive calumnias, ſive maledicta, ſive accuſationes, ſive bonorum proſcriptiones, ſive exilia, ſive gladios præacutos, ſive mare, ſive totius terrarum orbis bellum. Nam quæcun-

que

que tandem hæc omnia ſint, certe temporaria, & caduca ſunt, atque in mortali corpore exiſtunt, nec vigilanti animo detrimentum afferunt, quo circa etiam beatus Paulus, & jucunditatum, & moleſtiarum hujus vitæ imbecillitatem demonſtrare ſtudens, unico vocabulo id prorſus indicavit, cum ita locutus eſt: *Quæ enim videntur, temporalia ſunt.* (u) Quid igitur ea, quæ temporaria ſunt, ac fluminum inſtar fluunt, extimeſcis? Tom. 3. Epiſt. 1. ad Olymp.

XIX.

Deus, etiam dum affligit, bonus eſt atque laudandus.

Hunc mihi ſermonem memoria tenete, nec unquam elabi ex ea ſinite, Deum nimirum, non modo cum afficit beneficiis, ſed etiam, cum punit, bonum eſſe, ac benignum. Nam & ipſius pœnæ ac ſupplicia beneficiorum ejus ſunt pars maxima, & providentiæ genus maximum. Cum ergo famem, peſtes, aëris ſiccitates, imbres continuos, aëris inæqualitates, vel aliud quidpiam videris, quo genus humanum puniatur, nec ægre feras, neque indigneris, ſed adora rerum illarum auctorem, atque illum curæ ac ſolicitudinis nomine commenda. Ille quippe eſt, qui hæc omnia peragit, & corpus caſtigat, ut anima emendetur. An vero Deus hæc peragit? dicet aliquis. Ille vero hæc peragit; quamvis civitas omnis adeſſet, quamvis univerſus orbis terrarum, hoc dicere me non pigebit. Atque uti-

(u) 2. Cor. 4, 18.

utinam tuba clarior mihi vox esset, atque in sublimi loco possem consistere, atque omnibus proclamare, ac testificari, Deum ista praestare. Neque prae nimia arrogantia haec a me dicuntur, sed assistentem habeo Prophetam, mecum clamantem, ac dicentem: quia *non est malitia* (*) *in civitate, quam non fecerit Dominus.* (x) Tom. I. adversus eos &c.

XX.

Calamitates etiam in hac vita ante resurrectionem nobis multa bona afferunt.

Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. (y) Externum hominem corpus; internum animam vocat. Quod autem dicit, hujusmodi est; antequam resurgamus, & antequam fruamur gloria futura, etiam parva hic laborum remuneratio datur, cum inter angustias ipsas anima nostra junior, sapientior, & magis pia evadit, majore pollet patientia, & fortior, atque constantior persistit. Nam sicut ii, qui in corporali certamine pugnant, ante coronam, & bravium, in exercitatione, & palaestra ipsa magnam accipiunt mercedem, eo quod corpora sua firmiora, & validiora exercitando faciunt, & infirmitatem omnem effugiunt; ita & nos virtutis certamen certantes, priusquam aperia-

(*) Id est, afflictio.

(x) Amos 3, 6. in Vulgata legitur: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.*

(y) 2. Cor. 4, 16.

aperiatur cœlum, priusquam filius Dei adsit, priusquam retributiones nobis dentur, magnam mercedem accipimus, eo quod anima sapientiæ fiat amantior. Etenim, qui mare navigarunt, & innumeras procellas tulerunt, multasque tempestates perpessi sunt, & cum multis bestiis certarunt: antequam merces referant, non parvum peregrinationis suæ lucrum reportant, eo quod aliquanto fidentiores sunt, ac pelagi sævitiam minus horrent: namque intrepide, & cum voluptate quadam transmarinas peregrinationes aggrediuntur: ita & qui in præsenti vita propter Christum multas fert afflictiones, multaque gravia patitur, etiam ante regnum cœlorum magnam illam retributionem assequitur: dum magna hic patitur fiducia, animamque suam ita excelsam efficit, ut posthac gravia omnia quasi e sublimi derideat. Tom. 1. lib. 1. ad Stagir.

XXI.

Deus etiam, dum pœnas nobis infert, amandus, atque dilaudandus est.

Dum Deus nobis pœnas infert, maximum suæ curæ, ac providentiæ genus exhibet. Nam & medicus non, cum ægrum in hortos ac prata ducit, laudandus est tantum, nec cum opiparam mensam apponit, sed & cum jejunum jubet manere, cum fame torquet, & siti excruciat, cum lecto affigit, & domum convertit in carcerem, cum ipso lumine ipsum privat, ac domum undique tapetibus obumbrat, cum secat, & urit, cum acerba porrigit medicamenta, ex æquo medicus est. An non igitur absurdum est, tum tot ma-

lis illatis medicum vocare, Deum vero, si quid tale præstiterit, exempli causa, si famem, aut mortem invexerit, blasphemare, atque illi curam universi detrahere? Atqui verus medicus est ipse, salus & animarum, & corporum. Quocirca sæpe numero naturam nostram ex nimia prosperitate insultantem deprehendens, & cui jam peccatorum febris ingrueret, egestate, fame, morte, ac cæteris ærumnis, aliisque medicamentis sibi notis ab ægritudine illam liberat. Atqui pauperes solum famem sentiunt, inquit: sed non sola fame castigat, verum aliis quoque innumeris. Ac pauperitate quidem pressum sæpe fame vexatum emendavit: divitem autem, & opibus abundantem periculis, morbis, acerbis funeribus. Solers enim est, eique varia suppetunt salutis nostræ medicamenta. Tom. 2. hom. 1. adversus eos &c.

XXII.

Calamitates nobis utiles sunt.

Magnum bonum est afflictio. Audi Davidem dicentem: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* (z) Quodsi magnis, & admirandis viris magna res est afflictio, multo magis nobis. Si vultis, ipsam afflictionem in se ipsa examinemus. Sit quis gaudens, lætus, & effusus; quid turpius, quid insipientius illo? Sit quis dolens, & mærens, quid illo magis philosophicum? Idcirco Sapiens admonet, dicens: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* (a) Forte dicta irridetis? Cæterum videamus, quis fuerit Adam in Para-

(z) Psal. 118. (a) Eccl. 7, 3.

Paradiso, & quis postea: qualis fuerit Cain ante qualis postea. Non stat in sua sede animus; sed quasi a quodam vento tollitur a voluptate, & levis efficitur, nihil habens firmum. Etenim ad promissiones est facilis, & ad pollicendum promtus: magna est ratiociniorum fluctuatio: hinc risus intempestivus, lætitia ratione destituta, verborum magna, & superflua nugacitas. Ecquid de aliis loquor? De Sanctorum aliquo agamus: videamusque qualis sit in voluptate, & qualis in mœrore. Vultis, Davidem consideremus? Cum ergo ille in voluptate, & lætitia versaretur, multis trophæis, victoria, corona, deliciis, fiducia elatus, vide, quæ dixerit, & fecerit: *Ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* (*b*) Cum autem in afflictione fuit, audi quid dicat: *Si autem dixerit mihi: Non places: præsto sum, faciat, quod bonum est coram me.* (*c*) Quid his verbis magis philosophicum? Quidquid Deo magis gratum fuerit, inquit, id fiat. Et rursum Sauli dicebat: *Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium.* (*d*) Et tunc, cum esset in afflictione, etiam inimicis parcebat; postea vero neque amicis, neque iis, qui se nihil læserant... Et Ezechias cum in ærumnis esset, vide, qualia pro salute fecerit. Saccum induit, & in terra sedit: ubi autem in voluptate fuit, cecidit præ altitudine cordis sui. Ideo Moyses admonet dicens: *cumque... comederis, & saturatus fueris: cave diligenter, ne obliviscaris Domini.* (*e*) Præceps est enim locus deliciarum, & oblivionem Dei inducit. Cum affligerentur Israëli-

(*b*) Psal. 29, 7. (*c*) 2. Reg. 15, 26.
(*d*) 1. Reg. 26, 19. (*e*) Deut. 6, 11.

tæ multo plures erant: cum aut illos dimitteret, tunc omnes peribant. Et cur vetera exempla affero? Ex nobis ipſis videamus, ſi placet. Ex noſtris plurimi in rebus proſperis inflantur, omnibus inimici, iracundi, dum poteſtate valent; ſublata vero poteſtate, manſueti ſunt, humiles, mites, in naturæ ſuæ cogitationem veniunt. Quod res ita ſe habeat, oſtendit David dicens: *Tenuit eos ſuperbia .... prodiit quaſi ex adipe* (*) *iniquitas eorum.* Tom. 9. hom. 16. in acta Apoſt.

XXIII.

Tribulationes hujus vitæ, ſi cum cœleſti gloria comparentur, breves, atque leves ſunt.

Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. (*f*) Quid mihi vulnera, inquit, objicis, altaria, carnifices, ſupplicia, famem, proſcriptiones, paupertatem, vincula, & compedes? Quæcunque volueris, propone, quæ ab hominibus gravia cenſentur; nihil tamen præmiis illis, coronis, ac retributionibus dignum commemoras. Nam iſta quidem una cum hac vita finiuntur, illa vero in infinito illo ævo finem non habent: hæc temporaria cum ſint, prætereunt: illa cum ſint immortalia, perpetuo permanent. Quod ipſum & alio loco ſubindicans dicebat: *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis:* (g) ſic quantitate qualitatem imminuit, & acerbitatem mitigat temporis brevitate. Quoniam enim gravia natura ſua erant, & moleſta, quo

(*) id eſt, ex abundantia divitiarum.

(*f*) Rom. 8, 18. (g) 2. Cor. 4, 17.

quæ tum illi accidebant, brevitate molestiam minuit dicens: *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* (h) Tom. 3. hom. de gloria in tribulationibus.

XXIV.

In calamitatibus gaudendum.

Non tribulari, sed peccare malum est. Et hæc gravis tribulatio est, etiamsi in deliciis agamus; non ideo dico in futuro, sed etiam in præsenti. Quomodo putas morderi conscientiam nostram? quo tormento id deterius non fuerit? vellem diligenter interrogare eos, qui in malis vivunt, an unquam in memoriam peccatorum suorum veniant? an non tremant, an non formident, an non doleant? an non beatos prædicent eos, qui in jejunio, in montibus, in philosophia vivunt? Vis illic quietem habere? hic tribulationem patere propter Christum, nihil huic requiei par est. Gaudebant Apostoli, dum flagellerentur. Tom. 9. hom. 15. in Act. Apost.

XXV.

Qua ratione quis in tribulationibus gaudere valeat.

Paulus sic admonet: *Gaudete in Domino.* Et quomodo potest quis gaudere, inquies, ubi vincula, tormenta, tribunalia? Isthic maxime

(h) Ibidem.

gauderi poteſt. Quomodo aut poſſit gauderi, ubi hæc ſunt, diſce. Qui nullius ſibi conſcius eſt, plurimum lætabitur; ita ut quo majorem dixeris tribulationem, eo majorem dicas voluptatem. Dic enim mihi, qui mille vulnera accepit, nonne redibit cum magna voluptate, ipſa vulnera in argumentum habens audaciæ, ſplendoris, & claritatis? Et tu ſi poſſes erumpere in illam vocem, quam protulit Paulus: *Stigmata Domini Jeſu in corpore meo porto*; (i) poſſes certe magnus, clarus, & illuſtris eſſe. Sed non eſt perſecutio? Sta contra vanam gloriam. Etſi quis contrarium quidpiam dixerit, ne timueris male audire propter Chriſtum. Sta contra faſtus tyrannidem: ſta contra iræ pugnam: ſta contra concupiſcentiæ tormentum; & hæc ſtigmata, hæc tormenta ſunt. Dic enim mihi, quid gravius in tormentis eſt? An non quod anima doleat,& uratur? Illic enim corpus dividitur; hic autem totum illius eſt. Circa illam dolor eſt, quando iraſcitur, quando invidet, quando quid ſimile facit; imo vero quando patitur. Hæc enim non eſt facere, ſed pati, nempe iraſci, & invidere. Ideoque hæc vocantur animæ morbi, vulnera, plagæ. Vere namque morbus eſt, & morbo gravius. Tom. 9. hom. 15. in Act. Apoſt.

XXVI.

Promiſſis Dei credendum, atque in eo ſperandum, licet promiſſis contraria eveniant.

Quoties tibi in mentem venit, (*) parentes te, & patriam, domum, amicos, propinquos, opes-

---

(i) Galat. 6, 17. (*) Alloquitur Stagirium Monachum a dæmone vexatum.

opesque innumeras, & gloriam illam ingentem abjecisse propter Christum, deindeque hujusmodi vexationem pati: noli dejicere te ipsum. Nam ex quibus cogitationum hæsitatio gignitur, ex eisdem rursus solvetur. Quonam modo? Impossibile est mentiri Deum, promisit autem ille vitam æternam ista relinquentibus. Reliquisti tu omnia ista, & abjecisti, quid igitur prohibet te, de hujusmodi confidere promissione? Num ea, qua nunc probaris tentatio? & hæc ad promissionem quid? Non enim hic æternam repromisit vitam: immo vero si in terris quoque ejusmodi promissio implenda esset, nec sic quidquid ægre ferre debueras: siquidem fidelem, ac religiosum virum adeo constanter, & firmiter promissa Dei tenere convenit, ut quantumlibet effectus contrarios aspiciat, ne sic quidem perturbetur, neque desperet eventum. Intuere denique cujusmodi pollicitationis gratiam fidelis Abraham acceperit, & qualia facere sit jussus. Nam promissio quidem erat, ex Isaac implendum esse orbem universum, jussio autem hunc ipsum Isaac immolare urgebat, ex quo orbis totus erat implendus. Quid igitur? Istudne perturbavit justum virum? Minime vero, immo cum tanta dissonantia, & repugnantia esset præcepti cum promisso, non turbatus est, neque hæsitavit, neque aliquid hujusmodi loquutus est: Alia promisit mihi Deus, alia facere jubet: ex puero isto nepotum ingentem multitudinem mihi promiserat, & hunc ipsum modo necare mihi præcipit? Quomodo igitur hoc erit excisa radice? Fefellit me igitur, atque delusit. Nihil prorsus hujusmodi loquutus est, sed ne cogitavit quidem.

dem. Et merito sane. Cum enim Deus aliquid pollicitus fuerit, etiamsi millia sint, quæ pollicitationem tollere videantur, turbari minime convenit, aut de fine dubitare. Hoc enim maxime Dei potentiam commendat, dum in rebus ambiguis exitum reperit. Tom. 2. hom. de Resurrect.

XXVII.

Etiam in adversis cum gratia Dei probe vivere possumus.

Lazarus ille, qui regno cœlesti dignus, ulceribus plenus, canum linguis erat expositus, atque perpetua cum fame pugnabat: dives vero in honore, ac frequenti satellitio, & requie, & deliciis, vitam ducebat. Verum ut huic nihil apud inferos ilia omnia profuere: ita nec Lazaro fames, aut ulcera, quo minus probe viveret, obstiterunt: sed veluti quidam athleta fortis in æstu gravissimo, & algore luctans, & vicit, & coronatus est. Quocirca vir quidam sapiens ajebat: *Fili accedens ad servitutem Dei,* (k) *sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, & sustine .... & ne festines in tempore obductionis.* Et post pauca: *Quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.* (l) Rursumque alio loco scriptum est: *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias cum ab eo corriperis.* (m) Qui enim aurum in fornacem mittit, novit quatenus illud incendi, & quando ex igne oporteat educi .... Magnum quid revera, magnum,

(k) Eccl. 2, 1. (l) v. 5. (m) Prov. 3, 11.

gnum, inquam, pressura est ad virum spectabilem efficiendum, atque ad docendam patientiæ virtutem. Quid ergo, inquies; si illius nos magnitudo evertat, atque dejiciat? *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* (n)

XXVIII.

Calamitates forti animo ferendæ cum spe futuræ gloriæ, nobis a Deo promissæ.

In afflictionibus animum nunquam despondeamus, neque propria ratiocinia sequentes ægre feramus: sed magnam patientiam exhibentes, spe bona foveamur, scientes solertiam Domini nostri: qui sinens nos aspera experiri, non deserit nos, sed vult ut certantes clariori corona redimiamur. Ita omnes sancti probati sunt. Propterea & Apostoli dicebant: *Per multas afflictiones oportet nos intrare in regnum Dei.* (o) Et ipse Christus dicebat discipulis suis: *In mundo pressuram habebitis.* (p) Ne igitur mæreamus in afflictionibus, sed audiamus Paulum dicentem: *Qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* (q) Et ne admiremur, neque ægre feramus, sed omnia cum fortitudine, & patientia toleremus: non ad afflictiones respicientes, sed ad lucrum, quod inde congregamus: spiritualis enim quædam negotiatio est. Et sicut qui pecunias colligere volunt, atque hujus sæculi negotiationem exercent, non aliter possunt augere suas opes, nisi multa pericula terra, marique sustinuerunt; ne-

(n) 1. Cor. 10, 13. (o) Act 14, 21.
(p) Joan. 16, 23. (q) 2. Tim. 3, 12.

cesse est enim, ut ferant latronum, & piratarum insidias; attamen omnia magna alacritate suscipiunt, & ob exspectationem lucri ærumnarum sensum nullum habent: eodem modo & nos, cogitantes divitias, & spirituales merces, quas nobis hic colligere licet, oportet gaudere, & exultare, & non contemplari, quæ videntur, sed quæ non videntur, sicut & Paulus admonet, dicens: *Non considerantibus nobis ea, quæ videntur.* (r) Fidei enim est, non corporalibus oculis contentos esse, sed oculis mentis imaginari ea, quæ non videntur. Nam illa fide digniora credenda sunt, quam ea, quæ corporalibus oculis videntur. Tom. 4. hom. 63. in 41. cap. Genes.

XXIX.

Calamitates patienter sustinendæ. Diabolus tentator similis cani famelico mensæ assistenti.

In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. (s) Hæc, inquit, afflictio requiem vobis conciliabit. Certaminum est arena præsens vita: porro in certaminibus nemo potest frui requie, qui coronandus sit. Itaque qui velit coronari, asperam, ac laboriosam vitam suscipiat, ut postquam hic brevem laborem sustinuerit, illic perpetuis honoribus fruatur. Quot singulis diebus accidunt molestiæ? qualis autem est animi, non indignari, non moleste ferre, sed gratias agere, glorificare, adorare eum, qui permittit has tentationes infligi? Quam multa inexspectata, quam multæ angustiæ? Et tamen oportet premere malas cogitationes, neque permittere

(r) 2. Cor. 4, 18. (s) Joan. 16, 33.

mittere linguæ, ut aliquid ſonet abſurdi, quemadmodum beatus Job, innumera perpeſſus mala perſeveravit gratias agere Deo. Sunt autem nonnulli, qui ſi joco, convitiove a quopiam tacti fuerint, aut in adverſam valetudinem inciderint, veluti podagram, aut capitis dolorem, aut alium hujus generis morbum, illico blasphemias effundunt: ac moleſtiam quidem morbi ſuſtinent; cæterum fructu privantur. Quid facies o homo, in Beneficum, in Salvatorem, in Proviſorem, in tui curam agentem, convitia jaciens? Non te ſentis in præcipitium abripi, teque ipſum in extremi exitii barathrum dejicere? Num enim ſi blasphemiam proferas, leviorem reddis morbum? Exacerbas potius illum, ac moleſtiorem reddis cruciatum. Propter hoc enim diabolus innumeras impingit moleſtias, ut in illud barathrum præcipitet. Et ſi quidem viderit te blasphemias proferentem, protinus auget dolorem, ac majorem reddit, quo ſtimulatus rurſus indigne feras; quod ſi viderit te fortiter perſerentem, & quo morbus fuerit acrior, hoc magis agentem gratias Deo: illico deſiſtit, ut qui incaſſum, fruſtraque pergat inſidiari. Et quemadmodum canis aſſiſtens menſæ, ſi viderit hominem veſcentem, ſubinde aliquid eorum, quæ in menſa ſunt, ipſi projicientem, manet aſſidue: quod ſi ſemel, atque iterum ſic aſtitit, ut diſceſſerit, nihil adeptus, protinus abſtinet, veluti qui jam fruſtra & incaſſum aſſiſtat: itidem & diabolus jugiter nobis inhiat, ſi quod blasphemum verbum ipſi ceu cani projiciamus, hoc accepto rurſus aggreditur: quodſi perſeveraveris, gratias agere, jugulaveris illum fame, celeriterque abegeris,

ris, & aufugere coegeris. Verum non potes tacere, cruciatu stimulatus, nec ego prohibeo te loqui, sed volo te pro blasphemia loqui gratiarum actionem, pro verbis indignationis verba laudationis. Confitere Domino, clama vehementer obsecrando: clama vehementer glorificando: sic tibi & morbus fit levior, discedente quidem Diabolo propter tuam gratiarum actionem, Dei vero auxilio accedente. Nam si blasphemias effuderis, pariter & Dei auxilium submovisti, & diabolum adversus te ipsum reddidisti saeviorem, & te ipsum magis involvisti doloribus. Tom. I. conc. de Lazaro.

XXX.

In calamitatibus, persecutionibus &c. patienter exspectandus finis; omnino continget aliquid magnifico Deo dignum. — Deus quare non statim eripiat Sanctos.

Quod si quando ab aliquo petaris insidiis, ne consterneris animo, neque moleste feras, sed scire possis, insidias in bonum finem exituras, tantum si fortiter feras, quae accidunt. Ecce hic quoque livor (*) regnum peperit, invidia conciliavit diadema, ad thronum perduxit, atque illi ipsi, qui struebant insidias, auxiliantes promoverunt ad illius imperii magnitudinem. Et is quidem, cui structae fuerant insidiae, regnum adeptus est; ii vero, qui struxerant, servierunt: adorabatur ille, hi adorarunt.

(*) Invidiam intelligit, qua fratres Josephum persecuti fuerant.

runt. Itaque cum tibi acciderint acerba, continuaque mala, ne turberis, neque moleste feras, sed exspecta finem. Omnino continget aliquid munifico Deo dignum, tantum si cum gratiarum actione feras, quæ accidunt: quandoquidem ne iste (*), cum illa somniasset, cum in extremum discrimen venisset, cum venditus a fratribus, cum ab hera insidiis appetitus, denique cum in carcerem esset conjectus, dicebat apud sese: quid tandem hoc est rei? fefellerunt me illa somnia? exulo a patria, spoliatus sum libertate, propter Deum non cessi heræ ad adulterium invitanti, propter pudicitiam, ac virtutem do pænas; ac ne sic quidem ultus est vicem meam Deus, aut manum porrexit, sed passus est me tradi vinculis super alia aliis, calamitates inciderunt perpetuæ, post cisternam servitus, post servitutem insidiæ, post insidias calumnia, post calumniam carcer: verum horum nihil illum perturbabat, sed perseverabat in spe cum bona fiducia, sciens, quod, quæ dicta sunt a Deo, nunquam excident. Poterat quidem Deus eodem etiam die ista perficere, sed ut simul & suam declaret potentiam, & fidem famulorum suorum, permittit multum temporis intercedere, multaque incidere impedimenta, ut simul & ipsius robur cognoscas, tum explentis promissa, posteaquam in desperationem adducta res est, & servorum perspicias tolerantiam, ac fidem, quos nihil horum, quæ interim accidunt, a bona spe depellit. Tom. 1. Conc. 4. de Lazaro.

XXXI.

(*) Sc. Joseph.

XXXI.

Cur Deus non omnes peccatores hic puniat, & justos etiam affligi permittat.

Cum videris aliquos vel in naufragium incidisse, vel ædium ruina oppressos esse, vel incendio periisse, vel a fluvio abreptos fuisse, aut alio quopiam modo violento vitam finiisse: deinde alios, qui eadem cum illis, & graviora peccarunt, nihil tale passos, ne conturberis dicens: Cur tandem, qui eadem peccarunt, non eadem passi sunt? Verum illud reputa, quod Deus illum quidem passus est, e medio tolli, præfocarique, mitiorem ei præparans in futuro sæculo cruciatum, aut etiam in totum eum liberans: hunc vero nihil tale passus est sustinere, ut alterius supplicio castigatior factus, modestior redderetur: quodsi perseveraverit in iisdem, crudelissimam sibi ipsi ex sua socordia coacervat ultionem, nec Deus fuerit causa intolerabilis supplicii. Rursum, si videris justum affligi, aut omnia, quæ dicta sunt perpetientem, ne consterneris animo. Nam & illi res acerbæ splendidiores reddunt coronas, & omnino, quævis pæna, siquidem peccatoribus infligatur, detrahit aliquid vitiorum ponderi: sin justis infligatur, splendidiorem reddit illis animum, sic ut utrisque maximus ex afflictione fructus eveniat, tantum si grate toleremus: hoc enim est, quod quæritur. Tom. I. Conc. 3. de Lazaro.

FEBRUA-

FEBRUARIUS.

I.

Calamitates utiles sunt, & qui patienter has ferunt, clariores evadunt apud Deum, & apud homines.

Nisi tentatio, nec corona: nisi certamina, nec præmia: nisi studia, nec honores: nisi tribulatio, nec remissio: nisi hyems, nec æstas. Et hoc non in hominibus tantum, sed & in seminibus ipsis intueri licet: & in his enim multam quidem pluviam, multam vero nubium collisionem, multam denique glaciem fieri oportet, si vernans spica exsurgere debet: ubi vero sementis tempus, tempus & pluviæ. Postquam igitur & nunc ingruit hyems animarum, non aëris (*): feramus & nos in hac hyeme, ut in æstate metamus: seminemus lacrymas, ut exultationem metamus. Non meus hic sermo, prophetica denuntiatio est: *Qui seminant in lacrymis*, inquit, *in exultatione metent.* (*t*) Non sic semina demissus imber germinare, & crescere facit, ut pietatis semen excitat, & vernare facit ex lacrymis ruens imber: hic animam detergit, irrigat mentem, doctrinæ ger-

(*) Loquitur S. Pater de persecutione, quam populus antiochenus patiebatur a Præfectis, seu Magistratibus ob dejectas Theodosii Imperatoris, & Flacillæ ejus uxoris statuas, easdemque per urbem raptatas.
(*t*) Psal. 125, 5.

germen brevi progredi facit: propterea & profundum sulcum proscindere est necessarium. Etenim & Propheta hoc admonuit ita dicens: *Novate nobis novale, & nolite serere super spinas.* (u) Quemadmodum igitur, qui aratrum immittit inferne terram sulcat, tutam seminibus custodiam parans, ne jacta in superficie remaneant, sed in ipsos terræ sinus condantur, & in tuto radices figant: sic & nos facere necessarium est, & tanquam aratro tribulatione utentes, cordis profundum scindere: hoc enim & alius propheta admonet, dicens: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* (x) Corda igitur scindamus, ut si quæ mala herba, & dolosa cogitatio nobis inest, radicitus eam evellamus, & puras pietatis seminibus terras exhibeamus. Nisi enim nunc renovemus, nisi nunc seminemus, nisi nunc fundamus lacrymas, cum adest tribulatio & jejunium (*), quando unquam in compunctionem veniemus? Num quando remissio, & deliciæ fuerint? Sed hoc fieri non potest: remissio enim, & deliciæ in segnitiem inducere consueverunt, sicut tribulatio solet ad studium revocare, & mentem exterius circa multa vagantem, & occupatam ad sese convertere. Ne igitur de hac tristitia doleamus, sed Deo gratias agamus: multum enim ex tribulatione lucrum. Tom. 2. hom. 4. ad popul. Antioch.

II. *In-*

(u) Jerem. 4, 3. (x) Joël 2, 13.
(*) Dixit hæc initio Quadragesimæ.

II.

Instante calamitate non præsentia, sed futura spectanda.

Multum ex tribulatione lucrum. Nam & cum agricola semina cum multo labore collecta seminaverit, ut adveniat imber, exoptat: & ignarus quispiam, quæ fiunt, cernens admirabitur, forteque apud se ipsum dicet: quid hic homo tandem facit? collecta dissipat, nec dissipat tantum, sed & terræ cum multa cura commiscet, ne facile colligi possint: nec commiscet tantum terræ, sed & optat vehementem pluviam, ut projecta omnia marcescant, & lutum fiant: & turbatur cernens erumpere fulmina, & corruscationes deferri: agricola vero non ita, sed lætatur, & gaudet tempestatem cernens: non enim præsentia respicit, sed futura spectat: non respicit ad fulmina, sed manipulos computat: non marcescentia semina, sed vernantes spicas: non gravem imbrem, sed jucundissimum areæ pulverem. Itidem & nos, non præsentem spectemus tribulationem, aut dolorem, sed orientem ex ipsa utilitatem, & ex ipsa nascentem fructum. Exspectemus areæ manipulos: si etenim vigilemus, multum ex hoc tempore fructum congregare, & mentis nostræ penum implere poterimus: si vigilemus, non tantum nihil grave ex hac patiemur tribulatione, sed & innumera bona capiemus: sin vero torpeamus, remissio nos perdet. ib.

germen brevi progredi facit: propterea & profundum sulcum proscindere est necessarium. Etenim & Propheta hoc admonuit ita dicens: *Novate nobis novale, & nolite serere super spinas.* (u) Quemadmodum igitur, qui aratrum immittit inferne terram sulcat, tutam seminibus custodiam parans, ne jacta in superficie remaneant, sed in ipsos terrae sinus condantur, & in tuto radices figant: sic & nos facere necessarium est, & tanquam aratro tribulatione utentes, cordis profundum scindere: hoc enim & alius propheta admonet, dicens: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* (x) Corda igitur scindamus, ut si quae mala herba, & dolosa cogitatio nobis inest, radicitus eam evellamus, & puras pietatis seminibus terras exhibeamus. Nisi enim nunc renovemus, nisi nunc seminemus, nisi nunc fundamus lacrymas, cum adest tribulatio & jejunium (*), quando unquam in compunctionem veniemus? Num quando remissio, & deliciae fuerint? Sed hoc fieri non potest: remissio enim, & deliciae in segnitiem inducere consueverunt, sicut tribulatio solet ad studium revocare, & mentem exterius circa multa vagantem, & occupatam ad sese convertere. Ne igitur de hac tristitia doleamus, sed Deo gratias agamus: multum enim ex tribulatione lucrum. Tom. 2. hom. 4. ad popul. Antioch.

II. *In-*

(u) Jerem. 4, 3. (x) Joël 2, 13.
(*) Dixit haec initio Quadragesimae.

II.

Instante calamitate non præsentia, sed futura spectanda.

Multum ex tribulatione lucrum. Nam & cum agricola semina cum multo labore collecta seminaverit, ut adveniat imber, exoptat: & ignarus quispiam, quæ fiunt, cernens admirabitur, forteque apud se ipsum dicet: quid hic homo tandem facit? collecta dissipat, nec dissipat tantum, sed & terræ cum multa cura commiscet, ne facile colligi possint: nec commiscet tantum terræ, sed & optat vehementem pluviam, ut projecta omnia marcescant, & lutum fiant: & turbatur cernens erumpere fulmina, & corruscationes deferri: agricola vero non ita, sed lætatur, & gaudet tempestatem cernens: non enim præsentia respicit, sed futura spectat: non respicit ad fulmina, sed manipulos computat: non marcescentia semina, sed vernantes spicas: non gravem imbrem, sed jucundissimum areæ pulverem. Itidem & nos, non præsentem spectemus tribulationem, aut dolorem, sed orientem ex ipsa utilitatem, & ex ipsa nascentem fructum. Exspectemus areæ manipulos: si etenim vigilemus, multum ex hoc tempore fructum congregare, & mentis nostræ penum implere poterimus: si vigilemus, non tantum nihil grave ex hac patiemur tribulatione, sed & innumera bona capiemus: sin vero torpeamus, remissio nos perdet. ib.

III.

Calamitatum fructus.

Non conficiamur præsentibus malis: si enim in peccatis sis, ea destruuntur, & comburuntur facile per tribulationem: si vero in virtute sis præditus, illustraris, & splendescis per ipsam: si continuo vigiles, & sobrius, sis, eris omni damno superior. Non enim tentationum natura, sed tentatorum segnities ruinas efficere solet. Itaque, si vis gaudere, & remissione, & voluptate potiri, neque voluptatem, neque remissionem quæras: sed animam patientia plenam quære, & tolerantiam exhibere valentem: quodsi hoc non habeas, non tantum tentatio te superabit, sed & remissio perdet, & magis deiiciet. Quod enim non gravium incursus casuum, sed mentis nostræ torpor salutem nostram subvertat, audi, quid dicat Christus: *Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro prudenti, qui ædificavit domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat super petram:* (y) & rursum: *omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* (z) Vides, quod non tentationum inflictus, sed ædifican-

---

(y) Matth. 7, 24. (z) Ib. v. 26. & 27.

ficantium stultitia ruinam fecerit? Etenim illic pluvia, & hic pluvia: & illic flumina, & hic flumina: illic ventorum incursus, & hic idem; ille ædificavit, & hic ædificavit: eadem ædificatio, & eædem tentationes, sed non idem finis: quoniam non idem fundamentum; non enim tentationum natura, sed ædificantis imprudentia ruinam fecit: alioqui oportuisset & domum supra petram ædificatam cadere, nunc vero nihil tale passa est. Sed ne de domo hæc dicta esse putetis: de anima enim sermo est, divinorum verborum auditum per opera demonstrante, vel repellente. Sic animam suam Job ædificavit: descendit pluvia, ignis enim de cœlo cecidit, & omnes greges absumsit: (a) venerunt flumina, frequentes nempe, continui, & sibi succedentes calamitatum nuncii: hic quidem gregum, ille vero camelorum, ille rursus filiorum interitum dicens: flaverunt venti, amara uxoris verba: *Benedic Deo*, inquit, *verbum contra Dominum, & morere:* & non cecidit domus, non est supplantata anima, non blasphemavit justus: sed & gratias egit, sic dicens: dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Vides, quod non tentationum natura, sed torpentium ignavia ruinam facere soleat? Tom. 2. hom. 4. ad populum Antioch.

(a) Job. 1, 16.

IV.

Calamitates fortem fortiorem faciunt. — Diabolus continuo hominem impugnat.

Fortem virum tribulatio fortiorem reddit. Quis hoc ait? In tribulatione nutritus beatus Paulus ita dicens: *Tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem.* (b) Et ſicut firmas arbores ventorum impetus irruens, & undique jactans non evellit, ſed ſolidiores & firmiores his incurſibus reddit: ſic & animam ſanctam, & pie viventem tentationum incurſus non ſupplantant, atque etiam ad majorem patientiam incitant: ſicut & beatum Job ſplendidiorem, & venerabiliorem reddiderunt. Nunc igitur nobis quidem homo iraſcitur, & homo iisdem paſſionibus obnoxius, ſimilique anima præditus, & timuimus: tunc autem illi dæmon malignus, & ferus erat iratus, nec ſimpliciter iraſcebatur, ſed omnes movebat artes, omnemque adhibebat verſutiam, & nec ita quidem juſti fortitudinem ſuperavit. Et hic quidem cum homo ſit, nunc iraſcitur, nunc conciliatur, & tamen timore mortui ſumus. Tunc vero diabolus erat impugnans, qui nunquam hominum naturæ conciliatur, ſed bellum ſine fœdere, & pugnam ſine induciis generi noſtro indixit, & tamen ipſius ſagittas juſtus deriſit, quam igitur nos excuſationem, vel qualem veniam habere poſſumus, humanam tentationem non ferentes, qui tantopere in gra-

---

(b) Dom. 5, 4.

gratia philosophamur, cum ille ante gratiam, & in veteri testamento illud tam intolerabile bellum generose tulerit? Hæc igitur, dilecti, semper inter nos differamus, & per hos sermones nos ipsos exhortemur. ib.

V.

Cur Deus non statim tollat calamitates.

Potest Deus omnia gravia hac ipsa die solvere: sed donec nos purgatos videat, donec videat factam conversionem, & pœnitentiam firmam, & incussam, non dissolvit tribulationem. Etenim aurifex, donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: sic & Deus non abducit hanc nubem, donec nos penitus emendaverit. Qui enim tentationem permisit, ipse novit & tentationis solvendæ tempus. Et sicut Citharædus neque nervum intendit, ut non abrumpat: neque remittit ultra modum, ne harmoniæ concentum lædat: sic etiam Deus agit, neque in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundum suam prudentiam utrumque faciens: non sinit enim nos continua potiri remissione, ne segniores fiamus; non sinit autem rursum, in continua esse tribulatione, ne concidamus, neve desperemus. ib.

VI.

Tribulationibus Deus finem imponit, modo eas cum gratiarum actione patienter feramus.

Deo adversitatis finiendæ tempus relinquamus: nos vero tantum in sanctitate vivamus. Opus enim nostrum ad virtutem mutari, Dei

vero opus, malis urgentibus solet finem imponere. Etenim ipse magis, quam tu, qui tentaris, hoc incendium exstinguere vult, sed salutem tuam exspectat. Sicut igitur ex remissione tribulatio facta est: sic & ex tribulatione remissionem exspectare convenit. Neque enim semper hiems, neque semper æstas, neque semper procella, neque semper tranquillitas, non semper nox, neque semper dies: sic neque semper tribulatio, sed erit & remissio, si tantum in tribulatione Deo gratias semper agamus. (c) Nam tres in fornacem pueri conjecti sunt: & nec ita religionis obliti sunt, nec ipsos terruit flamma, sed iis, qui in cubiculo sederent, & nihil grave paterentur, studiosius, igne licet circumdati, sacras illas preces emittebant. Ideo murus ipsis factus est ignis, & vestis flamma, & fons fornax: & ligatos acceptos, solutos reddidit: mortalia suscepit corpora, & tanquam ab immortalibus abstinuit: agnovit naturam, sed pietati reverentiam exhibuit. Vinxit pedes Tyrannus, & ignis vim pedes vinxerunt. O rem mirabilem! vinctos solvit flamma, & ipsa de reliquo a vinctis vincta est: mutavit enim rerum naturam adolescentulorum pietas: immo vero non naturam mutavit, sed, quod erat mirabilius, permanentis naturæ vim repressit: non enim ignem exstinxit, sed ardentem inefficacem reddidit: & quod est mirabile, & stupendum, non in sanctis tantum corporibus hoc factum est, sed & in vestimentis ipsorum, & calceamentis: & sicut in Apostolis vesti-

(c) Daniel 3.

vestimenta Pauli ægritudines & dœmones pellebant, & Petri umbra mortem fugabat: sic etiam hic puerorum calceamenta ignis virtutem exstinxerunt . . . . . . Hanc non temere recitavi historiam, sed ut discatis, quod licet furor instet regius, etsi militum insidiæ, etsi inimicorum invidia, etsi captivitas, etsi ignis, etsi fornax, etsi innumera alia, justum nihil superare, aut terrere poterit . . . Deo gratias agere de tribulatione nos oportet, ex prædictis doctos, ærumnis nos clariores effici, & apud Deum, & apud homines, si ipsas generose ferre sciamus. Etenim nisi servi fuissent hi, ipsorum libertatem non cognovissemus: nisi captivi fuissent, non eorum animi libertatem didicissemus: nisi inferiori patria excidissent, non cognovissemus supernæ civitatis esse ipsorum virtutem: nisi terrenus rex ipsis fuisset iratus, non audissemus benevolentiam, quam cœlestis rex erga ipsos gerebat. Tom. 2. hom. 4. ad popul. Antioch.

VII.

Beatius est in hac vita puniri, quam in altera. — In inferno nulla consolatio. — Datur infernus.

Ne decipiamur, neque per omnem modum tranquillam sectemur vitam. *Quem enim diligit Dominus, castigat*, inquit. (*d*) Cum itaque improbe viventes rebus prosperis fruimur; tunc maxime doleamus: peccantes enim semper ti-

 mere

(*d*) Hebr. 12, 6.

mere oportet; tum vero maxime, cum triste nihil patimur. Quando enim per partes Deus pænas exigit, leviorem parat vindictam; quando autem scelera singula fert patienter, in magnam nos in iis perseverantes reservat ultionem. Nam si probis necessaria est afflictio, multo magis peccantibus. Vide namque, quantam Dei patientiam expertus Pharao, extremum denique pro omnibus luit supplicium; quot criminum reus Nabucodonosor, omnium tandem pænas luit; dives item quia in hac vita delicatus; illuc abiit omnium pænas daturus, ubi nullam in malis consolationem reperire erat. Attamen quidam sunt ita frigidi, & stulti, ut præsentia tantum semper quærant, & hæc ridicula verba proferant: *Interim præsentibus fruor omnibus; tunc de incertis prospiciam, ventri indulgebo, voluptatibus serviam, abutar præsenti vita: da mihi hodiernum diem, & accipe crastinum. O ingentem stultitiam! in quo ab hircis, & porcis differunt, qui talia loquuntur? Nam si eos, qui ad uxorem proximi sui hinniunt, non sinit propheta homines reputari, quis nos culpabit, si hos hircos, porcos, & asinis insipientiores esse existimemus, qui clariora iis, quæ oculis videntur, incerta ea putant? si enim nulli alii credis, dæmonibus saltem adsta, dum verberantur . . . dum clamantes, & ejulantes sæpe tormenta illic adhibita prædicant . . . dœmones, qui nolunt credi gehennam, tamen gehennam confitentur: tu vero, qui tanto dignaris honore, quique ineffabilium consors es mysteriorum, nec illos imitaris, sed etiam illis deterior

factus

factus es. Ecquis, inquies, ab inferno venit, & hæc nunciavit? Sed & de cœlis, quis venit, dixitque Deum esse, qui omnia creavit? Quod autem animam habeamus, unde palam est? Si enim illa solum, quæ sub aspectum cadunt, crediturus es, ac de Deo, de Angelis, de mente, de anima dubitas, sic tibi omnia veritatis dogmata pessumibunt . . . . . Homo quidem nullus (*) nam si homo esset, non illi creditum sæpe fuisset, utpote, qui res exaggeraret, amplificaretque. Angelorum vero Dominus illa omnia accurate nunciavit. Quid ergo opus homine, cum is, qui pœnas a nobis exacturus est, quotidie clamet se gehennam paravisse, & regnum concessurum esse, horumque nobis argumenta (**) clare præbeat. Tom. 7. hom. 13. in Matth.

VIII.

In calamitatibus confugiendum ad Deum. — Quam facilis ad Deum aditus.

Quomodo misericordiam consequemur? Quomodo salutem? Ego dicam: orationem semper in corde suscipiamus, ejusque fructus, nempe humilitatem, & mansuetudinem; *Discite enim, inquit, a me: quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris;* (e) rursumque David: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus*

 non

(*) Inde veniens illa nunciavit.
(**) In sacris Scripturis.
(e) Matth. 11, 29.

mere oportet; tum vero maxime, cum triste nihil patimur. Quando enim per partes Deus pænas exigit, leviorem parat vindictam; quando autem scelera singula fert patienter, in magnam nos in iis perseverantes reservat ultionem. Nam si probis necessaria est afflictio, multo magis peccantibus. Vide namque, quantam Dei patientiam expertus Pharao, extremum denique pro omnibus luit supplicium; quot criminum reus Nabucodonosor, omnium tandem pænas luit; dives item quia in hac vita delicatus; illuc abiit omnium pænas daturus, ubi nullam in malis consolationem reperire erat. Attamen quidam sunt ita frigidi, & stulti, ut præsentia tantum semper quærant, & hæc ridicula verba proferant: Interim præsentibus fruor omnibus; tunc de incertis prospiciam, ventri indulgebo, voluptatibus serviam, abutar præsenti vita: da mihi hodiernum diem, & accipe crastinum. O ingentem stultitiam! in quo ab hircis, & porcis differunt, qui talia loquuntur? Nam si eos, qui ad uxorem proximi sui hinniunt, non sinit propheta homines reputari, quis nos culpabit, si hos hircos, porcos, & asinis insipientiores esse existimemus, qui clariora iis, quæ oculis videntur, incerta ea putant? si enim nulli alii credis, dæmonibus saltem adsta, dum verberantur . . . dum clamantes, & ejulantes sæpe tormenta illic adhibita prædicant . . . dœmones, qui nolunt credi gehennam, tamen gehennam confitentur: tu vero, qui tanto dignaris honore, quique ineffabilium consors es mysteriorum, nec illos imitaris, sed etiam illis deterior

factus

factus es. Ecquis, inquies, ab inferno venit, & hæc nunciavit? Sed & de cœlis, quis venit, dixitque Deum esse, qui omnia creavit? Quod autem animam habeamus, unde palam est? Si enim illa solum, quæ sub aspectum cadunt, crediturus es, ac de Deo, de Angelis, de mente, de anima dubitas, sic tibi omnia veritatis dogmata pessumibunt . . . . . Homo quidem nullus (*) nam si homo esset, non illi creditum sæpe fuisset, utpote, qui res exaggeraret, amplificaretque. Angelorum vero Dominus illa omnia accurate nunciavit. Quid ergo opus homine, cum is, qui pœnas a nobis exacturus est, quotidie clamet se gehennam paravisse, & regnum concessurum esse, horumque nobis argumenta (**) clare præbeat. Tom. 7. hom. 13. in Matth.

VIII.

In calamitatibus confugiendum ad Deum. — Quam facilis ad Deum aditus.

Quomodo misericordiam consequemur? Quomodo salutem? Ego dicam: orationem semper in corde suscipiamus, ejusque fructus, nempe humilitatem, & mansuetudinem; *Discite* enim, inquit, *a me: quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris;* (e) rursumque David: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus* non

(*) Inde veniens illa nunciavit.
(**) In sacris Scripturis.
(e) Matth. 11, 29.

non despicies. (*f*) Nihil enim Deus ita amplectitur, & amat, ut animam mitem, & humilem, & gratam. Adverte igitur & tu, frater; cum quid inexspectatum tibi acciderit, molestiamque crearit, ne ad homines confugias, ne ad mortale auxilium respicias; sed omnes transcurrens, mente tua ad animarum medicum te confer. Nam ipse solus cordi medelam afferre potest, qui finxit singillatim corda nostra, & intelligit omnia opera: ipse potest in conscientiam nostram ingredi, mentem tangere, animamque cohortari: quodsi ipse non cohortetur corda nostra, quæ ab hominibus accedent, superflua, & inutilia erunt: quemadmodum vicissim Deo cohortante, & consolante, etiamsi sexcentas homines molestias creaverint, ne minimum quidem nobis nocere poterunt. Cum enim ille cor nostrum firmaverit, nemo illud exagitare valebit. Hæc cum sciamus, dilecti, ad Deum semper confugiamus, qui vult, & potest calamitates solvere nostras. At enim quando homines exorare oportet, ostiarios prius alloqui, necesse nobis est, parasitos item, adulatoresque precari, multumque itineris capessere. Apud Deum vero nihil simile, sed sine intercessore exorabilis est, sine pecuniis, sine sumptibus, petitioni annuit. Sufficit solo corde clamare, & lacrymas offerre, & statim ingressus, eum attraxeris. At hominem, cum rogamus, sæpe metuimus, ne quis ex inimicis, aut amicis eorum, aut adversarius quispiam rem audiat, aliusve referat ea, quæ dicta sunt, & jus per-ver-

(*f*) Psal. 50, 19.

vertat: in Deo autem nihil tale suspicari licet. Cum enim me volueris precari, inquit, solus accede nemine præsente; id est, corde clama, neque labia movens: nam *intra*, inquit, *in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* (g) Tom. 2. hom. 4. de pœnitent. & orat.

IX.

Quomodo in calamitatibus orandum? — Pro inimicis orandum.

Si causidicis, & Rhetoribus apud forenses judices tractanda negotia nostra dicimus tantum, modum autem defensionis ipsis relinquimus, ut pro libitu res nostras disponant: multo magis erga Deum ita faciendum est. Dixisti ei causam tuam, dixisti, quæ passus es? cave dicas illi, quo pacto tibi auxilium sit ferendum: ille quippe novit, quid tibi competat. Sunt autem plurimi, qui mille versus inter orandum proferunt, dicuntque: Domine da mihi corporis sanitatem, duplo plures, quam habeo facultates, ulciscere inimicum meum: quod est ingenti plenum absurditate. Quam ob rem his omnibus omissis ita orandum, precandumque est, ut publicanus ille, qui dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori:* & ipse novit, quo pacto tibi sit opitulandum: nam *quærite*, inquit, *primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis.* (h) Sic itaque, Dilec-

(g) Matth. 6, 6. (h) Luc. 18, 13.

Dilecti, cum labore & humilitate philosophemur, percutientes pectora nostra, quemadmodum ille: & quae petimus, consequemur. Sin ira, furoreque pleni precemur, abominabiles, & odiosi apud Deum reperiemur. Conteramus igitur mentem nostram, humiliemus animas nostras, precemurque pro nobis, & pro iis, qui nos molestia affecerunt. Si namque velis judicem ad auxilium animae tuae demulcere, & ad tuas partes attrahere, numquam eum contra adversarium tuum compellaveris. Etenim judicis illius talis mos est: illis maxime annuit, & postulata concedit, qui pro inimicis orant, qui non sunt injuriae memores, qui contra inimicos suos non efferuntur. Et quanto magis hi se ita gerunt, tanto magis Deus eorum inimicos ulciscitur, nisi ad poenitentiam convertantur. Videte ergo, fratres, ne injuria a quopiam lacessiti statim indignemur, & in tristitiam labamur, sed philosophantes gratias agamus, exspectantes auxilium Domini. Ibidem.

X.

In adversitatibus confugiendum ad SS. Martyres; non ad daemones & artes magicas. — Invocatio Sanctorum multum valet apud Deum.

Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & praepara animam tuam ad tentationem, deprime cor tuum, & sustine.... sustine sustentationes (tribulationes a Deo immissas) *quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines receptibiles* (*) *in camino humiliationis.* Si tu famu-

(*) Acceptabiles & grati Deo, Eccli. 2, 1. & seq.

famulum tuum cæcideris, & ille triginta, aut quinquaginta plagis acceptis, illico provocet ad libertatem, aut deferat tuum dominium, & ad alios quospiam sese conferat, qui te oderint, eosque in te concitet: dic mihi, num is abs te veniam impetraturus sit? An quisquam pro illo poterit esse patronus? Nequaquam. Cur ita tandem? Quoniam officium est heri, punire famulum. Non ob id tantum, verum etiam ob hoc, quod si fugiendum erat, non ad hostes, & osores domini prioris oportebat fugere; sed ad amicos, & cognatos. Proinde tu quoque, si videris te puniri a Deo, ne profugias ad ejus inimicos, ne magis etiam illum in te provoces: sed ad amicos illius, Martyres, & Sanctos, qui illi placuerunt, quique multam apud illum habent auctoritatem. Sed quid loquor de famulis? Filius non poterit hoc facere, castigatus a patre, nec abnegare cognationem, quam habet cum patre. Nam & naturæ leges, & leges ab hominibus institutæ, etiamsi flagris cædat Pater, si a mensa depellat, si ædibus exigat, si quocunque modo puniat, jubent omnia fortiter perpeti, nec ullam illi veniam concedunt, ni paruerit, pertuleritque. Quin etiamsi filius cæsus innumeras querimonias deplorans proferat; hæc verba audit ab omnibus: Pater est, qui cæcidit, ac Dominus, habetque potestatem in te, quod vult faciendi, & oportet omnia placide ferre. Ergo famuli quidem ferunt dominos, filii parentes, frequenter & præter æquum punientes; tu vero non sustines Deum te corripientem, qui plus habet in te juris, utpote vere Dominus; qui plus te diligit quam Pater, quique nihil per

ira-

Dilecti, cum labore & humilitate philosophemur, percutientes pectora nostra, quemadmodum ille: & quæ petimus, consequemur. Sin ira, furoreque pleni precemur, abominabiles, & odiosi apud Deum reperiemur. Conteramus igitur mentem nostram, humiliemus animas nostras, precemurque pro nobis, & pro iis, qui nos molestia affecerunt. Si namque velis judicem ad auxilium animæ tuæ demulcere, & ad tuas partes attrahere, numquam eum contra adversarium tuum compellaveris. Etenim judicis illius talis mos est: illis maxime annuit, & postulata concedit, qui pro inimicis orant, qui non sunt injuriæ memores, qui contra inimicos suos non efferuntur. Et quanto magis hi se ita gerunt, tanto magis Deus eorum inimicos ulciscitur, nisi ad pœnitentiam convertantur. Videte ergo, fratres, ne injuria a quopiam lacessiti statim indignemur, & in tristitiam labamur, sed philosophantes gratias agamus, exspectantes auxilium Domini. Ibidem.

X.

In adversitatibus confugiendum ad SS. Martyres; non ad dæmones & artes magicas. — Invocatio Sanctorum multum valet apud Deum.

Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, deprime cor tuum, & sustine. . . . sustine sustentationes (tribulationes a Deo immissas) *quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines receptibiles* (*) *in camino humiliationis.* Si tu famu-

(*) Acceptabiles & grati Deo, Eccli. 2, 1. & seq.

famulum tuum cæcideris, & ille triginta, aut quinquaginta plagis acceptis, illico provocet ad libertatem, aut deferat tuum dominium, & ad alios quospiam sese conferat, qui te oderint, eosque in te concitet: dic mihi, num is abs te veniam impetraturus sit? An quisquam pro illo poterit esse patronus? Nequaquam. Cur ita tandem? Quoniam officium est heri, punire famulum. Non ob id tantum, verum etiam ob hoc, quod si fugiendum erat, non ad hostes, & osores domini prioris oportebat fugere; sed ad amicos, & cognatos. Proinde tu quoque, si videris te puniri a Deo, ne profugias ad ejus inimicos, ne magis etiam illum in te provoces: sed ad amicos illius, Martyres, & Sanctos, qui illi placuerunt, quique multam apud illum habent auctoritatem. Sed quid loquor de famulis? Filius non poterit hoc facere, castigatus a patre, nec abnegare cognationem, quam habet cum patre. Nam & naturæ leges, & leges ab hominibus institutæ, etiamsi flagris cædat Pater, si a mensa depellat, si ædibus exigat, si quocunque modo puniat, jubent omnia fortiter perpeti, nec ullam illi veniam concedunt, ni paruerit, pertuleritque. Quin etiamsi filius cæsus innumeras querimonias deplorans proferat; hæc verba audit ab omnibus: Pater est, qui cæcidit, ac Dominus, habetque potestatem in te, quod vult faciendi, & oportet omnia placide ferre. Ergo famuli quidem ferunt dominos, filii parentes, frequenter & præter æquum punientes; tu vero non sustines Deum te corripientem, qui plus habet in te juris, utpote vere Dominus; qui plus te diligit quam Pater, quique nihil per

ira-

iracundiam, sed omnia facit in tuam utilitatem? Sed si levis aliquis morbus acciderit, illico resiliens ab illius dominio, ad dæmones accurris, & ad Synagogas confugis (*)? Et quam tandem veniam consequeris? Quo pacto valebis illum denuo tibi propitium reddere? Quin potius nec alius quisquam pro te deprecari poterit, etiamsi tantum valeat auctoritate, quantum Moyses. Non est, qui hoc facere possit. Non audis, quid Deus loquatur ad Jeremiam de Judæis: *Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima ad populum istum.* Adeo sunt peccata omnem remissionem superantia, quæque nullam recipiant excusationem. Itaque ne tantam nos provocemus iram. Etiamsi enim videantur aliqui febrem incantamentis sedare, non enim vere sedant: tamen aliam vehementiorem in conscientiam inducunt febrem, ratione quotidie te stimulante, conscientiaque flagellante, ac dicente: Impie fecisti, inique egisti, violasti fædus valetudinis, pietatem deseruisti. Num tu solus hæc passus es? an non alii multo, quam tu acerbiora passi sunt? Attamen nullus illorum tale quid ausus, tu vero mollis, ac dissolutus animam tuam mactasti. Quomodo excusaberis a Christo? quomodo illum implorabis precibus? qua conscientia posthac ingrederis Ecclesiam? quibus oculis videbis Sacerdotem? qua manu sacram attinges mensam; quibus auribus audies scripturas, quæ illic leguntur? Tom. 1. orat. 8. contra Judæos.

XI. *Pa-*

(*) S. Pater reprehendit eos, qui apud Judæos ad pellendos morbos remedia quærebant.

XI.

Patientia in adversis martyrem facit. — Martyrii ratio.

Reputa tecum, quam multa passi sint Apostoli, considera Justos perpetuo in afflictionibus fuisse, recordare beati Timothei, qui nunquam ab infirmitate respiravit; sed ab adolescentia jugi morbo erat obnoxius, idque Paulus declarans dixit: *Modico vino utere propter stomachum tuum, ac frequentes infirmitates tuas.* (i) Quodsi justus ille, sanctus ille, qui orbis præfecturam suscepit, qui mortuos excitavit, qui dæmones abegit, qui morbos innumerabiles in aliis correxit, tam acerba passus est, quam excusationem habebis tu, qui tumultuaris, ac deficis in morbis temporariis? Non audisti scripturam dicentem, *quem diligit Dominus corripit:* (k) *flagellat autem omnem filium, quem recipit.* (l) Quam multi optarunt coronam martyrii accipere? Hæc est parata martyrii corona. Non enim id modo facit martyrem, si quis jussus est sacrificare, potius ducat emori; verum etiam si quis servet quidlibet, quod mortem potest accersere, manifestum est martyrium. Ac ut intelligas hoc esse verum, recordare, quomodo Joannes Baptista mortuus sit, & qua de causa, quomodo Abel. Neuter enim horum vel altare vidit incensum, vel statuam positam, vel jussus fuit immolare dæmonibus: sed ille quidem, quia tantummodo reprehendit Herodem, decollatus est: hic vero, quo-

(i) 1. Tim. 5, 23. (k) Prov. 3, 12.
(l) Hebr. 12, 5.

quoniam Deum meliori ſacrificio honoravit quam frater, occiſus eſt. Num igitur privati ſunt martyrii corona? At quis hoc audeat dicere? quandoquidem ipſum etiam mortis genus ſufficit ad omnibus perſuadendum, eos inter primos martyres numerari. Quodſi etiam divinam ſententiam ſuper his prolatam quæris: audi quid dicit Paulus; nam quæ ille loquitur, ſine dubio ſpiritus ſunt. *Puto enim*, inquit, *quod & ego Spiritum Dei habeam.* Quid igitur hic dicit? Exorſus ab Abel, cum dixiſſet majorem hoſtiam Abel præ Cain obtuliſſe Deo, & propter hanc mortuum adhuc loqui: deinde digreſſus ad Prophetas, ac decurſa ſerie usque ad Joannem dixiſſet: *Tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, alii vero diſtenti ſunt;* multis, & diverſis mortis generibus commemoratis, ſubjecit hoc modo: *Ideoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium* (*), *deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* (m) Vides quod etiam Abel appellavit martyrem, & Noe, & Abraham, & Iſaac, & Jacob. Nam & iſtorum quidam ſic propter Deum mortui ſunt, quemadmodum inquit Paulus: *quotidie morior:* non quidem moriens, ſed propoſito tantum perpeſſus mortem. Sic & tu, ſi repuleris incantamenta, veneficia, ac præſtigias, etiamſi morbo moriaris, martyr perfectus fueris, eo quod aliis pollicentibus morti levationem omnem cum impietate, præoptaris mortem cum pietate. Ibidem.

XII. *Ca-*

(*) Martyrum. (m) Hebr. 12, 1.

XII.

Calamitates temporaneas lenit spes futurorum.

Athletae quidem certaminum externorum eodem in scammate decertant, & vincunt; victores renunciantur, & coronantur: at isti pietatis athletae (*) non ita; sed in praesenti quidem saeculo decertant, in futuro autem coronantur: pugnarunt hic cum diabolo, atque vicerunt, illic autem victores renunciantur. Et ut esse verum istud intelligatis, nec illos hic coronis donari, verum illic ipsos omnia manere dona, Paulum dicentem audite: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servari. In reliquo reposita est mihi corona justitiae:* (n) ubi, & quando? *quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex.* Hic cucurrit, illic coronatur; hic vicit, illic victor renunciatur. Audistis ipsum quoque clamantem, ac dicentem: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes.* Cur ergo externis quidem, ac profanis athletis simul obveniunt & victoriae, & coronae; pietatis autem athletis non simul & victoriae, & coronae, sed tantum post temporis intervallum? Sudarunt, labores hic exantlarunt, sexcenta vulnera exceperunt, nec statim eis obveniunt coronae? Nequaquam, inquit, vitae praesentis natura magnitudinem honoris illius capit: caducum est saeculum praesens: ac breve; infinitum illud, im-

(*) Sc. Martyres. (n) 2. Tim. 4, 7.

immortale, & æternum. Propterea Deus labores quidem cum brevi, ac temporaneo ſæculo iſto connexuit, coronas autem æterno, atque immortali reſervavit, ut & laborum moleſtia præcidatur, quæ cum temporis brevitate diſſolvatur, & perennis, ac perpetuus coronarum uſus permaneat, qui una cum infinitorum ſæculorum illorum immortalitate perduret. Quod igitur majoribus eos honoribus ornare vellet, munus diſtulit: nec ideo tantum, ſed ut pura deinceps voluptate perfundantur. Nam quemadmodum is, qui prius deliciis, ac voluptatibus fruitur, ac deinde vexandus eſt, præſentes delicias ob futurorum malorum exſpectationem minime ſentit: ſic ille, qui prius pugnat, ac decertat, & ſexcenta mala tolerat, deinde vero coronatur, præſentium malorum ſenſum non capit, dum futurorum bonorum ſpe recreatur. Ibid.

XIII.

Quisnam beatus, ac miſer dicendus.

Cum aliquem in hac vita deliciis, ac voluptatibus perfruentem videritis, ſed illic poſtea puniendum, non eum propter præſentes delicias beatum, ſed propter futurum ſupplicium miſerum prædicetis. Rurſum ubi quempiam eorum, qui multo illic honore decorandi ſunt, afflictione, ac tribulatione, atque innumeris malis in hac temporali vita videritis obſideri, ne propter præſentia mala deploretis, ſed felicem judicetis, ac beatum propter repoſitas ipſi in infinitis illis ſæculis coronas cenſeatis. Tom. 2. hom. in S. Julian. Mart.

XIV. *Non*

XIV.

Non calamitates præsentes spectandæ, sed præmia futura.

Noli ea, quæ præsentia sunt, acerba spectare, sed quæ jucunda futura, non quæ in manibus mala, sed quæ in spe bona; non ærumnas, sed præmia: non labores, sed coronas: non sudores, sed mercedes: non acerbitates, sed retributiones: non ignem urentem, sed propositum regnum: non carnifices circumstantes, sed Christum coronantem. Tom. 2. Laudat. Mart. pag. 715.

XV.

In calamitatibus spe in Deum animus erigendus.

Tales simus, qui appendamus nos in spem, quæ in Deum est, quasi in anchoram aliquam tutam, & stabilem, & ne ad laborem virtutis respiciamus, sed considerantes retributionem, quæ laborem sequitur, leviter omnia feramus. Siquidem negotiator, si quando e portu egressus in medium maris venerit, non jam piratas, non naufragia, non marinas belluas, non ventorum incursus, non continuas tempestates, & multa infortunia cogitat solum: sed etiam lucra sibi obventura, cum illa effugerit: speque fultus, omnes prædictas ærumnas facile excipit, ut auctis opibus suis domum redeat. Et agricola non tantum agriculturæ labores cogitat, & imbres, & terræ sterilitatem, ac rubiginis incursum, locustarumque damna, sed & arcam, & manipulos animo secum describens, fortiter fert

omnia, & præ bonorum exſpectatione neque labores ſentit: quamvis incerta ſpes ſit, verumtamen ſpe meliori paſcitur, nec renunciat laboribus: ſed omnia, quæ ad ſe pertinent afferens, exſpectat, ut aliquando laborum accipiat mercedes. Et miles quoque, qui aſſumit arma, & in prælium egreditur, non cogitat vulnera tantum, cædes, & hoſtium incurſus, aliasque ærumnas; ſed etiam victorias, & triumphos ſibi præfingens omni armatura ſe munit: & cum incertus valde ſit exitus, & damna immineant, repulſis iis omnibus ex animo, ac bona ſpe propoſita, ponit omnem torporem, & acceptis armis contra hoſtium aciem properat. Igitur, Dilecti, ſi negotiator, & miles, & agricola, ubi & incerta ſpes, & plures fruſtrationes, atque impedimenta, ſicut audiſtis, multa & variaſunt, non ita eos reformidat labores, ut a meliori propter ea ſpe deſiſtat: quali nos venia digni erimus, ita negligentes ad capeſſendam virtutem, & non omnem laborem ſponte ſubeuntes, cum tam ſecura noſtra ſpes ſit, tantaque bona nobis repoſita, ac præmia? & mercedes omnia, quæ a nobis recte geruntur, multis partibus ſuperent? Audi igitur beatum Paulum, poſt tantas, & tales afflictiones, & ad tribunalia abductiones, & carceres, & mortes quotidianas dicentem: *Non ſunt condignæ paſſiones præſentis temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (o) Etiamſi quotidie, inquit, morti nos exponeremus, id quod natura non capit, licet mens vincens naturam, per benignitatem Domini coronetur: nihil, inquit,

(o) Rom. 8, 18.

quit, ferremus par tantis, quæ nos accepturos ſperamus, bonis, gloriæque in nobis revelandæ. Tom. 4. hom. 26. in cap. 8. Geneſ.

XVI.

Peccatum ſolum lugendum.

Ne ordinem invertamus; ſed peccatum ſolum lugeamus: reliqua vero omnia, ſive paupertatem, ſive morbum, ſive immaturam mortem, ſive damnum, ſive calumniam, ſive aliud quidpiam humanum malum fortiter feramus. Hæc quippe mala, ſi temperantes fuerimus, plures nobis coronas procurant. At qui, inquies, fieri poſſit, ut, homines cum ſimus, dolore non afficiamur? At ego contra quæro: qui fieri poſſit, ut lugeat homo, qui rationis particeps, & futurorum ſpe fultus eſt? Ecquis, inquies, unquam fuit, qui hac ægritudine non captus ſit? Multi, & pluribus in locis, tum noſtro, tum progenitorum noſtrorum ævo. Etenim audi, quid Job, omiſſo toto filiorum cætu, dicat: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt.* (p) Vel auditu quidem hæc mirabilia ſunt: at ſi illa accurate expenderis, tunc majus cernes miraculum. Tom. 1. hom. de Dormientibus.

XVII.

Calamitates fortiter, & patienter ferendæ.

Cogita, quomodo tres pueri fornacem ſuperaverunt: illam puta eſſe gehennam. Cum ærumnis in illam inciderunt vincti, atque compediti.

(p) Job. 1, 21.

diti. Sed multam intus invenerunt latitudinem: at non perinde ii, qui circumſtabant. Tale quidpiam nunc quoque erit, ſi velimus fortiter, & viriliter ſtare adverſus illatas tentationes: ſi in Deum ſpem habeamus, erimus nos in ſecuritate, & latitudine, qui vero nos injecerint, peribunt. Nam *qui foveam fodit, incidet in eam.* (q) Licet manus vinciant, & pedes, preſſura ipſa nos abſolvere poterit. Vide rem mirabilem. Quos homines vinxerunt, hos ignis ſolvit. Quemadmodum enim ſi quis amicos ſervis tradiderit; illi amicitiam Domini reveriti, non modo illos non lædunt, ſed multo afficiunt honore; ita & ignis: quia noverat pueros illos amicos Domini ſui eſſe, illorum vincula disrupit, & ſolvit illos, ac dimiſit, atque illis pavimenti loco erat, in quo ambulabant. Et jure quidem: nam propter Dei gloriam in illum injecti fuerant. Quicunque in ærumnis ſumus, hæc retineamus exempla. At illi, inquies, ab ærumnis liberati ſunt; nos non item. Merito illi: quia non ita ingreſſi ſunt in fornacem, ac ſi liberandi eſſent, ſed ut tandem morituri. Audi enim illos dicentes: *Ecce enim Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, o rex, liberare. Quodſi noluerit, notum tibi ſit, rex: quia deos tuos non colimus, & ſtatuam tuam, quam ereхiſti, non adoramus.* (r) Nos autem quaſi Dei caſtigationibus conditionem imponentes, tempus definimus, dicentes: niſi intra hoc definitum tempus miſertus fuerit; ideoque non liberamur. Siquidem & Abraham, non quaſi ſalvum recepturus

---

(q) Eccl. 27, 29. (r) Dan. 3, 17.

pturus esset filium, sic pergebat, sed quasi mactaturus; & præter exspectationem salvum accepit. Et tu quoque cum incideris in ærumnam, ne festines liberari: præpara animum tuum ad omnem patientiam; & cito ab ærumnis liberaberis. Ideo enim illas infligit Deus, ut erudiat. Cum igitur ab initio ita constituti sumus, ut eas patienter, nec ægre feramus, dimittit demum, ubi rem probe gessimus. Tom. 11. hom. o. in Epist. ad tit. cap. 3.

XVIII.

Persecutiones patienter sustinendæ.

Recordare Lazari, & divitis illius. An non ille in hoc ævo calamitosus fuit: hic autem voluptatibus, ac luxu diffluxit? Quidnam porro illi paupertas detrimenti attulit? An non ut pugil, ac victor in Abrahæ sinum delatus est? Quidnam rursum huic, qui in purpura, & bysso requiescebat, opes profuerunt? Ubi lictores? ubi satellites? ubi equi aureis frænis insignes? ubi parasiti, & regia mensa? An non tanquam latro vinctus in monumentum abducebatur, nudam animam e mundo efferens? atque inani voce clamabat: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Quid patrem Abrahamum vocas, cujus vitam non imitatus es? ille neminem non domo excipiebat: tu ne unius quidem pauperis curam gessisti. Nec vero est, quod lugeamus, ac collacrymemur, quod is, qui tantis opibus præditus erat, aquæ guttam non est consecutus.

 Quo-

Quoniam micas pauperi minime largitus eſt, idcirco ne guttam quidem aquæ accepit: Hyemis tempore miſericordiæ ſementem non fecit, ac proinde ne æſtate quidem meſſem fecit. Quin hoc quoque certo conſilio a Domino actum eſt, ut impiorum pœna, & juſtorum requies, e regione ſitæ ſint: nimirum ut ſe ſe ipſi mutuo proſpiciant, atque agnoſcant. Tunc enim quilibet Martyr tyrannum ſuum agnoſcet, atque item quilibet tyrannus Martyrem eum, quem cruciatu affecit. Nec vero hæc a me dico. Audi enim, quid Sapientia dicat: *Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt.* (*s*) Nam quemadmodum is, qui ſervente ſole iter facit, ac ſiti flagrat, cum limpidum fontem nactus eſt, ac bibere prohibetur, magno dolore afficitur, aut rurſum quemadmodum cum quispiam ingenti fame affectus, menſæ omni eduliorum genere confertæ aſſidet; cæterum a potentiore quodam impeditur, ne menſam attingat, ac cibis fruatur; gravem dolorem, & cruciatum ſentit, quod cum menſæ accumbat, epulis tamen gaudere, vel fonti aſſidens aqua frui nequeat: eodem modo in judicii die impii ſanctos viros lætos, atque hilares conſpicient, nec tamen ipſis regia menſa concedetur . . . Quodſi hic etiam nobis mutuo congreſſu frui non licuit, at nemo illic obſtabit, quin tum una degamus, eosque, a quibus in exilium ejecti ſumus, videamus, ut Lazarus divitem, & Martyres tyrannos. Ac proinde animum non deſponde, verum hanc Prophetæ vocem in memoriam revoca. *Nolite*

(*s*) Sap. 5, 1.

Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic devorabit eos tinea. (t) Tom. 3. Epist. ad Cyriac. exulantem.

XIX.

Ærumnæ Christi, & Apostolorum.

Animadverte, quomodo Dominus, hoc est is, qui mundum continet, statim ab incunabilis exagitabatur, atque in barbarorum terram ejiciebatur: quo nos scilicet suo exemplo moneret, ne in tentationibus animis frangamur. Salvatoris passio tibi in animo versetur, nempe quot contumeliis ipse nostra causa affectus sit. Alii enim eum Samaritanum vocabant, alii arreptitium, & helluonem, & falsum Prophetam. Ajebant enim: *Ecce homo devorator, & bibens vinum.* (u) Et: *in principe dæmoniorum ejicit dæmones.* (x) Quid cum eum ducebant, & præcipitio necarent, & cum ipsius faciem conspuebant? Quid cum chlamydem ipsi imponebant, ac spinis ipsum coronabant, atque ad ipsius pedes ludibrii causa se abjiciebant, nec ullum irrisionis genus in eo prætermittebant? Quid cum alapis eum cædebant? cum acetum, & fel bibendum ei dabant? cum arundine ipsius caput feriebant, cum sanguinarii illi canes eum huc, atque illuc trahebant? Quid cum ad mortem nudus ducebatur, omnesque discipuli eum deseruerant, atque unus ex ipsis eum prodiderat, alter

(t) Isai. 51, 7. (u) Luc. 7, 34.
(x) Matth. 9, 34.

alter negaverat; alii fugam inierant, folus ipfe in media illa turba nudus ftabat? Feftus quippe dies erat, omnes tunc in unum cogens. Quid, cum tanquam nocens, & facinorofus inter facinorofos cruci affigebatur, ac, pofteaquam e cruce demiffus eft, tamdiu inhumatus jacuit, quoad, & fepultura donaretur, a quodam poftulatus eft? Recordare cum funere non elatum effe, improbumque fermonem adverfus eum diffeminatum fuiffe, nimirum eum a difcipulis fuis furreptum fuiffe, nec refurrexiffe. (y) In mentem veniant Apoftoli, qui & ipfi undecumque vexabantur, ac latebras quærebant, quod in urbibus palam verfari non poffent: quonam pacto Petrus apud Simonem coriarium delitefcebat, & Paulus apud mulierem purpurariam, quoniam de divitum erga fe animo dubitabant. (z) At poftea omnia ipfis plana, & facilia fuerunt. Ad eumdem igitur modum tu quoque animum ne dejicias. Tom. 3. ibidem.

XX.

In calamitatibus quomodo agendum.

Quoniam ficut abundant Chrifti paffiones in nobis, ita etiam per Chriftum abundat confolatio noftra. . . . . (a) Non, inquit, quanta calamitate, tanta quoque confolatione afficimur, fed multo majore. Neque enim dixit: confolatio calamitates æquat; fed abundat confolatio, ita ut certaminum tempus, aliarum rurfus coronarum tem-

(y) Matth. 28. (z) Act. 9, 43.
(a) 2. Cor. 1, 5.

tempus ſit. Quid enim, quæſo, tam amplum, ac præclarum, quam ob Chriſtum flagris cædi, & cum Deo colloqui, omnibusque robore præſtare, ac perſecutores vincere, neque ab univerſo terrarum orbe ſubigi, & expugnari poſſe, atque ejusmodi bona hinc exſpectare, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt? Quid tam egregium, quam pietatis cauſa premi, atque innumeris Dei conſolationibus frui, ac tot, tantisque peccatis liberari, & Spiritu ſancto, & ſanctitate, atque juſtitia donari, nec quemquam metuere, ac perhorreſcere, atque in ipſismet periculis quovis ſplendidiorem videri? Ne igitur in tentationibus animo dejiciamur. Nemo enim deliciis ſtudens, & dormiens, ac languens cum Chriſto ſocietatem habet; nemo eorum, qui molliter, ac remiſſe vivunt: verum is demum illi vicinus eſt, qui in calamitate, ac tentatione verſatur, atque arctum vitæ iter tenet. Nam ipſe quoque hac via inceſſit. Eamque ab cauſam dicebat: *Filius hominis non habet, ubi caput inclinet.* (b) Proinde ne animo diſcrucieris, cum calamitate premeris, animadvertens, cui communices, & quonam modo per tentationes ſcelerum maculas eluas, quantumque inde fructum referas. Nihil enim aliud grave, atque acerbum eſt, quam in Dei offenſionem incurrere. Hoc ſublato non afflictio, non inſidiæ, non aliud quidquam prudentem animam moleſtia afficere queat. Quin potius, quemadmodum, ſi exiguam ſcintillam in magnum pelagus injicias, eam

(b) Matth. 8, 20.

alter negaverat; alii fugam inierant, solus ipse in media illa turba nudus stabat? Festus quippe dies erat, omnes tunc in unum cogens. Quid, cum tanquam nocens, & facinorosus inter facinorosos cruci affigebatur, ac, posteaquam e cruce demissus est, tamdiu inhumatus jacuit, quoad, & sepultura donaretur, a quodam postulatus est? Recordare cum funere non elatum esse, improbumque sermonem adversus eum disseminatum fuisse, nimirum eum a discipulis suis surreptum fuisse, nec resurrexisse. (y) In mentem veniant Apostoli, qui & ipsi undecumque vexabantur, ac latebras quærebant, quod in urbibus palam versari non possent: quonam pacto Petrus apud Simonem coriarium delitescebat, & Paulus apud mulierem purpurariam, quoniam de divitum erga se animo dubitabant. (z) At postea omnia ipsis plana, & facilia fuerunt. Ad eumdem igitur modum tu quoque animum ne dejicias. Tom. 3. ibidem.

XX.

In calamitatibus quomodo agendum.

Quoniam sicut abundant Christi passiones in nobis, ita etiam per Christum abundat consolatio nostra. . . . . (a) Non, inquit, quanta calamitate, tanta quoque consolatione afficimur, sed multo majore. Neque enim dixit: consolatio calamitates æquat; sed abundat consolatio, ita ut certaminum tempus, aliarum rursus coronarum tem-

(y) Matth. 28. (z) Act. 9, 43.

(a) 2. Cor. 1, 5.

tempus sit. Quid enim, quæso, tam amplum, ac præclarum, quam ob Christum flagris cædi, & cum Deo colloqui, omnibusque robore præstare, ac persecutores vincere, neque ab universo terrarum orbe subigi, & expugnari posse, atque ejusmodi bona hinc exspectare, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt? Quid tam egregium, quam pietatis causa premi, atque innumeris Dei consolationibus frui, ac tot, tantisque peccatis liberari, & Spiritu sancto, & sanctitate, atque justitia donari, nec quemquam metuere, ac perhorrescere, atque in ipsismet periculis quovis splendidiorem videri? Ne igitur in tentationibus animo dejiciamur. Nemo enim deliciis studens, & dormiens, ac languens cum Christo societatem habet; nemo eorum, qui molliter, ac remisse vivunt: verum is demum illi vicinus est, qui in calamitate, ac tentatione versatur, atque arctum vitæ iter tenet. Nam ipse quoque hac via incessit. Eamque ab causam dicebat: *Filius hominis non habet, ubi caput inclinet.* (*b*) Proinde ne animo discrucieris, cum calamitate premeris, animadvertens, cui communices, & quonam modo per tentationes scelerum maculas eluas, quantumque inde fructum referas. Nihil enim aliud grave, atque acerbum est, quam in Dei offensionem incurrere. Hoc sublato non afflictio, non insidiæ, non aliud quidquam prudentem animam molestia afficere queat. Quin potius, quemadmodum, si exiguam scintillam in magnum pelagus injicias, eam

(*b*) Matth. 8, 20.

eam protinus extinxeris: eodem modo molestia omnis, quamlibet ingens, si in animum bene sibi conscium inciderit, confestim perit, & evanescit. Ideo Paulus etiam semper gaudebat, quandoquidem in iis rebus, quæ divinæ voluntati consentaneæ erant, fidentem animum gerebat, ac tot mala nequidem sentiebat: verum quamvis, ut homo dolore tangeretur, non tamen animo concidebat. Tom. 10. hom. 1. in Epist. 2. ad Cor.

XXI.

Salus nostra luculentius agitur, & augetur, dum fortiter patimur.

Quemadmodum egregius Athleta ob probam corporis habitudinem, etiam cum cernitur, atque artem in se ipso continet, homines in admirationem trahit; at cum operatur, & plagas perfert, atque adversarium ferit, tum denique potissimum elucet, quoniam tum denique bona ipsius habitudo vim suam exerit, artisque præstantia declaratur: eodem modo salus nostra tum luculentius agitur, hoc est, ostenditur, augetur, amplificatur, cum tolerat & patitur, ac cuncta forti, & strenuo animo subit. Ex quo colligitur, salutis negotium non in hoc consistere, ut quispiam alium malo afficiat, sed ut ipse afficiatur. Tom. 10. hom. 2. in Epist. 2. ad Cor.

XXII. *Af-*

XXII.

Afflictiones a peccato præservant.

Afflictio, & fastum amputat, & segnitiem omnem exscindit, atque ad patientiam instruit, ac velut inungit; rerum humanarum utilitatem detegit, atque ingentem philosophiam inducit. Omnes enim turbulenti animorum motus ipsi cedunt, invidia, æmulatio, libido, potentia, divitiarum, & corporum amor, arrogantia, fastus, ira, ac reliquum hujusmodi morborum agmen. Quod si in rebus ipsis, & privatim virum aliquem, & populum universum cernere libet, in promptu mihi erat ostendere, & qui in calamitate, & qui in quiete, atque oblectatione versati sint, ac docere, quantum illinc fructus, quantum illinc socordiæ promanarit. Etenim Hebræi, cum exagitarentur, atque incommodis, & calamitatibus afficerentur, ingemiscebant, ac Deum obsecrabant, plurimumque auxilii e cœlo pertrahebant. Cum autem incrassati sunt, recalcitrarunt. Ninivitæ rursus, cum tranquille viverent, Deum usque adeo ad iracundiam incitarunt, ut se urbem funditus deleturum minaretur. At postquam Jonæ prædicatione humiles redditi sunt, nullum non philosophiæ argumentum præbuerunt. Quodsi hominem unum privatim intueri libet, Salomonem tibi animo propone. Nam, cum hic in curia, & perturbatione versaretur, de gentis videlicet illius imperio, atque gubernatione consilia agitans, illa visione (*) dignatus est.

(*) Gabaon; ubi Deus ipsi apparuit, & cor sapiens, atque intelligens dedit, 3 Reg. 3.

est. Cum autem deliciis se dedidit, in ipsam vitii voraginem devolutus est. Quid ipsius Pater? Quonam tempore eximium, atque admirandum virum se præbebat? nonne cum in tentationibus versaretur? Absalon vero an non modeste se gerebat, dum fugeret? (*c*) Postquam autem reversus est, & tyrannidem invasit, & parricida factus est? Quid Job? Hic enim clarus erat, cum prospere ageret; clarior autem visus est post calamitatem. Quid autem prisca, & vetera commemorare attinet? nam, siquis præsentem rerum statum expendat, quantum fructus ex afflictione nascatur, perspiciet. Nunc enim cum pace fruimur, elanguimus, & defluximus, ac sexcentis ecclesiam malis implevimus. Cum autem exagitabamur, & moderatiores, & meliores, & studiosiores, & ad hosce conventus promtiores eramus. Quod enim auro ignis, hoc animis est afflictio; spurcitiem abstergens, puros efficiens, luculentos, & illustres reddens. Hæc ad regnum inducit: illa ad gehennam. Quocirca hæc quidem angusta: illa autem lata, unde etiam Christus dicebat: *In mundo pressuram habebitis:* (*d*) tanquam ingens bonum ad nos emittens. Itaque si inter discipulos censeris, arctum, & angustum iter capesse, nec indignare, atque animum despondе. Tom. 10. hom. 26. in Epist. 2. ad Cor.

XXIII.

Calamitates grato animo ferendæ.

Omnia feramus grato animo, sive sit paupertas, sive morbus, sive quidvis aliud. Nam, quæ

(*c*) 2. Reg. 13. (*d*) Joan. 16, 33.

quæ nobis conferunt, ipse Deus scit solus. Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus. Si ergo nescimus quidem petere, quod oportet, nisi spiritum apprehendimus, quomodo ea, quæ nobis conferunt, sciamus? Studeamus ergo pro omnibus offerre gratiarum actionem, omniaque forti animo feramus. Sumus in paupertate, sumus in morbo; gratias agamus. Dum calumniis appetimur, quando male patimur, agamus gratias. Hæc enim facit, ut simus Deo propingui: tunc etiam Deum habemus debitorem. Quando autem sunt res nobis secundæ, & beneficio afficimur, Deo sumus debitores. Alioquin sæpe sunt nobis in judicium, illa vero ad eluendas pœnas peccatorum. Illa attrahunt misericordiam, illa benignitatem, & clementiam. Hæc autem extollunt etiam arrogantiam, deducunt ad socordiam, & efficiunt, ut ex phantasia de nobis magna apprehendamus. Hæc nos enervant. Propterea dicebat etiam Propheta: *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* (e) Quando beneficio affectus, & a malis liberatus fuit Ezechias, in altum elatum est cor ejus: quando autem ægrotavit, tunc est humiliatus, tunc fuit Deo propinquus. Quando, inquit, occidebat eos, tunc quærebant eum, & convertebantur, & mane veniebant ad eum. (f) Et rursus, quando est incrassatus, & impinguatus, recalcitravit dilectus. *Cognoscitur enim Dominus judicia faciens.* (g) Tom. 12. hom. 33. in Epist. ad Hebr. cap. 13. num. 4.

XXIV.

(e) Psal. 118. (f) Psal. 77, 30.
(g) Deuter. 32, 15.

XXIV.

Qui in mundo non affligitur, in cœlo æterna requie non fruetur.

Magnum bonum est afflictio. Arcta enim via est. Quam ob rem afflictio nos tradit in arctam, qui non affligitur, non potest intrare. Qui enim in arcta se ipsum affligit, & premit, is est etiam, qui fruitur requie. Qui autem se ipsum dilatat, neque ingreditur, & premitur, tanquam cuneo, ut ita dicam, pulsus. Audi, quomodo hanc arctam viam ingressus est Paulus: *Castigo corpus meum*, inquit, *& in servitutem redigo.* (*h*) Castiga corpus, ut possis intrare. Propterea in omnibus afflictionibus Deo perpetuo agebat gratias. Pecuniis es mulctatus? hoc latitudinis multum tibi attulit. A gloria excidisti? alia latitudo. Calumniis es appetitus: credita fuere, quæ adversus te sunt dicta, quorum non eras tibi conscius? Lætare, & exulta. *Beati enim*, inquit, *estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum contra vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* (*i*) Quid miraris, si tristitia afficeris, & vis liberari a tentationibus? Paulus voluit liberari, & sæpe Deum rogavit, nec impetravit. Illud enim, *ter Dominum rogavi*, sæpe significat. *Et dixit mihi*, inquit, *sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* (*k*) Infirmitatem hic dicit afflictiones. Quid vero? quo-

(*h*) 1. Cor. 9, 29. (*i*) Matth. 5, 11.
(*k*) 2. Cor. 12, 19.

quoniam hæc audivit, grato animo hæc tulit, & dixit: *propterea libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis:* hoc est, mihi placeo, & quiesco in afflictionibus. Pro omnibus ergo agamus gratias, pro rebus secundis, & pro afflictionibus. ib.

XXV.

Calamitates Christianis necessariæ.

Ærumna . . & tribulatio vinculum quoddam firmissimum est, charitatis accretio, compunctionis, & pietatis occasio. Audi enim dicentem Davidem: *Bonum mihi Domine, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas:* (*l*) & iterum alium prophetam dicentem: *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* (*m*) Et rursus: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine.* (*n*) Et alium quemdam: *Disciplinam Domini ne abjicias.* (*o*) Et, ascendens ad servitutem Domini, præpara *animam tuam ad tentationem.* (*p*) Et Christus rursus discipulis suis dicebat: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite.* (*q*) Et rursus: *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* (*r*) Et rursus: *Angusta porta, & arcta via est.* (*s*) Vides ubique laudari tribulationem? ubique commendari, tanquam eam, quæ nobis sit, necessaria? Nam, si in mundanis certaminibus sine ea nemo coronam accipit, nisi & laboribus, & ciborum absti-

(*l*) Psal. 118, 71. (*m*) Thr. 3, 27.
(*n*) Psal. 93, 12. (*o*) Prov. 3, 11.
(*p*) Eccli. 2, 1. (*q*) Joan. 16, 33.
(*r*) Ib. v. 20. (*s*) Matth. 7, 14.

ſtinentia, & tota victus ratione, & vigiliis, & ſexcentis aliis incommodis ſe munierit; multo magis hic. Quem enim mihi afferes? Regemne? At neque ille vitam curis ſolutam vivit, ſed multis moleſtiis, atque angoribus refertam. Non enim ad diadema ſpectes, ſed ad ſollicitudinum procellam, unde illi tumultus maximus exoritur: non ad purpuram, ſed ad animam illa ipſa purpura nigriorem. Non æque corona ligat caput, atque animam ſollicitudo. Non ad ſatellitum numerum ſpecta: ſed ad ægritudinum multitudinem: nullam enim privatam domum tot curis abundantem reperias, quot regiam .... Sed nos etiam ærumnis afficimur; non iisdem ex rebus, ex quibus Reges, ſed unde magnum etiam facere poſſumus quæſtum: *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* (t) Pro his rebus mœrendum eſt, pro his dolendum, pro his ægritudo ſuſcipienda. Ita mœrebat Paulus, ita lugebat pro iis, qui peccabant. *Ex multa enim*, inquit, *tribulatione, & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas.* (u) Nam quando nihil erat, cur pro ſuis lugeret, pro alienis hoc faciebat: vel potius quantum ad luctum hauriendum pertinet, propria illa ducebat. Cæteri incidebant in ſcandalum, & ipſe urebatur: cæteri lugebant, lugebat & ipſe. Bona eſt hæc ægritudo; hæc omni mundano gaudio potior. Eum, qui ita lugeat, omnibus ego hominibus præpono: atque adeo ipſe etiam Dominus hos beatos prædicat, hos, qui alienum dolorem, ut ſibi communem

(t) 2. Cor. 7, 10. (u) Ib. 2, 4.

munem lugent. Tom. 11. hom. 15. in Epist. ad Philipp. cap. 4.

XXVI.

Ad vitam æternam non nisi per ærumnas pervenitur.

Ad breve tempus in terra laboremus, ut perpetuo nos oblectemus in cœlis. In caduca hac vita nos ipsi affligemus, ut in infinita illa requiem consequamur; non diffluamus deliciis in hac brevi, ne in illa infinita suspiremus. An non videtis, quot homines hic etiam rerum ad hanc vitam pertinentium causa angantur? Existima te quoque unum ex illis esse, & fer ærumnam, ac dolorem, spe futurorum bonorum nutritus. Non tu es Paulo melior, non Petro, quibus nunquam otium datum est; qui in fame, & siti, & nuditate totam vitam confecerunt. Si eadem, atque illi, vis consequi; cur non contrariam insistis viam? Si ad civitatem illam vis pervenire, qua illi digni facti sunt; illam persequere viam, quæ illuc fert. Non illuc otii fert via, sed ærumnæ. Illa lata, hæc angusta est. Hac iter faciamus, ut consequamur æternam vitam in Christo Domino Jesu, Amen.

XXVII.

In Calamitatibus gaudendum. — Dolor de peccatis gaudium parit.

Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete. (x) cum Christus dicat, beati, qui lugent,

(x) Philipp. 4, 4.

lugent, & væ ridentibus; quid nunc significans Paulus ita inquit: *Gaudete in Domino semper?* (y) Non ſane adverſatur Chriſto, abſit. Væ enim, dixit Chriſtus, ridentibus riſum mundi hujus, qui ex rebus præſentibus oritur: & lugentes beatos prædicavit, non quovis modo lugentes ex rerum ſuarum amiſſione, ſed eos, qui ſua lugent mala, qui peccata ſua expendunt, aut etiam aliena. Non eſt autem ejusmodi luctui contrarium hoc gaudium, quin immo a luctu illo gaudium hoc procreatur. Nam, qui luget ſua mala, & confitetur, is gaudebit. Præterea vero licet lugere quidem propter peccata ſua, gaudere autem Chriſti cauſa. Quoniam igitur vexabantur rerum moleſtarum perpeſſione: *vobis enim datum eſt*, inquit, *pro Chriſto non ſolum, ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini;* (z) propterea, inquit, *in Domino gaudete.* Idem enim ſignificat, ac ſi dixiſſet: Talem vitæ rationem oſtendite, ut gaudendum ſit. Quando igitur, quæ ad Deum pertinent, nullum apud vos impedimentum habuerint, gaudete. Ergo vel hoc dicit, vel vocula illa *in* valet idem, atque *cum*, id eſt cum Domino ſemper: *rurſus dico gaudete.* Hoc valde fidentis eſt, atque oſtendentis, ei, qui in Deo eſt, ſemper gaudendum eſſe, etiamſi prematur, ac quidvis patiatur: hic ſemper gaudeat. Audi enim Lucam de Apoſtolis dicentem: *Ibant gaudenter a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Si verbera, & vincula, quæ cæteris

(y) Matth. 54. Luc. 6, 25. (z) Philipp. 1, 29.

teris videntur molesta, gaudium pariunt, quid tandem erit aliud, quod nobis dolorem afferre queat? Tom. 11. hom. 14. in Epist. ad Philpp. cap. 4.

XXVIII.

Calamitatum dignitas.

Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea: (a) id est, vexationes, & calamitates hujusmodi reddunt imaginem quamdam illius mortis. Non enim, quod suum est, quærebat (*); sed quod multis prodesset. Quam ob rem & vexationes, & incommoda, & angustiæ, tantum abest, ut nos perturbare debeant, ut potius inde lætandum sit; quod per hæc conformes reddimur morti ejus: perinde ac si diceret, ad illius similitudinem fingimur: quod & alibi inquit, ita scribens: *Mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes.* Id vero ex magna fide fit. Non enim solum resurrexisse credimus; sed etiam post resurrectionem habere magnam potentiam. Propterea eadem via iter facimus, qua ille: id est, hac etiam ex parte fratres illius efficimur: perinde, ac si diceret: Ex hac re efficimur Christi quidam. Papæ! quanta est ærumniarum dignitas! credimus conformes nos fieri morti ejus per ærumnas. Nam quemadmodum in baptismo *consepulti sumus similitudini mortis ejus;* (b) (*) ita hic

(a) Coloss. 1, 24. (*) Paulus. (b) Coloss. 2, 22. (*) Vulgata habet: *Consepulti ei in Baptismo.* Et Rom. 6, 4. *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem.*

hic eidem morti conformes reddimur. Ibi merito dixit: Similitudini mortis ejus; non enim totam mortem obivimus; non corpore, & carne mortui sumus, sed peccato. Quoniam igitur mors utrobique dicitur; sed ille quidem corpore mortuus est, nos autem peccato: & illic homo mortuus est, quem ipse assumserat, qui in corpore nostro fuit; hic vero homo peccati: propterea ibi quidem inquit, similitudini mortis ejus; hic vero non jam similitudini mortis, sed ipsimet morti. Tom. 11. hom. 11. in Epist. ad Philipp. cap. 3.

XXIX.

Afflictiones ex amore Christi patienter ferendæ.

Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. (c) Hoc est, licebat ei nihil pati, si voluisset. Neque enim peccatum fecit, neque inventus est dolus in ore ejus, sicut ipse quoque dicit in Evangelio: *Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.* (d) Erat ergo ei promptum, si voluisset non venire ad crucem. *Potestatem enim*, inquit, *habeo ponendi* animam meam, *& potestatem habeo iterum sumendi eam.* (e) Si ergo, qui minime necesse habebat crucifigi, propter nos fuit crucifixus: quanto magis par est, ut nos omnia fortiter feramus? Qui proposito, inquit, sibi gaudio sustinuit mortem, probro contempto. Quid est probro contempto? Probrosam, inquit, elegit mor-

(c) Hebr. 12, 2. (d) Joan. 14, 30.
(e) Ib. 10, 18.

mortem. Esto enim, inquit, est mortuus, cur ignominiose? Non propter aliud, quam nos docens, ut gloriam, quæ ab hominibus datur, nihili ducamus. Propterea, cum non esset peccato subjectus, eam elegit, erudiens nos, ut adversus eam simus audaces, & eam nihili faciamus. Quare non dixit tristitia, sed confusione, seu probro? Quoniam non hoc ferebat cum tristitia. Quis autem sit finis, audi. *Atque in dextra sedis Dei sedet.* (*f*) Vides prœmium certaminis, quod Paulus quoque scribens dicit: *Propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.* Dicit, quod est secundum carnem. Atque maxime quidem, etiamsi nullum esset propositum prœmium certaminis, sufficeret exemplum ad persuadendum, ut omnia nostra sponte sustineremus. Nunc autem nobis etiam proponuntur prœmia, non quælibet, sed magna, & ineffabilia. Quam ob rem nos quoque, cum aliquid tale passi fuerimus, ante Apostolos Christum cogitemus. Quare? quia tota ejus vita plena fuit contumeliis. Semper enim male audiebat, ut, qui vocaretur furiosus, seductor, & præstigiator: & aliquando quidem dicebant judæi: *Non est hic homo a Deo;* (*g*) aliquado autem: *Non, sed seducit turbas.* (*h*) Et rursus: *Seductor ille dixit adhuc vivens, post tres dies resurgam.* (*i*) Præstigiarum quoque, & magicæ artis eum accusabant, dicentes: *In Beelzebub*

 prin-

(*f*) Hebr. 12, 2. (*g*) Joan. 7, 11.
(*h*) Ib. 12. (*i*) Matth. 27, & 12, 24.

principe dæmoniorum ejicit dæmonia, (*k*) & quod insaniret, & haberet Dæmonium. *Nonne bene dicebamus*, inquit, *quod habet dæmonium*, *& insanit?* (*l*) Et hæc ab illis audiebat, cum eos beneficiis afficeret, miracula faceret, Dei opera ostenderet. Tom. 12. hom. 29. in Epist. ad Hebr. c. 12.

XXX.

Calamitates nobis non nocent.

Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. (*m*) Ac si diceret: si es, inquit, discipulus, imitare magistrum; hoc enim est discipuli. Si autem ipse quidem venit per afflictionem, tu autem per quietem, & remissionem, non eadem via ingrederis, qua ille est ingressus, sed alia. Quomodo ergo sequeris, non sequens? Quomodo es discipulus, non sequens magistrum? Hoc Paulus quoque dicit: *Nos infirmi, vos autem fortes: nos ignobiles; vos autem nobiles.* (*n*) Aut quomodo est rationi consentaneum, nos æmulari contraria? & vos quidem esse discipulos, nos autem magistros? Magna res est afflictio, o dilecti! duo enim efficit, eaque maxima: & peccata delet, & facit fortes, & robustos. Quid vero, inquit, si everterit, & perdiderit? Non hoc facit afflictio, sed nostra ignavia. Quomodo, inquit? Si sobrii simus, si Deum rogemus, ut non sinat, nos tentari plus, quam ferre possimus, si ei semper adhæreamus;

(*k*) Luc. 11, 15. (*l*) Joan. 10, 20.
(*m*) Matth. 10, 38. (*n*) 1. Cor. 4, 19.

mus; fortiter ſtabimus, & aciem dirigemus. Quamdiu enim habuerimus Adjutorem, etiamſi omnibus ventis vehementius ſpirarint tentationes, erunt nobis palea, & folium, quod leviter, & temere fertur. Audi Paulum dicentem: *In his omnibus ſuperamus.* (o) Et rurſus: *Existimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (p) Et rurſus: *Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* (q) Vide, quanta pericula, naufragia, frequentes afflictiones, &, quæ ſunt hujusmodi, vocat levia. Æmulare hunc Adamantem hoc corpore leviter, & temere indutum. Tom. 12. hom. 28. in Epiſt. ad Hebr. c. 12.

XXXI.

Calamitates nobis neceſſariæ.

In mundo preſſuram habebitis, (r) Chriſtus quoque dicit. Et rurſus: *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* (s) Et quod arcta ſit via, & anguſta, quæ ducit ad vitam, dicit ipſe viæ Dominus: tu autem quæris latam? Et quomodo non eſt hoc abſurdum? Propterea vitam non aſſequeris, qui alia ingrederis, ſed interitum: eam enim elegiſti, quæ fert illuc. Vis dicam, & in medium adducam eos, qui vitam egerunt in deliciis? Ab ultimis aſcendam ad primos. Dives, qui ardebat in camino, qui

 ven-

(o) Rom. 8, 37. (p) Ib. v. 18. (q) 2. Cor. 4, 17.
(r) Joan. 16, 33. (s) Ib. v. 20.

ventri vivunt, Judaei, quorum Deus venter est, qui in solitudine semper quaerebant otium, & requiem, cur perierunt? Sicut, qui erant tempore Noe, an non propterea, quod vitam elegerunt lautam, & dissolutam? Et, qui in Sodomis, propter ingluviem. *Ecce*, inquit, *haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia, saturitas panis, & abundantia:* de iis dicit, qui agebant Sodomis. Si autem saturitas panis tantum malum fecit, quid dixerimus de aliis placentis, & bellariis? Esau an non erat in quiete, & otio? quid vero illi ex filiis Dei, qui viderunt mulieres, & deturbati sunt per praecipitia? quid vero ii, qui in masculos insaniebant? omnes autem Reges gentium, Babyloniorum, & Ægyptiorum, an non male vitam finierunt? an non sunt in tormentis? Sed, quae nunc fiunt, dic mihi, nonne sunt hujusmodi? Audi Christum dicentem: *qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt;* (t) qui autem non talibus vestiuntur, in coelis. Nam vestis mollis etiam austerum animum dissolvit, & frangit, ac diffundit: & licet corpus acceperit asperum, & durum, id molle per delicias reddit, & imbecillum.

MAR-

(t) Matth. 11, 0.

MARTIUS.

DE DILECTIONE DEI, ET PROXIMI.

I.

Deus amandus, quia nos amat.

Quid non fecit Deus, ut diligeretur a nobis? Quid non molitus est? quid prætermisit? Ipsum nihil nos lædentem contumelia affecimus, immo mille beneficiis ab illo acceptis, vocantem, & undique attrahentem aversati sumus; & neque sic ille nos ultus est: verum occurrit iste, ac fugientes detinuit; at nos excussimus, & ad diabolum transfugimus. Neque tamen ille ita destitit: sed sexcentos misit, qui nos advocarent, Prophetas, Angelos, Patriarchas. Nos autem non modo legationem illam non admisimus, sed venientes contumelia affecimus. Neque tamen ille nos respuit: sed instar vehementissimorum amatorum, qui despiciuntur, circuiens apud omnes conquerebatur, apud cœlum, terram, Jeremiam, Michæam; non, ut oneri esset, sed ut sese purgaret: ac cum Prophetis ipse illos adibat, qui se aversabantur, rationes reddere paratus, & rogans, ut secum rationes inirentur, & surdos ad alloquium alliciens: *Popule mi*, inquit, *quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

mihi. (u) (*) Post hæc omnia prophetas occidimus, lapidavimus, innumera alia perpetravimus mala. Quid ergo horum causa fecit? Non ultra Prophetas, non Angelos, non Patriarchas, sed ipsum filium misit. Veniens filius occisus est: neque tamen ille amorem extinxit, sed magis accendit, & post occisum filium hortando perseverat, precatur, nihilque non agit, ut ad illum convertamur. Clamat vero Paulus dicens: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo per nos exhortante:* (**) *reconciliamini Deo.* (x) At nihil horum nos reconciliavit. Ille vero neque sic nos dereliquit, sed pergit semper & gehennam comminari, & regnum polliceri, ut nos vel sic attrahat. Nos autem quasi stupidi adhuc manemus. Quid hac feritate deterius? Si enim homo talia fecisset, an non in servitutem ejus sæpe versi essemus? Deum autem id facientem aversamur. O ignaviam! O ingratum animum! qui semper in peccatis, & sceleribus vivimus; si vero, quandoque tantillum boni facimus, instar ingratorum servorum accurrate illud examinamus, & computamus pro mercede accipienda, si tamen id mercedem mereatur. Atqui major est merces, cum non mercedis causa hoc facis. Nam illa dicere, & accurate computare, mercenarii potius est, quam grati famuli. Oportet enim omnia propter

(u) Mich. 6, 3.

(*) Vulgat. *Popule meus, quid fieri tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.*

(**) Vulgat. *obsecramus pro Christo, reconciliemini Deo.*

(x) 2. Cor. 5, 20.

ter Christum facere, non propter mercedem: ideo enim gehennam comminatus est, & regnum promisit, ut a nobis amaretur. Tom. 9. hom. in epist. ad Rom. 5.

II.

Vera Dilectio Dei, quæ. — Petri pænitentia orta ex charitate Dei.

Amemus Deum, ut amare oportet. Hæc magna merces est, hoc regnum, & voluptas, hoc deliciæ, & gloria, & honor; hoc lux, hoc immensa beatitudo, quam nec oratio declarare, nec mens capere possit. Verum nescio, quo pacto in hujusmodi sermonem deductus sim, qui jubeam homines, nec principatum, nec gloriam præsentem despicientes, regnum præsens propter Christum despicere; etiamsi illi magni, & generosi viri (*) ad hanc amoris mensuram pertigerint.

Audi igitur, quomodo Petrus pro illo ardeat, illumque & animæ, & vitæ suæ, & omnibus præferat. Et, cum illum abnegasset, non propter supplicium lugebat; sed quia dilectum negaverat, quod omni supplicio acerbius illi erat. Hæc, quæ omnia ante Spiritus gratiam exhibuit, agebat, sæpeque instabat, dicens: *Quo vadis?* & antea: *ad quem ibimus;* ac rursus: *sequar te, quocunque ieris.* Omnia enim ipse illi erat, ac neque cœlum, neque regnum cœlorum dilecto præferebat. Tu enim mihi illa omnia es, inquit. Et quid miraris, si Petrus ita affectus erat? Nam audi, quid Propheta

(*) Sc. Apostoli.

ta dicit: *Quid enim mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram?* id est, nec eorum, quæ sursum, nec, quæ deorsum sunt, aliud volo præter te. Hoc amor est, hoc dilectio. Si ita amemus, nec præsentia, nec futura quidquam esse præ amore illo putabimus, & hinc regnum consequemur, in ejus amore lætantes. Et quomodo, inquies, hoc erit? Si cogitemus, quomodo illum contumelia affecerimus, post innumera collata bona: ipse vero hortando perseveraverit: quoties illum prætereamus; ipse vero nos non negligat, sed accurrat, & alliciat, atque ad se trahat. ib.

III.

Ubi amor, ibi nullus labor.

Servivit Jacob pro Rachel annis septem, & erant coram eo, quasi dies pauci, eoquod ipse illam diligeret. (*) Septem, inquit, anni pauci dies videbantur ob ingentem erga puellam amorem. Quando enim, quis sauciatur caritatis desiderio, nihil difficile spectat; sed id, quod fuerit plenum periculis, & multa miseria, leviter fert, ad hoc unum respiciens, quomodo suo potiatur voto, & desiderio. Audiamus nos ignavi, & supini, ingratum erga Deum animum exhibentes. Nam si justus ille ob puellæ amorem septennium servire, ferreque pastoralium laborum ærumnas decrevit, & non sensit vel labores, vel temporis longitudinem: sed omnia ei levia & facilia videbantur, eoquod exspectatione, & spe fruendi fultus esset, ita ut dies paucos longum illud tempus putaret; qualem nos excusationem habebimus, qui

(*) Genes. 29, 20.

qui non pari ſtudio erga dominum noſtrum, & benefactorem, & curatorem, & qui nobis ſit omnia, afficimur? Sed ubi proponitur lucrum temporale, omnia alacriter ſuſtinere volumus; etiamſi quid laborioſum ſit, & valde ærumnoſum, & ſordidum, & pœnam in præſenti, & futuro ſæculo præbens: propter noſtram autem ſalutem, &, ut ſupernum nobis favorem concilliemus, remiſſi, & ſupini, & diſſoluti videmur. Et qualis nobis erit venia? qualisve excuſatio ſic negligentiæ deditis? qui neque quantum beatus ille in puellæ amorem, tantam in Deum charitatem habemus? idque cum tanta poſſimus numerare beneficia in nos collocata, & quæ quotidie collocantur? Sed etſi nos tam ingrati ſimus, non ita certe beatus Paulus, qui tam acriter fervebat, & ignitus erat charitate in Deum; ut verba illa tanto animo digna loqueretur, & clamaret, dicens: *Quis nos ſeparabit a Charitate Dei?* (y) Vide dictionis emphaſin, & latentem vim: vide amoris violenti fervorem, vide charitatem incenſam. *Quis nos ſeparabit?* Quid, inquit, eſt, quod poſſit nos a charitate Dei ſeparare: quid inter viſibilia, quid inter inviſibilia? Tom. 4. in cap. 29. Gen. hom. 55.

IV.

Deum ſincere diligit, qui etiam Proximum ſuum diligit.

Deum ſincere diligimus, ſi propter charitatem in eum, & erga conſervos multam exhibeamus

(y) Rom. 8, 35.

beamus dilectionem. *In his enim duobus mandatis*, inquit, universa *lex*, *& Prophetæ pendent*: (z) (*) nempe ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum sicut te ipsum. Hæc omnium virtutum summa, hoc fundamentum est. Simul enim cum charitate in Deum ingreditur dilectio proximi. Nam, qui Deum diligit, non despiciet fratrem: neque opes pluris, quam membrum suum faciet, sed magnam præsefert benignitatem, memor ejus, qui dixit: *Qui fecerit uni horum minimorum, mihi fecerit.* (a) (**) Et cogitans propter ministerium in conservum, Deum ipsum esse, qui, ut sibi præstitum officium adscribat, magna cum charitate omnia operabitur, magnamque liberalitatem exhibebit circa eleemosynam, non ad utilitatem respiciens pauperis, qui apparet, sed ad magnitudinem ejus, qui promisit se habiturum, perinde ac si sibi facta essent, quæcunque illi facta fuerint. Ne igitur prætereamus simpliciter, oro, lucrum nostrarum animarum, & remedium nostrorum vulnerum. Hoc enim, hoc maximum pharmacum ita curabit, & abolebit ulcera animarum nostrarum, ut neque vestigium, neque cicatrix aliqua apparitura sit. Tom. 4. in cap. 29. Genes. hom. 55.

V. *Aman-*

(z) Matth. 22, 40.
(*) Vulgat. *Universa lex pendet, & Prophetæ.*
(a) Ib. 25, 40.
(**) Vulgat. *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

V.

Amandus Deus etiam in adversis.

Multos video, qui, cum vel filio vel uxore ægrotante aliquid solatii accepere, majorem erga Deum pietatem exhibuerunt. Etiamsi vero non exaudiamur, in gratiarum actione, & laude perseverare par est. Hoc quippe fidelium servorum est, hoc diligentium, & Dominum, ut par est, amantium, ut non modo in tranquillitate, sed etiam in ærumnis ad illum accurrant: hæc quippe sunt Dei providentiæ opera: *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem suscipit.* (b) (*) Qui autem illum in tranquillitate solum colit, non tanti amoris signa exhibet, neque pure Christum amat. Ecquid de valetudine, de opibus loquar? quid de paupertate, & morbo? licet enim gehennam, licet aliud quippiam gravissimum audieris; neque sic a Deo laudibus celebrando absistendum; sed omnia pro ejus dilectione ferenda. Hoc fidelis servi, hoc constantis animi est. Qui hoc affectus modo est, & præsentia facile sustinebit, & futura consequetur bona, & multa apud Deum fiducia fruetur. Tom 8. hom. in Joann. 35.

V. *Bre-*

(b) Heb. 12, 6.

(*) Vulgat. *Quem enim diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.*

VI.

Brevi tempore poteſt deliĉtorum remiſſio impetrari per amorem.

Latro, qui multa fecerat homicidia, in uno temporis punĉto, propter pauca verba ita omnia abluit peccata, ut audiret a Domino: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Sic & Publicanus, qui percuſſerat peĉtus, & ſua peccata confeſſus erat, deſcendit juſtificatus magis, quam Phariſæus. Verum omnes hi animæ ſuæ bonum affeĉtum declararunt, & priora confeſſi peccata, remiſſionem obtinuerunt. Tom. 4. in cap. Geneſ. 29. hom. 55.

VII.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. (c) Vides prudentiam apoſtolicam? Non dixit, Scio, ſed ſcimus, ut ipſos ad aſſenſum præbendum orationi pelliceret, quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Animadverte, quam accurate loquatur Apoſtolus. Non dixit, qui Deum diligunt, evitant mala, liberantur a tentationibus; ſed, ſcimus, inquit, hoc eſt, perſuaſum nobis eſt, certiores faĉti ſumus, ipſa rerum experientia edoĉti demonſtrationes accepimus: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur*

(c) Rom. 8, 28.

rantur in bonum. Quantam huic brevi dictioni vim inesse arbitramini? *omnia*, inquit, *cooperantur in bonum.* Noli enim mihi hujus vitæ commoda commemorare, neque jucunditatem tantum, aut securitatem animo volvas, sed etiam contraria, carceres, tribulationes, insidias, quotidianos incursus, ac tum dictionis vim accurate cognosces . . . . Ergo possumus nos quoque, si sapimus, ac vigiles sumus, non modo cum res secundæ sunt, sed etiam cum affligimur, lucrum acquirere, ac tum etiam magis, quam cum secundis rebus fruimur. Inertiores enim plerumque nos reddunt secundæ res: afflictiones autem, dum vigiles nos reddunt, auxilium nobis cœleste conciliant, ac tum præcipue, cum propter spem in Deum patientiam, & in omnibus, quæ inferuntur, afflictionibus tolerantiam exhibemus. Ne igitur doleamus, si quando tribulemur, sed potius gaudeamus; id enim nobis in occasionem gloriæ vertit. Propterea Paulus etiam dicebat: *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Tom. 3. hom. in illud: *Diligentibus Deum &c.*

VIII.

Amore Dei calamitates hujus vitæ patienter ferendæ. — Cur tentationes permittat Deus.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. (*d*) Hanc sententiam, quæso, nos omnes menti nostræ insculptam habentes, nunquam in-

 digne-

(*d*) Rom. 8, 28.

dignemur, ſi quando in caſus aliquos adverſos incurrerimus, dum in hac vita verſamur, aut in calamitates, aut in corporis ægritudines, aut in res alias moleſtas, ſed multam exhibentes moderationem animi, ac philoſophiam, cuivis tentationi reſiſtamus: cum nobis exploratum ſit, omni ex parte nos poſſe lucrum reportare, ſi vigiles, & attenti fuerimus, atque ex tentationibus potius, quam ex rebus ſecundis proficere: nec unquam animo concidamus, cogitantes, quantum ſit patientiæ lucrum. Sed nec illis ſimus infenſi, qui tentationibus nos divexant. Licet enim illi etiam, ut conſilium ſuum expleant, id agant; communis tamen Dominus hoc permittit, quod nos velit hac ratione ſpiritualem hunc quæſtum facere, ac patientiæ mercedem obtinere. Si ergo, quæ inferuntur mala cum gratiarum actione perferre poſſimus, non exiguam delictorum noſtrorum partem delebimus. ſi enim Theſaurum hunc, & orbis terrarum Doctorem (*) quotidie periculis objici, cum videret Dominus, permittebat, non quod athletham ſuum deſpiceret, ſed quod longius illius virtuti ſtadium ſterneret, ut ſplendidiores illi coronas redderet, quid nos dicemus, qui peccatis ſcatemus innumeris?

Idcirco frequenter tentationibus conflictamur, ut cum eorum cauſa pœnas dederimus, ſaltem aliquam miſericordiæ partem exiguam impetremus, & in illo die tremendo bonis illis ineffabilibus perfruamnr? Hæc autem cum animis noſtris reputantes, adverſus omnia conſtanter patien-

(*) Sc. Paulum.

patienterque resistamus, ut & tolerantiæ mercedem a benigno Domino recipiamus, & peccatorum nostrorum multitudinem imminuere possimus, & æterna bona consequi gratia, & benignitate Domini nostri Jesu Christi, Amen. Tom. 3. hom. in illud : *Diligentibus Deum &c.*

IX.

Deus quomodo diligendus.

Nihil non agit Deus, ut diligatur a nobis; ideoque nec filio suo pepercit. At nos immites, ac crudeles sumus. Sed simus tandem mansueti, diligamusque Deum, ut diligere par est, ut cum voluptate virtute fruamur. Si enim, qui mulierem habet dilectam, nihil sentit ex iis, quæ quotidie tristia accidunt: qui hoc divino, ac puro amore tenebitur, cogita, quanta fruatur voluptate. Hoc enim, hoc, inquam, regnum cœlorum est, hoc bonorum fruitio, hoc voluptas, hoc lætitia, hoc gaudium, hoc beatitudo; imo, quidquid dixero, nihil unquam potero dignum afferre: sola experientia hoc docere bonum potest. Ideo dicebat Propheta: *Delectare in Domino; Gustate, & videte, quam* (*) *suavis est Dominus.* (e) Obsequamur ergo, & delectemur in ejus dilectione. Sic enim hic jam regnum cœlorum videbimus, & vitam vivemus angelicam: atque in terra versantes, nihil minus habebimus, quam ii, qui in cœlo habitant; & postquam hinc migraverimus, omnium splendidissimi ante tribunal Christi sistemur

(*) Vulgat. *Quoniam.* (e) Psal. 33, 9.

mur, ineffabilique gloria fruemur. Tom. 9. hom. 23. in epist. ad Rom.

X.

De Charitate Proximi.

Charitas discipulorum Domini imago est, servorum Dei character, indicium Apostolorum: *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quod* (*) *discipuli mei estis:* in quo, dic mihi? Num quod mortuos suscitetis, leprosos mundetis, aut dæmones expellatis? Minime, inquit, sed his omnibus prætermissis: *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si vos invicem diligatis.* (*f*) (**) Illa quippe unius supernæ gratiæ dona sunt, hoc autem humanæ etiam diligentiæ est opus. Generosum autem non tam cœlitus data munera secernere solent, quam propriis laboribus edita opera: quare non a signis, sed a dilectione discipulos suos internosci, Christus ait. Hac enim præsente, nulla philosophiæ possidenti deficit; sed universam ille, perfectamque virtutem obtinet, quemadmodum hac absente vacuus bonis omnibus est. Quapropter Paulus ipsam laudat, verbisque extollit; immo quantumvis dixerit, non ad dignitatem ejus attingit. Quid enim huic par esse possit, quæ Prophetas, totamque legem continet, & sine qua non fides, non scientia, non mysteriorum cognitio, non ipsum martyrium, non aliud quidpiam his potitum salva-

(*) Vulgat. *Quia.* (*f*) Joan. 13, 35.
(**) *Si dilectionem habueritis ad invicem.*

salvare valeat? *Nam si tradidero*, inquit, *corpus meum, ut ardeam* (*), *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* (g) Et alibi rursum eam omnibus majorem, & bonorum esse caput ostendit, dicens: *Sive Prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur: manent autem fides, spes, & charitas, tria hæc; major autem horum est charitas.* (*h*) Tom. 1. hom. 1. de incomprehens. Dei natura.

XI.

Causæ, ob quas alius alium diligere debemus.

Charitate fraterna (**) *invicem diligentes.* (*i*) Fratres, inquit, estis, & eosdem partus solvistis: ideoque justum esset, ut vos mutuo diligeretis. Hoc & Moyses dicebat iis, qui in Ægypto altercabantur: *Fratres estis; cur vobis injuriam mutuo infertis* (*k*) (***)? Quando igitur de externis dicit, sic loquitur: si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habetote. Quando autem de suis agit, *Charitate fraterna*, inquit, *invicem diligentes.* Illic enim expetit, ut non pugnemus, nec odio habeamus, vel aversemur; hic vero, ut amemus, nec simpliciter, ut amemus; sed etiam affectu amplectamur. Non solum enim, inquit, oportet non simulatam esse dilectionem, sed intensam, ferventem, ignitam. Quæ enim utilitas, inquit, si

(*) Vulgat. *Ita, ut ardeam.* (g) 1. Cor. 13, 3.
(*h*) Ib. v. 8. & 13. (**) Vulgat. *Fraternitatis.*
(*i*) Rom. 12, 10. (*k*) Exod. 2, 13.
(***) Vulgat. *Dixitque ei, qui fecit injuriam, quare percutis proximum tuum?*

ſi amas quidem ſine dolo, ſed non ferventer? quam ob rem dixit: *invicem diligentes*; id eſt, ferventer dilige. Ne exſpectes, ut diligaris ab altero; ſed tu potius ad illum proſili, & incipe. Sic etiam ipſius dilectionis mercedem recipies. Tom. 9. hom. 21. in epiſt. ad Rom.

XII.

Quo pacto proximus diligendus.

Cum dixiſſet (*) cauſam, cur debemus alter alterum diligere, dicit, quo pacto dilectio noſtra immota maneat: *Honore invicem prævenientes.* (l) Ita enim dilectio, & naſcitur, & poſtea perſeverat. Nihil certe ita facit amicos, ac ſi ſtudeamus proximum honorando vincere. Nec dilectio tantum, ſed etiam honor inde major evadit. Nam, quæ prius dicta ſunt, a dilectione naſcuntur, dilectio autem ab honore, ut & honor a dilectione. Deinde, ut non tantumodo honoremus, aliud quidpiam amplius expetit: *Sollicitudine non pigri.* (m) Nam & hoc dilectionem parit, quando cum honore patrocinium exhibemus; nihil enim ita dilectionem parit, ut honor, & patrocinium. Non enim ſatis eſt diligere, ſed hoc etiam addendum; imo potius hoc ex dilectione gignitur, ut & dilectio ab hoc fovetur, & utraque ſeſe mutuo confirmant. Nam multi ſunt, qui animo quidem amant, nec manum porrigunt. Ideo undique ad dilectionem excitat. Ibidem.

XIII.

(*) Paulus. (l) Rom. 12, 10.
(m) Ib. v. 11.

XIII.

Dilectio proximi debet esse fervens.

Et quomodo erimus *solicitudine non pigri? Spiritu ferventes.* (*n*) Vide, quomodo ubique vehementiam requirat. Neque enim dixit, date tantum; sed addidit, largiter; neque patrocinamini; sed cum sollicitudine; neque misereremini tantum; sed & hilariter; neque honorate solum; sed & patrocinamini; nec diligite modo, sed sine simulatione; neque abstinete a malis, sed & odio habete: neque adhærete solum bonis; sed & conglutinemini; neque tantum diligite; sed cum amabili complexu; neque studete; sed etiam non pigre; neque spiritum habete, sed spiritum ferventem; id est, ut sitis ardentes, & concitati. Nam si prædicta illa habeas, spiritum attrahes; si hæc apud te maneant, te ad illa studiosum constituent, omniaque tibi facilia a Spiritu, & dilectione reddentur, cum utrinque incensus eris. Non vides tauros flammam in dorso gestantes, quomodo sint omnibus intolerabiles? Ita & tu diabolo intolerabilis eris, si utramque flammam acceperis. *Domino servientes.* (*o*) Per hæc enim omnia Deo servire potes. Quidquid enim pro fratre feceris, ad Dominum tuum pertransit: & quasi ipse beneficium acceperit, mercedem tibi rependet. Viden', quo animum ejus, qui talia peregit, deduxerit. Tom. 9. hom. 21. in Epist. ad Rom.

(*n*) Rom. 12, 11. (*o*) Ibidem.

XIV.

Diligendus proximus ob ſpiritualem cognationem.

Cum dixiſſet, quomodo diligere oporteat, ejus rei lucrum declarat, dicens: *Qui diligit alium*, (*) *legem implevit*. (*p*) Neque hoc quoque gratiam eſſe putes; nam & hoc debitum eſt; debes quippe fratri dilectionem ob cognationem ſpiritualem. Neque hac ſolum ratione, ſed quia membra ſumus, alter alterius. Et ſi dilectio hæc recedat, totum diſſipatum eſt. Dilige ergo fratrem. Si enim ex ejus dilectione tanta lucraris, ut totam legem impleas, debes illi dilectionem, ut tali ab illo beneficio affectus. Illud enim: *non adulterabis*, *non occides*, *non furaberis*, *non falſum teſtimonium dices*, & ſi quod aliud mandatum, in hoc verbo ſummatim comprehenditur: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*. (*q*) Non dicit ſimpliciter, impletur, ſed ſummatim comprehenditur, id eſt, breviter, ac totum præceptorum opus in brevi perficitur: nam principium & finis virtutis eſt dilectio: hanc habet radicem, hanc materiam, hoc culmen. Si ergo illa eſt principium & plenitudo, quid huic par eſt? Tom. 7. hom. 71. in Matth.

XV.

Et quidem dilectione vehementi.

Verum non ſimpliciter dilectionem requirit; ſed etiam vehementem. Neque enim ſimpliciter

(*) Vulgat. *Proximum*. (*p*) Rom. 13, 8.
(*q*) Ib. v. 9.

pliciter dixit: *Diliges proximum tuum*, sed, *sicut te ipsum.* Ideo enim Christus & legem, & Prophetas ab illa pendere dicebat. Et cum duo posuisset dilectionis genera, vide, quo illam deduxerit. Cum dixisset enim primum mandatum esse. *Diliges Dominum tuum*, subdit: *secundum vero*; nec tacuit, sed adjecit, *simile huic*, & *proximum tuum*, *sicut te ipsum.* (r) Quid huic benignitati par fuerit? Quid huic mansuetudini? Cum immenso spatio ab illo distemus, dilectionem illam inter nos mutuam, juxta illam adducit, qua ipse diligitur, & similem huic esse dicit: ideoque mensuram utrique prope eamdem ponens, de illa dicebat, *ex toto corde tuo*, & *ex tota anima tua*; de hac vero, quæ proximi est, *sicut te ipsum*, dicit. Paulus vero, si hæc non fuerit, non multum utilitatis ab illa carpi dicit. quemadmodum ergo nos cum quemdam diligimus, dicimus, si illum diligas, me diligis; sic & ille id ipsum declarans dicebat: *simile est huic*; & Petro: *Si diligis me*, *pasce oves meas* ..... Diligamus ergo nos invicem, ut hoc pacto eum, qui dilexit nos, Deum diligamus. Apud homines enim, si quem ab illo amatum diligas, repugnat illius amator. Hic vero dignatur Deus amorem te communem habere, ac non communem habentem odit. Humanus quippe amor invidia, & livore plenus est: Divinus omni passione vacuus. Propterea quærit, qui secum in amore communicent. Dilige mecum, inquit, proximum, & tum ego te magis amabo. Viden' verba ardentis amatoris! Si dilectos meos dilexeris, tum credam, me sincere a te diligi. ibid.

XVI. *Haud*

(r) Rom. 13, 9.

XVI.

Haud facile reperitur aliquis, qui proximum propter Christum amet.

Charitas vera in mundo rara. Alius enim, quia amatur, amat; alius, quia honoratus fuit; alius, quia in aliquo sæculari negotio quispiam ei utilis fuit; alius ob aliam similem causam; at difficile est reperire quempiam, qui proximum propter Christum, ut oportet, amet. Plurimi enim sæcularibus negotiis mutuo vincti sunt. Verum non Paulus sic amabat, sed propter Christum; ideo quamvis non tantum amaretur, quantum amabat, non tamen dissolvit charitatem: quia validam amoris radicem jecerat. At nunc res non ita se habet: sed si omnia exploremus, apud multos inveniemus amicitiæ causas longe diversas. Quod si quis mihi concederet, in tanta multitudine rem examinare, ostenderem, multos sæcularibus de causis mutuo devinctos esse: id quod etiam manifestum est ex iis, quæ inimicitiarum causæ sunt. Quia ex fluxis hujusmodi rebus mutuo devincti sunt, hinc fit, ut nec ferventer, nec perpetuo vinciantur. Sed vel contumelia, vel pecuniarum detrimentum, vel invidia, vel vanæ gloriæ amor, vel quid simile, si accidat, amicitiam solvit. Non enim spiritualem invenit radicem, quæ, si talis esset, nulla sæcularium rerum spiritualia solveret. Charitas enim ea, quæ propter Christum est, firma, stabilis, invictaque est, nihilque illam poterit avellere, non calumniæ, non pericula, non mortes, non aliud quid simile. Etiamsi enim, qui sic amat, ærumnas mille videret amoris causa sibi impen-

impendere, non tamen desisteret. Nam qui amat, ut ametur, si quid ingratum viderit, solvit amorem: qui vero propter Christum vinctus est, nunquam discedet. Ideo Paulus dicebat: *Charitas nunquam excidit.* (s) Tom. 3. de profectu Evangelii.

XVII.

Amoris Christiani ratio.

Qui proximum propter Christum diligit, non genus explorat, non patriam, non divitias, non quantum redametur, non aliud simile quidpiam. Sed etiamsi odio habeatur, etiamsi contumelia afficiatur, etiamsi occidatur, in amore perseverat, idoneam habens amandi causam, amorem Christi: quapropter ad illum respiciens, stat fixus, firmus, immobilis. Nam Christus sic dilexit inimicos, ingratos, contumeliosos, blasphemos, se odientes, & eos, qui ne respicere quidem illum sustinebant, & qui ligna, & lapides ipsi anteponebant; hos dilexit suprema charitate, cui par inveniri nequit. Nam ait: *Majorem hac dilectione charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (t) Illos vero, qui ipsum crucifixerunt, quique tanto furore contra ipsum insanierunt, vide, quantum curet: nam Patrem alloquens sic de illis ait: *Dimitte illis: nesciunt enim, quid faciunt.* (u) (*) Discipulos quoque postea ad ipsos misit. Hanc igitur nos quoque charitatem imitemur, & hanc respi-

(s) 1. Cor. 13, 8. (t) Joan. 15, 13.
(u) Luc. 23, 34.
(*) Vulgat. *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.*

respiciamus, ut imitatores Christi effecti, & hæc, & futura bona consequamur, gratia & benignitate Domini nostri Jesu Christi, Amen. ibid.

XVIII.

Charitas inæqualitatem abjicit.

Paulus cum esset in vinculis, Philippensibus scripsit: *Scire autem vos volo fratres.* Discipulos vocat fratres: talis quippe charitas est; inæqualitatem omnem abjicit, præeminentiam, & dignitatem non novit; sed etiamsi quis sit omnibus sublimior, ad omnium humillimum descendit, quod & Paulus faciebat. Tom. 3. de profectu Evang.

DE ANIMA.

XIX.

Anima hominis quam pretiosa. Nulla contemnenda, aut negligenda.

Non exiguum est, vel unam ovem servari: quandoquidem & Pastor ille, qui nonaginta novem reliquerat oves, ad unam cucurrit, quæ aberraverat. Hominem non contemno, licet unus sit: homo enim est animal Deo charissimum. . . Licet servus sit, contemnendus mihi non videtur: non enim dignitatem quæro, sed virtutem. Non dominationem, aut servitutem, sed animam. Licet unus sit, homo est, propter quem cœlum extensum est, sol lucet, luna decurrit, aër effusus est, fontes scaturiunt, expansum est mare, Pro-

(x) Philipp. 1, 12.

Prophetæ missi sunt, & lex data est; & quid opus est cuncta persequi? propter quem unigenitus Dei filius factus est homo. Dominus meus immolatus est, ac sanguinem suum pro homine fudit, & illum ego contemnam? Qua vero dignus venia fuero? Nonne audistis Dominum cum Samaritana collocutum fuisse, ac sexcentos impendisse sermones? nec quoniam Samaritana erat, ideo contemptam eam fuisse, sed quoniam animam habebat, in pretio habitam esse? Non quia meretrix erat, despecta est, sed quia servanda erat, & fidem exhibuit, multa in illam cura collata est. Equidem dicere non cessabo, licet nullus sit, qui audiat: medicus sum, adhibeo medicamenta: doctor sum, mandatum mihi est, ut admoneam: sic enim ait: *Speculatorem dedi domui Israel.* (y) Neminem corrigo: quid tum postea? sed ego mercede non careo. Tom. 1. hom. 6. In terræ motum &c.

XX.

Anima nulla despicienda.

Pastor ille, qui nonaginta novem ovibus relictis ad unam errantem properabat, neque prius abstitit, quam illam ad gregem reduxisset, multam ea in re curam impendit. Centenarius enim numerus claudicabat, donec unam accepit, & tunc centum vere centum fuere, cum illa reducta, & servata fuit. Ne enim mihi dixeris, unum esse fratrem, qui periit; sed cogita, quod sit frater, quod illud sit animal, pro quo Deus tantam curam gerit, pro quo tanta facta fuere,

(y) Ezech. 3, 17.

fuere, pro quo pretiosus sanguis effusus, & tantum pretium solutum fuit: propter quem cœlum extensum est, sol accensus est, luna currit, varius ille stellarum chorus fulget, aër extensus est, mare effusum, terra fundata est, fontes scaturiunt, flumina manant, montes firmati sunt: propter quem prata, & horti, propter quem semina, & arbores, propter quem diversa plantarum genera; propter quem ea, quæ in montibus, quæ in desertis, quæ in urbibus, quæ in planitie, quæ in saltibus, quæ in collibus sunt. Propter quem innumeri piscium populi; propter quem varia quadrupedum genera, tam diversæ avium species; propter quem lex, Prophetæ, Apostoli, propter quem innumera miracula facta sunt. Quid opus est tam multa dicere? propter quem unigenitus Dei filius homo factus est, & occisus fuit. Cogita, quanta Deus operatus sit pro salute hominum, & nullum despicies hominem, Tom. 12. hom. 11. inter hactenus non editas.

XXI.

Seductio animæ christianæ quantum malum.

Unius animæ pernicies tantum est damnum, ut nullo possit exprimi sermone. Si enim ejus salus tanti est, ut pro illa filius Dei, Homo factus, & tanta passus sit, ejus pernicies, cogita, quantum afferet supplicium. Si is, per quem alius perit, in hac vita morte dignus est, multo magis ille. Tom. 9. hom. 3. in Acta Apost.

XXII.

Animæ cura gerenda, quia ſemel perdita reparari nunquam poteſt.

Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. (z) Hic, & illic ſalutem, & perditionem poſuit. Ne quis utramque vel perditionem, vel ſalutem æqualem eſſe putet, ſed clare diſcat, tantum eſſe illam inter, & hanc ſalutem diſcrimen, quantum inter perditionem & ſalutem; ex contrariis hæc ita comprobat: *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero detrimentum patiatur?* (a) Vide, quomodo ſalus contra jus faſque comparata & perditio eſt, & omni perditione deterior, utpote quæ ſit inſanabilis, eo quod nihil ſit ultra, quo ea poſſit redimi? Nec dicas, inquit, animam ſuam ſervaſſe, qui talia pericula evaſerit: ſed cum anima ejus pone etiam totum orbem, quid hinc plus habebit illa perdita? Dic enim mihi, ſi famulos tuos videres in deliciis eſſe, teque in extremis malis, an quia Dominus es, hinc quidpiam te lucrari putares? Nequaquam. Hoc ipſum de anima cogita, nam carne in deliciis, & divitiis agente, illa futuram perniciem exſpectat. Tom. 7, hom. 55. alias 56. in Matth.

XXIII.

(z) Matth. 16, 25. (a) ibidem v. 26.

XXIII.

Animæ perditio irreparabilis.

Quam autem dabit homo commutationem pro anima sua? (b) Rursus eadem in re insistit. Num aliam, inquit, animam habes, quam des pro anima tua? Pecunias enim si perdideris, alias pro amissis potes supplere; itemque si domum, si servos, si quamvis aliam possessionem; animam vero si perdideris, aliam non poteris dare animam. Sed etiamsi mundum habeas, etiamsi rex orbis sis, nec si omnia, quæ in orbe sunt, immo nec, si ipsum orbem poneres, posses vel animam unam redimere. Ecquid mirum si in anima ita sit, cum & in corpore idipsum perspicere liceat? Etiamsi mille diadematibus insignitus esses, si corpus haberes morbidum, & incurabile, non posses toto regno in mercedem dato, sanitatem corporis restituere, etiamsi mille corpora adjiceres, urbes, atque pecunias. Sic etiam de anima cogita, immo multo magis de anima, omnibusque aliis relictis, operam totam in illam conferas. Ibidem.

XXIV.

Non pro aliis rebus, sed pro salute animæ unice laborandum.

Ne de alienis sollicitus, te ipsum, & tua negligas: id quod nunc fere omnes faciunt, similes iis, qui in metallis laboraverunt; qui nihil utilitatis, vel divitiarum, ex hoc labore carpunt, sed multum detrimenti: quoniam frustra periclitantur,

(b) Matth. 16, 26.

tur, & pro aliis periclitantur, nihil ex sudoribus, & ex morte, quam plerumque obeunt, fructus referentes. Hos multi nunc imitantur, qui aliis divitias quærunt; immo his miseriores sunt, quod post tot labores gehenna eos exspectet. Illis enim sudorum finem mors affert: istis autem initium mille malorum mors est. Quod si dicas, te divitem tuis frui laboribus, ostende animam lætam, & hilarem, & tunc id credam; omnium quippe, quæ in nobis sunt, princeps est anima: quod si corpus illa tabescente pinguescit, nihil tibi utilitatis affert illa bona valetudo. Sicut enim ancilla lætante, nihil ad heram pereuntem ancillæ prosperitas affert; nec quid confert vestium ornatus ad carnis infirmitatem: ita nec animæ hoc proderit. Sed rursum dicit tibi Christus: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Præcipitque tibi semper, ut ad illam servandam verseris, illamque cures solam. Ibid.

XXV.

Animæ pretium. — Conversio peccatoris summè meritoria.

Nihil est animæ æquiparandum, ne totus quidem mundus. Itaque etiamsi innumeras pauperibus pecunias erogaveris, nihil tale efficies, quale is, qui vel unam animam convertit. *Si* enim *separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris*, (c) inquit. Magnum quidem bonum est egenorum misereri; sed nihil tantum, quam ab errore liberare. Qui enim hoc facit, Paulo, & Petro similis est. Tom. 10. hom. 4. in Ep. ad Cor.

(c) Jerem. 15, 19.

XXVI.

Animæ cura omnibus aliis præponenda. — Præcepta Dei ſervanda. — Corporis cura curæ animæ poſtponenda.

Omnis Scripturæ divinitus inſpiratæ lectio animum adhibentibus piæ religionis notitiam affert ; veneranda autem Evangeliorum lectio præſtantioribus documentis excellit : quæ enim in ea efferuntur dicta, ſupremi Regis ſunt oracula. Quamobrem iis, qui dicta ejus accurate non obſervarint, horribile impendet ſupplicium. Si enim is, qui terrenorum Principum leges transgreditur, indeprecabiles omnino pœnas luet; quanto magis qui cœleſtis Domini juſſa detrectat, intolerandis cruciatibus afficietur? Quia igitur magnum eſt incuriæ periculum, ſumma cum diligentia jamjam lectis intendamus. Quæ ſunt autem illa? *Anguſta eſt*, inquit, *porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam : & pauci inveniunt eam* (d) (*). Et rurſus : *Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam.* (e) Horum ego frequens auditor verborum, hominumque ſtudia cernens inanibus in rebus poſita, dictorum veritatem vehementer admiror. Omnes enim in lata gradiuntur via; omnes rebus inhiant præſentibus, futurorumque cogitationem nunquam ſuſcipiunt: ſed ad corporeas voluptates cum impetu, aſſidueque feruntur, animas vero ſuas ſinunt

(d) Matth. 7, 19. (*) Vulgat. *Anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt, qui inveniunt eam.*

(e) ibidem v. 13.

nunt fame tabeſcere; cumque innumeris quotidie vulneribus confodiantur, eorum, in quibus verſantur, malorum nullum habent ſenſum: ac qui in corporeis ægritudinibus Medicos adeunt, ipſos domum evocant, ampliſſimam illis mercedem retribuunt; tolerantiam vero ſummam exhibent, & curationem ſuſtinent laborioſam, quo valetudinem conſequantur corporis; illi, inquam, male affectam animam prorſus negligunt, expetendamque ejus ſanitatem contemnunt; licet probe ſciant corpus mortale, & corruptioni obnoxium eſſe, vernisque floribus conſimile: perinde enim marceſcit, exſtinguitur, corrumpitur; anima vero immortalitate prædita, & ad imaginem Dei facta eſt, cui concredita ſunt animalis corporis gubernacula. Tom. 3. hom. de anguſta porta &c.

XXVII.

Multi homines corporis cauſa graviſſimos labores in ſe ſuſcipiunt; animam vero negligunt, atque æternum pereunt.

Quod eſt auriga currui, gubernator navi, muſicus inſtrumento, idipſum huic terreno vaſculo eſſe animam præcepit opifex ille (*). Hæc habenas tenet, clavum moderatur, & chordas pulſat: quod cum ſcienter facit, ſuaviſſimum virtutum reddit concentum: cum autem vel remiſerit ſonos, vel intenderit plus, quam oportet, & artem, & harmoniam labefactat. Hujus ergo animæ curam abjiciunt multi mortales, nec minima quidem illam cura dignantur; ſed

 totum

(*) Sc. Deus.

totum vitæ tempus in corporeas ſollicitudines impendunt. Atque hi quidem nauticum vitæ genus ampleƈtuntur, ac cum fluƈtibus, & ventis concertant : vitam, mortemque ſecum ſemper una circumferentes, ſpemque ſalutis totam exiguis committentes tabulis. Illi agriculturæ ſudores ſuſcipiunt, boves aratro jungunt, terram ſulcant, nunc ſementem jaciunt, nunc metunt: modo plantant, modo vindemiæ dant operam; & hac in miſeria totum tempus emetiuntur. Alii mercaturam adeunt, & ea de cauſa terra, marique peregrinantur, alienum ſolum ſuo anteferentes, patriam, genus, amicos, conjuges, liberos relinquunt, exiguique lucri cauſa libenter orbem peragrant. Sed quid attinet artes omnes enumerare, quas in uſum corporis commenti ſunt homines, in quibus die, noƈtuque verſantes, curam corporis ſibi ſuſcipiunt, animam vero deſpiciunt eſurientem, ſitientem, ſquallentem, ſordibus fœdatam, ſexcentis agitatam ærumnis? Cæterum poſt tantos illos ſudores, laboresque mortale corpus a morte non vindicant, animamque immortalem cum mortali corpore æternis ſuppliciis ſubjiciunt. Ibidem.

XXVIII.

Non corporis, ſed animæ bona a Deo petenda.

Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? (f) Dum terrena cœleſtibus, temporanea æternis, corruptibilia incorruptibilibus anteponitis. Usque-

(f) Pſal. 4, 3.

quequo oculos clauditis, aures obduratis, divinamque illam vocem quotidie clamantem non auditis: *Petite, & dabitur vobis, quærite & invenietis; pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur.* (g) Quia vero nonnulli imperfectiores ſunt, & ad ſæcularia proni, carnalibusque cogitationibus indulgent; non ea, qua oporteret ratione, preces adhibent; ideo communis omnium Dominus precandi nobis formam præſcripſit dicens: *Orantes autem nolite multum loqui ſicut ethnici: putant enim, quod in multiloquio exaudiantur.* (h) Multiloquium vocans futilitatem, multitudine verborum redundantem, utilitateque carentem. Subindicat igitur Dominus, dum multiloquium prohibet, non oportere eos, qui precantur, fluxa, & corruptibilia poſtulare: non corporis pulchritudinem, quæ tempore marceſcit, morbo labefactatur, & demum morte deletur &c. Tom. 3. hom. de anguſta Porta.

XXIX.

Anima quomodo curanda.

Sicut corpori varia præbes indumenta, & rationem habes anni tempeſtatum in veſtium diverſitate; ſimiliter neque animam deſpicito, ut ne nuda bonis operibus obambulet, ſed decentibus illam veſtibus indue: ſtatim eam reparabis, & ad naturalem ſanitatem reduces. Et quæ ſunt animæ indumenta? Eleemoſyna, & largitas in pauperes: hoc enim maximum animæ indumentum eſt, hoc ſplendidum illius veſtimen-

(g) Matth. 7, 7. (h) Matth. 6, 7.

ſtimentum. Si autem vis non ſolum veſtimenta parare, ſed illam ornare etiam, ſicut corpus ſoles, appone adjutorium, quod ex precibus eſt, & peccatorum confeſſionem, & continuis lacrymis faciem tuam lavare non ceſſes. Nam ſicut faciem corporis tui quotidie cum omni ſollicitudine abluis, ne qua forte macula faciei inhærens deformem illam reddat: ſic & animæ curam habe, fervidis quotidie lacrymis eam abluens. Hac enim aqua maculis depoſitis, ejus facies ſplendidior evadit. Et quia mulieres pleræque ob mollitiem apoſtolicum mandatum contemnentes, quo jubentur, ne *in tortis crinibus, aut auro, vel margaritis, vel veſte ſumptuoſa* (i) ſe ornent, magno luxu hoc faciunt; neque mulieres tantum, ſed & viri quilibet molles vilibus mulierculis ſimiles fiunt, annulos digitis geſtant, & magnis, gravibusque lapidibus ſe ornant, de quibus erubeſcere oporteret; & illæ ergo, & hi, ſi meis parerent ſermonibus, aurea hæc, quæ & viris, & mulieribus damnoſa ſunt, in ornatum animæ transferrent, & iſtis illam adornarent. Nam ſicut corpori circumpoſita, etiamſi formoſum ſit, ipſum deforme reddunt: ita ſi animæ circumponantur, etiam deformi, ſummam pulchritudinem afferent. Et quomodo, dices, poſſunt animæ circumponi aurea? Iterum dico, per manus pauperum. Illi enim accipientes formoſam illam reddunt. Illis auream pecuniam trade, & in illorum ventres diſpenſato, tantamque tibi viciſſim dabunt pulchritudinem, ut forma tua, verum illum Sponſum alliciat, innumeraque dona conciliet. Cum autem pul-

(i) 1. Tim. 2, 9.

pulchritudine tua Dominum allexeris, ſuppeditabuntur tibi bona omnia, & immenſis opibus abundabis. Si ergo amabiles Domino fieri volumus, jam non ornatum corporis tanti faciamus, ſed animæ formoſitatem quotidie magna diligentia curemus, ut & gratiam benigni Dei nobis conciliemus, & ineffabilia bona conſequamur, gratia, & benignitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum quo Patri, ſimul & Spiritui ſancto ſit gloria, imperium, honor, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Tom. 4. hom. 21. in cap. 5. Geneſ.

XXX.

Morbi animæ majori ſollicitudine, quam corporis curandi ſunt. — Animæ vulnera quomodo curanda.

Nos certe, quando ægrotamus, medicos accerſimus, pecunias impendimus, aſſiduamque operam damus, ut ex nequitia ſurgentes, inde ſani recedamus; & quantam circa ſervos noſtros curam impendimus, cum in morbum inciderint? tantam ergo circa nos ipſos exhibeamus, cum anima ægrotat. Atqui nobis ipſis propinguiores ſumus, quam ſervis, & corporibus animæ præſtantiores ſunt; attamen vix parem curam impendimus. Niſi enim id nunc faciamus, poſtquam deceſſerimus, nulla nobis relinquitur nobis defenſionis ratio. Ecquis ita miſer, inquies, ut non parem ſolicitudinem habeat? Hoc certe mirabile eſt, quod nos ipſos plusquam ſervos negligamus, deſpiciamusque. Nam ſervis febricitantibus medicos advocamus, habitacu-

lum ipsis deputamus, ipsos artis legibus obsequi cogimus; si negligant ipsi, nos graviter ferimus, & custodes ipsorum constituimus, qui prohibeant, ne appetitus illi suos sequantur, qui si dixerint, magni pretii medicina esse opus, libenter annuimus: & quidquid statuerint, nos obtemperamus, atque hujusmodi statutorum mercedem ipsis solvimus. Cum autem nos morbo laboramus; immo nunquam non laboramus, non medicum accersimus, non pecunias impendimus; sed animam quasi inimicum, & hostem negligimus. Hoc porro dico, non quod curam illam circa servos adhibitam improbem, sed quod cupiam, ut parem saltem circa animam nostram sollicitudinem adhibeamus.

Et quo pacto, inquies, id faciemus? Ægram illam Paulo ostende, accerse Matthæum, Joannem assidere cures. Ab illis audi, quid tali morbo laboranti sit faciendum. Dicent utique, nec celabunt: non enim mortui sunt, sed vivunt, & loquuntur. Sed non attendit anima se febri detineri? Ad id illam tu coge, & rationabilem ejus partem excita. Induc Prophetas; his medicis non numeranda pecunia est. Neque enim mercedem, neque impensam exigunt vel pro opera, vel pro remediis suis. In necessitatem tamen impensæ te conjiciunt, sed eleemosynæ erogandæ. In cæteris autem de suo largiuntur: cum enim te temperanter agere jubent, te ab intempestivis, & absurdis impensis liberant; cum jubent abstinere ab ebrietate, opulentiorem te faciunt. Viden' medicorum artem, qui cum sanitate pecuniam afferunt? Asside igitur illis, ab eis-

eisque disce morbi naturam. Exempli causa, amas pecunias, & avaritiam, ut febricitantes aquam frigidam? Audi, quid illi consilii afferant. Sicut enim medicus edicit tibi, si cupiditatem sequaris, peribis; & illud, atque illud mali tibi eveniet; sic & Paulus: *qui ditari volunt*, inquit, *incidunt in tentationem, & in laqueos diaboli, & in concupiscentias stultas, & noxias, quæ in profundum interitus, & perditionis homines præcipitant* (k) (*). Sed impatiens es? Audi illum dicentem: *Adhuc . . modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit.* (l) *Dominus prope est: nihil solliciti sitis.* (m) Et rursum, *præterit figura hujus mundi.* (n) Non enim præcipit tantum, sed etiam consolatur ut medicus. Ac sicut pro frigidis alia quædam medici excogitant; sic & iste concupiscentiam transfert. Vis, inquit, ditescere? in bonis operibus dives esto. Vis thesauros recondere? non repugno, sed in cælo reconde. Ac sicut medicus dicit, aqua frigida nocet dentibus, nervis, ossibus; sic & ille; brevius quidem, nam brevitati studet, sed celerius, & validius: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Quo igitur utendum? Hoc quoque dicit: Sufficientia, avaritiæ loco; magnus enim quæstus est sufficientia cum pietate. Quod si ægre

---

(k) 1. Tim. 6, 9.

(*) In vulgata legitur: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & in perditionem.*

(l) Hebr. 10, 37. (m) Philipp. 4, 5.

(n) 1. Cor. 7, 31.

ægre feras, & plura desideres, ac necdum possis superflua quoque abjicere, sic ægrotantem monet, quomodo iis sit utendum: *Qui gaudent, tanquam non gaudentes sint: &, qui emunt, tanquam non possidentes, &, qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Vidistine, quæ præcipiat? Tom. 7. hom. 74. alias 75. in Matth.

XXXI.

Anima hominis immortalis.

Justus est Deus: omnes hoc fatemur, & græci, & judæi, & hæretici, & christiani. At hinc nulli, qui peccarunt, abierunt impune: multi, qui cum virtute vixerant, tum demum abierunt, cum sexcentas subiissent calamitates. Ergo si justus est Deus: ubinam his quidem præmia, illis, vero supplicia tribuet, si non est gehenna, si non est resurrectio? Hanc igitur rationem & illis, & vobis ipsis semper canite, nec sinet vos de resurrectione non credere. Qui vero de resurrectione non dubitat, is sedulo, atque attente vitam suam curabit, ut sempiterna bona consequatur. Tom. 11. hom. 6. in Epist. ad Philipp. cap. 2.

APRI-

APRILIS.

DE CORRECTIONE FRATERNA.

I.

Proximi saluti advigilandum.

Earum etiam, quæ nunc levia videntur, tunc terribiles luemus pœnas; adeo Judex ille pari accuratione & noſtram, & proximorum ſalutem requirit a nobis. Ideo Paulus ubique hortatur ſingulos, non, quæ ſua ſunt, quærere, ſed quæ proximi (*): quapropter in Corinthios vehementer invehitur, quia nullam providentiam, & curam habuerunt ejus, (o) qui in fornicationem inciderat, ſed ejus vulnus tumens deſpexerant. Galatis quoque ſcribens dicebat: *Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujusmodi inſtruite.* (p) Theſſalonicenſibus item antea eadem monita dederat, dicens: *Conſolamini invicem, & ædificate alterutrum, ſicut & facitis.* (q) Itemque, *ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.* (r) Ne quis enim diceret: quid mea intereſt, etiam aliorum curare ſalutem? Qui perit, pereat; & qui ſervatur, ſervetur; id nihil ad me pertinet, rebus meis proſpicere jubeor. Ne quis, inquam, hæc diceret, feralem illam, & inhumanam cogitatio-

(*) *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.*

(o) 1. Cor. 10, 24. (p) Galat. 6, 1.

(q) Theſſal. 5, 11. (r) ibid. v. 14.

tationem aufferens, legibus istis illam sepivit, plurima jubens commoda negligere, ut proximis nostris consulamus, atque hanc vitæ ejus diligentiam ubique habendam esse definit . . . Itaque etsi vitam nostram recte instituamus, nihil id prodest nobis, cum peccatum proximi possit nos in gehennæ profundum immergere. Si enim nulla ratio possit eos, qui proximis corpoream opem ferre noluerint, liberare; verum etsi virginitatem servaverint, tamen extra sponsi thalamum abjiciendi sunt; is, qui, quod multo majus est, omiserit (quippe major est animarum cura) cur non mala omnia merito patiatur? hominem enim, non ut sibi tantum prodesset, creavit Deus, sed ut aliis etiam multis . . . Propterea Paulus gentilibus quoque ipsis deteriores esse ait, qui proximorum salutem negligerent, his verbis: *Si quis domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* (s) Tom. 1. lib. 3. adversus oppugnat. Vitæ monast.

II.

Ob neglectam correctionem Deus multa mala immittit. — Cur Deus non omnes peccatores hic puniat.

Unde præmaturæ mortes? unde gravissimi, & frequentes morbi, & nobis, & liberis nostris inferuntur? unde damna, unde calamitates, unde nocumenta? unde mala innumera? Nonne quod improbos filios emendare negligamus? . .

Cur autem, inquies, non hic omnes puniuntur? Quia Deus diem statuit, qua judicaturus est orbem

(s) 1. Tim. 5, 8.

bem universum: hæc autem dies nondum adest. Adhæc vero si ita fieret, jam absumptum, & abreptum esset omne genus humanum. Sed ut nec hoc contingat, nec plurimi segniores fiant ex tarditate judicii, quosdam Deus peccatis obnoxios hic pœnis afficiens, horum exemplo reliquos docet, quænam sit suppliciorum ratio, ac mensura, ut ediscant se, etsi in hac vita pœnas non luant, post excessum tamen longe graviores subituros esse. Neque enim quod Prophetam nunc non mittat Deus, nec pœnas denunciet ut Heli tempore, ideo desides esse debemus: non enim prophetarum hoc tempus est; immo vero eos nunc quoque mittit: unde id nobis liquet? *Habent*, inquit, *Moysen, & Prophetas.* (*t*) Ea quippe, quæ illius temporis viris dicta sunt, nobis quoque dicta sunt: nec modo Heli, sed omnibus simul eadem peccantibus, per illum, perque illius calamitatem loquitur Deus. Nec enim personas accipit, nec qui minora peccantem cum domo tota funditus evertit, graviora aggressos dimittet inultos. Ibidem.

III.

Correctio fraterna summe meritoria.

Homo est toto mundo pretiosior: hujus enim causa, & cœlum, & terra, & mare condita sunt, & sol, & stellæ. Perpende igitur, quanta sit dignitas ejus, cujus saluti consulitur, & ne contemseris illius curam. Nam etiamsi pecuniæ vim immensam dinumeravit aliquis; nihil tale præstitit, quale is, qui servat animam, & ab-

(*t*) Luc. 16, 30.

& abducit ab errore ad pietatem. Qui dederit pauperi, famem solvit: qui judaizantem correxerit, impietatem exstinxit. Ille paupertati solatium adhibuit, hic iniquitatem inhibuit: ille corpus liberavit a dolore, hic etiam animam eripuit a gehenna. Ostende thesaurum, nec desiderabis lucrum. Non est, quod hic paupertatem causemini, non est, quod mendicitatem prætexatis: verba tantum insumenda sunt, sermonis modo fit impensa. Ne pigritemur igitur, sed omni studio, ac cupiditate venemur fratres nostros, eisque vel invitis in domum nostram pertractis, prandium apponamus, ad mensæ communionem illos adsciscamus hodie, ut &c. Tom. 1. orat. adversus Judæos.

IV.

Qui salutem aliorum curant, in die judicii multa fiducia replebuntur

Nemo suum ipsius negotium recte gerere potest, neglecta proximi dilectione, & salute: ideo & Paulus ait: *Nemo, quod suum est, quærat, sed quod alterius:* (u) sciens, quod sua cujusque utilitas in proximi utilitate sita est, Sanus es tu, sed frater tuus infirmatur. Itaque si vere solicitus fueris pro ægrotante, magis dolebis, & imitaberis in hoc quoque beatum illum, qui dicit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* (x) Etenim si cum duos obolos dederimus, paululumque pecuniæ insumserimus in pauperes, gaudemus; si poterimus animas servare, quanto majorem volu-

(u) 1. Cor. 10, 24. (x) 2. Cor. 12, 38.

voluptatis fructum capiemus? quantam autem in futuro sæculo recipiemus mercedem? Nam hic quoque quoties convenimus, multam capimus voluptatem ex congressu, reminiscentes officiorum, quæ illis præstitimus. Deinde cum illos conspexerimus ad tribunal illud metuendum, multæ fiduciæ participes erimus. Et quemadmodum qui injuria afficiunt, qui usurpant aliena, qui rapiunt, qui mala innumera proximis inferunt, cum illuc venerint, eosque viderint, qui hæc passi sunt (videbunt enim haud dubie, ut perspicuum est ex Divite illo, & Lazaro) neque os aperire poterunt, neque habebunt, quod dicant, aut excusent; sed multo pudore, magnaque condemnatione repleti, ex illorum aspectu ad ignea flumina adducentur. Itidem, qui salutem aliorum curant, qui docent, qui instituunt, ubi viderint eos, quos servaverunt, illic patrocinantes ipsis, multa fiducia replebuntur. Et hoc Paulus declarans dixit: *Gloria vestra sumus, sicut & vos nostra.* Quando hoc? *in die Domini nostri Jesu Christi.* (y) Ibid.

V.

Qui alios salvant, salutem quoque æternam consequentur.

Facite vobis amicos ex mamona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. (z) Vides, multam fiduciam nobis præstari ab iis, quos hic nostro beneficio juverimus. Quod si, ubi pecunia duntaxat insumitur, tot sunt coronæ

(y) 2. Cor. 1, 14. (z) Luc. 16, 9.

ronæ, tanta merces, tanta remuneratio; ubi juvatur anima, qui fieri poteſt, ut non multa, magnaque nobis contingant bona? Etenim ſi Tabitha illa, quæ viduas veſtiebat, quæ paupertati ſubveniebat, a morte in vitam revocata eſt, & lacrymæ eorum, qui beneficiis affecti fuerant, animam in corpus reduxerunt, cum nondum veniſſet reſurrectio, quid facient hominum per te ſervatorum lacrymæ? Sicut enim hanc circumſtantes viduæ vivam ex mortua reddiderunt: ſic & te tunc circumſtantes, qui nunc per te ſalvati fuerint, efficient, ut multam experiaris humanitatem, & ex incendio gehennæ eripiaris. Hæc igitur ſcientes &c. Tom. I. orat. adverſus Judæos 8.

VI.

Fratrum ſaluti etiam poſt lapſum conſulendum.

Non tantum ante peccatum admiſſum convenit fratris ſaluti cavere, verum etiam poſt lapſum manus porrigendæ ſunt. Etenim ſi Deus ab initio feciſſet iſtud, tantumque nobis conſuluiſſet ante peccatum, poſt peccatum autem negflexiſſet hominem, paſſusque fuiſſet perpetua in ruina jacere, nullus noſtrum unquam ſalutem fuiſſet conſecutus. Verum hoc non fecit Deus, quippe amans humani generis, ac mitis, noſtræque ſalutis cupidiſſimus. Quin etiam poſt peccata multam præſtat ſollicitudinem, quandoquidem & Adæ cavit ante peccatum, dicens: *Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quocunque enim die come-*

comederis, morte morieris. (*a*) Ecce & facilitate legis, & largitate concessorum, & acerbitate supplicii, & ipsa celeritate ultionis prospexit, ne peccaret. Non enim dixit, post unum, aut duos, tresve dies, sed in ipso die, quo comederis, morte morieris. Denique cunctis, quibus cavere oportuit modis, cavit homini. Attamen ubi post tantam providentiam, doctrinam, exhortationem, beneficentiam lapsus est, nec obtemperavit jussis divinis: non dixit Deus, quid hoc proderit? quæ utilitas inde? Comedit, cecidit, transgressus est legem, credidit diabolo: despexit præceptum meum, accepit vulnus, mortuus est, neci traditus est, in damnationis sententiam incidit: quid posthac est, quod illi loquamur? Nihil horum dixit, sed protinus ad illum venit, allocutus est, consolatus est, ac rursus aliud admovit remedium, videlicet laborem, ac sudorem, (*b*) nec prius destitit omnia facere, conari omnia, donec naturam collapsam restituisset, atque a morte liberasset, & ad cœlum provexisset, majoraque, quam perdiderat, homini bona dedisset; factis ipsis docens diabolum, quod his insidiis nihil profecisset: sed quod homines ejectos e paradiso, paulo post visurus esset in cœlis angelis permixtos. Idem fecit in Cain; (*c*) siquidem & illius, priusquam peccaret, caverat saluti . . . & post perpetratum parricidium ipsius animam moderatiorem reddidit.. Satis nobis ex his demonstratur, non oportere fratres lapsos negligere, neque contemnere, ve-

(*a*) Gen. 2, 16. (*b*) Gen. 5, 19.
(*c*) Gen. 4, 7.

rum prospicere quidem illis ante peccatum, cæterum etiam post peccatum multam erga illos præstare curam. Tom. 1. orat. adversus Judæos 8.

VII.

Peccator etiam post contemptam correctionem non deserendus.

Medici præscribunt, ac præcipiunt hominibus, quæ possunt eorum valetudinem tueri, omnemque morbum excludere: cæterum ubi neglexerint præscripta, & in valetudinem adversam inciderint: non negligunt eos ipsi, sed tum maxime multam adhibent sollicitudinem, quo illos morbo levent. Id ipsum & Paulus fecit, qui eum, qui stuprum commiserat, post illud peccatum, quod ne inter gentes quidem inveniebatur, non contempsit: verum etiam frenos respuentem, nec medicinam admittere volentem, lascivientem, ac resilientem reduxit ad sanitatem: & ita reduxit, ut conjungeret rursum corpori Ecclesiæ. Neque dixit apud se se: quid hoc proderit? quæ hinc utilitas? stuprum commisit, peccatum perpetravit, nec vult desistere a lascivia; verum & inflatus est, & sibi placet, & immedicabile vulnus reddit: sinamus igitur illum, ac deseramus. Nihil horum dixit: sed propter hoc ipsum maxime multa usus est erga illum sollicitudine, quod ad nefandam malitiam videret illum esse delapsum; neque cessavit terrere, minari, punire tum per se se, tum per alios complures, nihil non faciens, nihil non tentans, donec illum ad agnitionem peccati perduxisset, & ad sensum iniquitatis, postremo donec ipsum liberasset

berasset ab omni macula. Hoc sane facito tu quoque, imitare Samaritanum illum, qui in Evangelio tantam erga vulneratum præstitit sollicitudinem. Etenim illic præteriit Levita, præteriit Pharisæus, ac neuter deflexit ad jacentem, sed inclementer, crudeliterque relicto illo abierunt. Samaritanus autem quispiam, qui nulla parte illi conjunctus erat, non prætercucurrit, sed accurrens misertus est, instillavit oleum ac vinum, imposuit asino, duxit ad diversorium . . . . Quodsi Samaritanus adeo humanus, mitisque fuit erga hominem ignotum; quam habituri sumus nos veniam, si proprios fratres neglexerimus in malis gravioribus? Ibid.

VIII.

Peccata fratrum corrigenda, non vulganda.

Ne referamus illos, qui peccaverint: sed festinemus, ut eos solum, qui peccarunt, corrigamus. Est enim prava consuetudo, tantum accusare fratres, nec illorum curam habere; vulgare mala infirmorum, nec mederi. Aufferamus igitur hanc pravam consuetudinem, charissimi: neque enim ea mediocrem pesten invehit. Et quo pacto, ego dicam. Audivit aliquis ex te, quod multi cum Judæis jejunaverint; nulloque præmisso examine alii id verbum aperuit: prorsus ille parum attentus alteri hoc ipsum elocutus est, deinde paulatim hac mala fama increscente magnum quidem probrum offunditur Ecclesiæ: his vero, qui perierunt, nulla affertur utilitas, quin potius gravissima noxa, tum his, tum

tum aliis. Etiamſi enim pauci fuerint, nos tamen eos rumoribus multis multos facimus, & eos, qui ſtant, imbecilliores reddimus: & eos, qui ad caſum proclives ſunt, impellimus. Frater enim audiens eſſe multos, qui jejunarunt; ipſe negligentior erit. Deinde rurſus, qui infirmior eſt, hoc audito, accurret ad multitudinem eorum, qui ceciderunt. Ne igitur vel ſuper hoc, vel ſuper alio quovis improbo facto gaudeamus, etiamſi multi fuerint peccatores, ita ut traducamus eos, ac dicamus, multos eſſe, ſed potius obturemus os, & coerceamus. Ne mihi dixeris, multi ſunt, qui jejunarunt, ſed multos illos corrige. Non ideo mihi conſumtum eſt tantum verborum, ut accuſes multos; ſed ut ex multis facias paucos: immo potius ne paucos quidem; ſed & hos ipſos etiam ſanes. Ne itaque evulges peccata, ſed ſana. Sicut enim qui evulgant, & huic tantum rei vacant: etiamſi pauci fuerint, qui peccarunt, faciunt, ut multi eſſe putentur: ſic qui cohibent, ac ſilentium imponunt traductoribus, lapſorumque curam habent, etiamſi multi fuerint; & eos ipſos facile corrigunt, nec quempiam ſinunt ex horum fama lædi. Non audiſti, quod David deplorans Saulem dixit: *Quomodo ceciderunt fortes? Nolite annuntiare in Geth, neque annuncietis in compitis Aſcalonis: ne forte lætentur filiæ Philiſthiim, ne exultent filiæ incircumciſorum.* (d) Quod ſi ille rem manifeſtam noluit evulgari, ne adverſariis gigneret voluptatem; quanto magis non oportet hæc efferre ad aures alienas? quin neque ad noſtrorum aures: ut

---

(d) 2. Reg. 1, 20.

ut neque hoſtes audientes gaudeant, neque noſtri, re cognita, concidant: ſed oportet cohibere rumorem, & undequaque compeſcere. Ne mihi dixeris, hoc illi dixi: apud te ipſum contine verbum; ſicut enim tu non potuiſti tacere, ita nec ille poterit hæc apud ſeſe continere. Tom. 1. orat. adverſus Judæos 8.

IX.

Modus corrigendi tum notos, tum ignotos, & extraneos. — Modus iſte corrigendi cuivis materiæ applicari poteſt.

Si quid audierimus boni, apud omnes proferamus: ſi quid vero mali, pravique, apud nos ipſos occultemus, idque ut tollamus, nihil non faciamus. Nunc igitur obambulemus, curioſe ſcrutemur, contemplemur eos, qui lapſi ſunt: etiamſi in ædes oporteat ingredi, ne gravemur. Quod ſi ignotus fuerit, nec ulla ex parte ad te pertinens, is qui cecidit; ſcrutare, eſto curioſus, quem habeat amicum, aut neceſſarium, & cui maxime obtemperet, hoc aſſumto, ingredere in ædes, ne te pudeat, neque erubeſcas. Si ingredereris, pecuniam poſtulaturus, aut beneficium accepturus ab illo; æquum erat erubeſcere: ſi vero pro illius ſalute curras, occaſio introitus omni te liberat crimine. Aſſide ſane, loquere cum illo, aliis de rebus facto ſermonis exordio, quo correctio careat ſuſpicione. Dic mihi, laudasne Judæos, eoquod Chriſtum crucifixerint, quodque eum hodie convitiis afficiant, & Legis transgreſſorem appellent? Profecto non ſuſtinebit, ſi fuerit chriſtianus, etiamſi millies

judaizet, non sustinebit dicere, laudo: sed obturabit aures, dicetque tibi, absit; bona verba quæso. Dein cum hac in re tecum consentientem compereris, rursus assumito, dicens: quomodo igitur cum illis, dic mihi, communicas? quomodo particeps es festi? quomodo cum illis jejunas? Post accusa illorum improbitatem . . . Ad hæc commonefacias gehennæ, formidandi tribunalis Domini, quæstionum, quæ illic habentur, quodque illorum omnium reddituri sumus rationem; & ultio quædam non parva reposita est eis, qui talia audent &c. Ibid.

X.

Aberrantes inquirendi, ut reducantur, & corrigantur.

Propterea christianus es, ut Christum imiteris, ejusque legibus morem geras. Quid autem ille fecit? Non Jerosolymis residens vocavit ad se ægrotos, sed obambulabat civitates, ac vicos, geminos curans morbos, tum animi, tum corporis. Attamen poterat eodem in loco sedens omnes ad se attrahere: non tamen hoc fecit, nobis præbens exemplum, ut obambulemus, & quæramus eos, qui pereunt. Rursus hoc etiam parabola de pastore significavit. Non enim desidebat cum nonaginta novem ovibus, aspectans, donec, quæ aberraverat, veniret ad ipsum; sed abiit ipse, & invenit, inventamque gestavit humeris, ac reduxit. An non vides medicos quoque hoc ipsum facere? Non cogunt ægrotos lecto decumbentes ad ipsarum ædes deferri, sed accurrunt ad eos. Hoc & tu facito, dilecte! sciens,

ſciens, præſentem vitam eſſe brevem, ac niſi hæc lucra paraverimus, nullam nos illic habituros ſalutem. Sæpe una anima, quam lucrati fuerimus, poteſt innumerabilium peccatorum pondus abolere, animæque tuæ redimendæ fieri pretium in illo die. Cogita, cur Prophetæ, cur Apoſtoli, cur Juſti, cur frequenter Angeli miſſi ſint; cur ipſe unigenitus Dei filius advenerit. An non, ut homines ſervarent? An non ut eos errantes reducerent? Hoc idem agas tu quoque pro viribus tuis, omneque ſtudium, ac ſollicitudinem impendas ad reducendum eos, qui aberraverunt. Ibidem.

XI.

Non noſtram ſolum, ſed & aliorum ſalutem curare debemus.

Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. (e) Vide benignitatem Domini, quomodo antequam formaretur mundus, & produceretur homo, infinita ipſi bona præparaverit, oſtendens, quantam noſtri generis providentiam gerat, & ſe omnium ſalutem velle. Talem igitur habentes Dominum, tam miſericordem, tam benignum, tam manſuetum, cum noſtræ, tum fratrum noſtrorum ſalutis curam geramus. Nam & hoc noſtræ ſalutis argumentum erit, & occaſio, ſi non ſolum pro nobis ipſis ſolliciti, ſed & proximo utiles fuerimus, & ipſum in viam veritatis deducamus. Et ut diſcas, quantum bonum ſit cum noſtra & aliorum ſalutem lucrari, audi Prophetam ex perſona

(e) Matth. 25, 34.

ſona Dei dicentem: *Qui educit pretioſum a vili, quaſi os meum erit.* (f) Quid hoc eſt? qui ab errore ad veritatem, ait, manuduxerit, vel a peccato ad virtutem proximum induxerit, pro virili parte me imitatur. Etenim ipſe, cum Deus ſit, propter nihil aliud noſtram induit carnem, dum propter humani generis ſalutem factus eſt homo. Sed quid ego noſtram illum induiſſe carnem dico, cæteraque omnia ſuſtinuiſſe humana: quando etiam crucem ſuſcepit, ut nos peccato obnoxios a maledicto liberaret? Et hoc quoque Paulus clamat, dicens: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* (g) Si igitur ipſe, qui Deus eſt, & ineffabilis eſſentiæ, ob benignitatem ineffabilem hæc omnia propter nos, & propter ſalutem noſtram ſuſcepit, quid non a nobis æquum eſt præſtari erga eos, qui cognati ſunt, ac membra noſtra, ut ereptos eos ex diaboli faucibus, in viam virtutis inducamus? Nam ut anima corpore præſtantior eſt: ita iis, qui indigentibus pecunias, & facultates ſuppeditant, majoribus præmiis digni ſunt ii, qui admonendo, & continue docendo in viam rectam ſupinos, & deſides inducunt, monſtrando eis & vitiorum deformitatem, & divinæ virtutis pulchritudinem? Hæc igitur omnia cum ſciamus, præ omnibus aliis vitæ curis de ſalute animæ proximos alloquamur, eamdem illis ſollicitudinem ingerentes. Optabile enim, optabile plane eſt, ut anima, cui hæc continuo inculcantur, poſſit reduci ex abyſſo malorum, in quorum medio verſamur, & compeſcere affectuum, qui perpetuo

(f) Jer. 15, 19. (g) Galat. 3, 13.

petuo animam noſtram infeſtant, rebellionem. Tom. 4. hom. 4. in cap. 1. Geneſis.

XII.

In Correctione fraterna nulla habenda eſt acceptatio perſonarum.

Qualem habebimus excuſationem, cum juſtus (*) neque filiabus parcat, ut hoſpitum ſervet curam; nos autem ita immiſericorditer erga fratres noſtros afficiamur, & ſæpe frigida illa, & abſurditatis plena verba proferamus? Quid enim, inquit, mihi cum eo commune? mihi non eſt curæ, nihil mihi negotii cum eo? Frater tuus eſt, ejusdem tecum naturæ, ſub eodem eſtis Domino, ſæpe etiam ejusdem participes menſæ, ſpiritualis illius, inquam, & terribilis, & dicis: Nihil commune habeo cum eo; & immiſericorditer præteris, & non porrigis jacenti manum? Et Judæis quidem lex imperabat, ne inimicorum lapſa jumenta negligerent: tu autem fratrem tuum a diabolo ſæpe ſauciatum, & jacentem non ſuper terram, ſed ſuper peccati barathrum videns, tua exhortatione non retrahis, non admonitionem tuam adhibes, non alios in auxilium vocas, ut, ſi fieri poſſit, a faucibus beſtiæ membrum tuum eruere valeas, & ad ſuam reducere nobilitatem: ut & ipſe, ſi quando cecideris, quod abſit, in laqueos mali dæmonis illius, poſſis habere aliquos, qui te juvent, & liberent a manibus diaboli? Sic & Paulus excitare volens Galatas, ut

(*) Sermo eſt de Loti hoſpitalitate Angelis exhibita.

ut suis provideat membris, inquit: *Considerans temetipsum, ne & tu tenteris:* (h) quasi diceret, si absque commiseratione, & inhumane fratrem præteris, forte & te, si cecideris, alius similiter præteribit. Si igitur non vis despici, sicubi labaris, ne ipse despexeris alium: sed magnam prætefer benignitatem, & thesaurum crede maximum, si servare possis fratrem. Nihil enim huic unquam par fieri poterit, quod ad virtutem attinet. Nam si solum cogitaveris illum, quem despicis, & præteris, a Domino tuo tanto in honore habitum fuisse, ut propter ipsum non refugerit, & sanguinem suum effundere, sicut & Paulus dicit: *Et peribit infirmus frater in tua scientia, propter quem Christus mortuus est;* (i) Quomodo non præ pudore sub terra te abscondes? Si igitur propter illum Christus sanguinem effudit, sane quid magnum facies, si tuam in eum declares benevolentiam, & exhortatione verborum jacentem erigas, & animam mersam forte, & submersam referas ex profundo malitiæ, & illud satagas, ut videat virtutis lucem, ac non recurrat ad vitiorum caliginem. Tom. 4. hom. 43. in 19. cap. Genesis.

XIII.

Modum corrigendi proximum.

Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe illum inter te, & ipsum solum &c. Vide, quomodo illos reprimat, jubeatque redargutionem inter duos tantum fieri, ne plurium testimonio gravio-

---

(h) Galat. 6, 1. (i) 1. Cor. 8, 11.

graviorem redderet accuſationem, & petulantior ille factus curatu difficilior foret. Ideo ait: *Inter te & ipſum ſolum. Si audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Quid eſt illud: *ſi audierit?* Si ſe damnaverit, ſi perſuaſum habeat ſe peccaſſe. Tom. 7. hom. in Matth. 60.

XIV.

A Correctione non deſiſtendum.

Nolo, inquit, *mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat* .... (k) Hæc cum ſciamus, nihil non agamus, ne nos ſeparemus a Deo, ſed animæ noſtræ curæ, amorique fraterno operam demus, neque noſtra diſcerpamus membra; illud enim furentium & mente captorum eſt; ſed quanto pejus affectos videmus, tanto majorem impendamus curam. Nam multos ſæpe conſpicimus, difficilibus, inſanabilibusque corporis morbis laborare, nec finem facimus imponendi pharmaca. Quid podagra, quid chiragra pejus? Num ideo membra abſcindimus? minime. Sed nihil non facimus, ut ſaltem leniamus, ſi ſanare non poſſimus. Hoc & circa fratres noſtros faciamus. Si incurabili morbo laborent, curare perſeveremus, aliorumque onera mutuo feramus. Sic enim Chriſti legem implebimus, & promiſſa conſequemur bona. Tom. 8. hom. 68. in Joan.

XV. *Cor-*

(k) Ezech. 18, 32.

XV.

Correctio fiat cum mansuetudine.

His autem auditis, (*) compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos; Quid faciemus viri fratres? (*l*) Viden', quantum sit mansuetudo bonum? hæc magis, quam vehementia quælibet corda nostra compungit, & acutiorem infligit plagam. Sicut enim, qui obdurata corpora percutit, non tam valide sensum afficit; sed si illa prius emolliat, tunc acrius pungit: ita & hic prius oportet emollire, & tunc pungere. Emollit autem non ira, non vehemens accusatio, non convitium; sed mansuetudo. Furor enim auget morbum, mansuetudo eliminat. Itaque, si velis quempiam, qui te læserit, corripere, illum cum mansuetudine magna aggredere. Tom. 9. hom. 7. in acta Apost.

XVI.

Correctio lenitate destituta invidia quædam est.

Zelus veniam negans, potius furor est, quam zelus, & admonitio lenitate destituta invidia quædam est. Quapropter magis vos obsecro, ne amare de proximorum judicetis peccatis. Nam sicut is, qui absque commiseratione vulnera fratrum spectat, nullum inveniet, qui se dignetur venia, si quando & ipse peccaverit:

(*) Sc. quod Dominum Jesum crucifixissent.
(*l*) Act. 2, 37.

verit : ita, qui cum misericordia de lapsu proximi judicat, si, quando & ipse supplantatus fuerit, multos videbit manum porrigentes. Tom. 4. Serm. 9. in Genes.

XVII.

Correctio fieri debet nunc increpando, nunc obsecrando.

Argue, inquit, *increpa*, *obsecra*. (*m*) Neque enim hoc semper agere oportet, neque semper illud solum : sed utrumque alternis vicibus, quo major inde sequatur utilitas. Nam, si semper argueremus, impudentiores illi fierent : si semper obsecraremus, ignaviores redderentur. Quapropter & medici non solum secant, sed & vulnera obligant : neque semper amara, sed non nunquam etiam lenia pharmaca infundunt : ut per priora illa purificetur sanies, & putredo, per posteriora autem mitigetur inustus ab illis dolor. Et idcirco alibi quoque inquit Paulus : *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite : considerans te ipsum, ne & tu tenteris*. (*n*) Optima admonitio, perfectum consilium, quod paterna viscera declarat, & ejus mentem, qui magnam nostri curam gerit. Vere Paulus per hæc verba, fratres, satis eximio nomine benevolum reddidit auditorem : quasi dicturus : Ejusdem uteri partu, & doloribus prognatus es, eumdem habuisti patrem, iisdem alimentis educatus es, communicasti ei in partu spiritua-

(*m*) 2. Tim. 4, 2. (*n*) Gal. 6, 1.

ſpirituali, cognationem, & fraternitatem hanc etiam in corrigendis proximi erratis declara: *Si præoccupatus fuerit.* Non dixit, ſi peccet, ſed ad genus peccati confugit, quod majorem meretur veniam. *Si præoccupatus fuerit*, hoc eſt, ſi graviter tentatus ſuccubuerit, ſi erraverit: neque eum, qui dedita opera peccavit, dicit, ſed eum, qui ſtuduit bene agere, ſupplantatus tamen eſt a poteſtate diabolica, & victus. Nam talis non tam accuſationem, quam veniam meretur. *Si præoccupatus fuerit homo.* Iterum ad aliam veniæ ſpeciem confugit, nempe naturæ infirmitatem, quam nomine hominis inſinuat. Sicut igitur & magnus Job veniam a Deo impetrare volens dicebat: *Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum?* Sic & nos faciamus, quando cum peccatore aliquo expoſtulatur, continue dicamus. Homo eſt: & naturæ recordatione ad miſericordiam indignantem provocemus. Et ea de cauſa Paulus ad naturam, & ejus infirmitatem confugit, cum dixit: *Si & præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto.* Non ſimpliciter magna peccata dicit, quæ majora ſunt, quam ut veniam, & miſericordiam mereri videantur, ſed parva, & abjecta. *vos, qui ſpirituales:* is, qui peccat, homo; qui vero bene operantur, ſpirituales dicuntur. Hic virtutis vocabulum poſuit, illic naturæ nomen dixit. Multum autem differt homo, & ſpiritualis. *Vos, qui ſpirituales.* Si ſpiritualis es, oſtende mihi virtutem tuam, non a tua, ſed a mea ſalute, ſed a ſubſidio, quod lapſo fers. Hoc enim ſpiritualis eſt, non deſpicere ſua

membra

membra periclitantia. *Instruite talem :* facite, ait, ne capi possit, ne certando defatigetur, ne præliando adversus diabolum succumbat Tom. 4. Serm. in Genes. c. 9.

XVIII.

Proximus post lapsum non est deserendus, ne & ipsi deseramur.

Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite: considerans te ipsum, ne & tu tenteris. (o) Hoc summum consilium est, & admonitio maxime cogens. Etiamsi saxeus fueris, & audias verbum hoc, sufficiet ad terrendum, & provocandum, quo feras auxilium lapso. Non vis, ait, ut frater misereri? non vis, ut homo hominibus concedere veniam? non vis, ut spiritualis manum porrigere? considera conditionem tuam, & non indigebis consiliario: sed per temet ipsum jacentem juvabis, & a temet ipso admoneberis. Quo pacto, & quo modo? *Considerans temetipsum*, ait, *ne & tu tenteris.* Non dixit: Nam omnino & tu peccabis, ne molestior esset; sed quomodo dixit? Ne quando & tu tenteris. Fieri enim potest, ut pecces: fieri etiam potest, ut non pecces. Et quia incertum est futurum, para tibi misericordiæ sportulas, quas illi dones, ut per illa, quæ proximo impendis, si & tu aliquando lapsus fueris, invenias promptuaria miseratione referta. Non dixit:

(o) Galat. 6, 1.

dixit: ne quando & tu pecces, ne quando & tu cadas. Attendite diligenter ad vim verborum ipſorum. Sed: *ne quando & tu tenteris.* Quo ſimul indicatur, nos habere inimicum tentatorem. Et tentator non ſtatutum inſidiandi tempus habet; plerumque enim in nos dormientes, & negligentes impetum facit: & idcirco præoccupatus ille magis dignus eſt, cui condonetur, quoniam a tentatore captus eſt. Non enim erat ei manifeſta pugna, neque condictus dies belli, ſed in incautum impetum fecit, atque idcirco ſuperavit. ib.

XIX.

Correctio non differenda.

Nautæ, cum per magnum, & ſpatioſum mare navigant, licet navis ſecundo vento feratur, licet omni fruantur ſecuritate, cum tamen viderint alios vel procul naufragium facere; non ſuam ſpectantes utilitatem, illorum contemnunt calamitatem: ſed ſiſtunt navem, laxant anchoram, detrahunt vela, ejiciunt funes, projiciunt tabulas, ut ille, qui a fluctibus mergitur, forte aliquo illorum arrepto emergat. Imitare igitur, & tu nautas homo, nam & tu navigas mare magnum, & ſpatioſum, nempe vitæ præſentis, quod multas habet belluas, piratas, petras, latentes ſcopulos, crebriſque turbatur fluctibus, & in eo naufragantur plurimi. Cum igitur videris navigantium aliquem diaboli inſidiis amittere divitias ſalutis, natare in fluctibus, & jam ſubmergi, ſiſte navem, & relictis negotiis tuis ſtatim illius provide ſaluti. Nam moram non

ſuſti-

ſuſtinet, neque dilationem, qui ſubmergi incipit. Igitur ſtatim accurre, & quantocyus e fluctibus eum eripe; nihil non age, ut ipſum ex profundo interitus extrahas: etiamſi te plurima negotia aliorſum vocent, & trahant, nihil ducas magis neceſſarium ſalute ſic laborantis; nam ſi parumper differre volueris, perdetur tempeſtate rabida. Unde in tantis periculis magna acceleratione opus eſt, & ſtudio. Audi, quomodo Paulus viſo homine quodam, qui in profundum rapiebatur, ſollicitus, & anxius erat, & alios excitabat: *Obſecro vos, ut confirmemini in illum charitate .... & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui hujusmodi eſt.* (*p*) Et propter hoc jubet ſtatim præbere manum, ut ne interim, dum differimus, præventus ille abſorbeatur. Curam igitur geramus fratrum noſtrorum. Hæc ſumma vitæ noſtræ eſt; hoc ſigno internoſcimur, an Chriſtiani ſimus, cum non ſolum, quæ noſtra ſunt, ſpectamus, ſed & membra noſtra perverſa corrigimus, & inſtruimus. Hoc maximum indicium fidei eſt. *In hoc enim cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* ib. (*q*)

XX.

Qui proximo poſt lapſum ſuccurrit, ſinceram charitatem exhibet.

Charitatem ſinceram declarat non communio menſæ, non breve colloquium, non verborum adulatio, ſed ſtudium in conſiderando, quid

(*p*) 2. Cor 2. v. 7. & 8. (*q*) Joan. 13, 35.

quid proximo conducat, ut erigatur, qui cecidit, & porrigatur lapso manus, salutem negligenti, ut ante bona propria, inquirantur, quae proximi sunt. Haec est vera charitas. Nam Charitas non spectat, quae sua sunt, sed prius videt ea, quae proximi sunt. Et ego non propter memetipsum tam longis sermonibus utor, sed propter vos. Igitur & vos audite, non propter vosmetipsos, sed propter alios a vobis erudiendos. Quandoquidem Ecclesiae corpus per membrorum cohaerentiam nutritur; sicut ergo membrum, quod apud seipsum cibos omnes reservat, vicinoque non communicat, & seipsum offendit, & reliquum corpus corrumpit: quemadmodum in stomacho videmus: is enim, si cibum solus continuerit, & reliquum corpus fame corrumpit, & seipsum sua inexplebili improbitate perdit: si autem acceperit, quantum pro sua portione satis est, & reliquum aliis membris transmiserit, & se ipsum, ac reliquum corpus in bona valetudine conservat: ita & tu nunc, si ea, quae a nobis audis, detinueris, aliique non communicaveris, & illum incommodabis, & te ipsum jam corrupisti: quia ignaviae, & invidiae gravissimos morbos foves. Satis enim ad perditionem tuam fuerit, vel ob malitiam, vel ob invidiam, vel etiam ob ignaviam non communicare aliis. Contra si citra invidiam & ad alios transmiseris alimoniam, & tibi ipsi & aliis profuturus es. Tom. 4. Serm. in Genes. 9.

XXI. Cor-

XXI.

Corrigendus proximus exemplis potius, quam verbis.

Ædificate alterutrum. . . . (r) Neque enim Deus vult, ut christianus se ipso tantum contentus sit, sed ut alios ædificet non per doctrinam solum, sed & per vitam, & conversandi rationem. Nihil enim sic in veritatis viam inducit, ut integritas vitæ. Nam neque tam ea considerant, quæ a nobis dicuntur, quam quæ a nobis aguntur. Et ut scias rem ita se habere; licet sexcenties verbis tantum philosophemur, & de injuriarum oblivione differamus: at cum tempus adfuerit, eam operibus non demonstremus; non tantum proderunt verba, quantum nocebunt opera. Sin ante, & post verba operum specimen exhibuerimus, fide digni habebimur, cum admonebimus alios de iis, quæ per opera adimplemus: quia & Christus hujusmodi homines beatos dixit, inquiens: *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* (s) Vide, quomodo opus præposuerit, & postea doctrinam. Etenim præcedente opere, etiamsi non sequatur doctrina, sufficiunt opera ipsa magis, quam ulla vox ad docendum eos, qui in nos respiciunt. Hoc igitur ubique observemus, ut prius operibus doceamus, & postea sermonibus: ut ne & nos audeamus a beato Paulo: *Tu, qui doces alium, te ipsum non doces?* (t) Et cum volumus admonere

(r) Thessal. 6, 11. (s) Matth. 5, 19.
(t) Rom. 2, 21.

monere alium, ut aliquid ex iis. quæ necessaria sunt, efficiat, prius studeamus, & nos hoc ipsum agere, quo nobis & major sit loquendi, ac docendi fiducia, & omnis nostra cura sit de animarum salute. Tom. 4. hom. 8. in Genes.

XXII.

Qui seipsum non docet, alios emendare non potest.

Qui autem fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur. (u) Non enim nobis tantum, sed & aliis utiles esse debemus. Neque enim par merces est ei, qui se ad recte faciendum comparat, & ei, qui secum alium ad id adducit. Quemadmodum enim docere, & non facere condemnat docentem; nam ait: *Qui doces alium, te ipsum non doces?* (x) Sic facere, nec alios ad faciendum inducere, mercedem minuit. Oportet igitur in utroque supremum esse, & cum te priorem ad benefaciendum induxeris, ad aliorum curam transeundum est. Idcirco enim ipse opera ante doctrinam posuit, ostendens sic optime quemvis se ad docendum comparare, neque alio modo unquam. Auditurus esset enim: *Medice cura te ipsum.* (y) Qui enim cum se ipsum docere non potuerit, alios emendare conatur, a multis irridetur; immo ne docere quidem ille poterit, ipsis operibus contraria testantibus. Si vero in utroque perfectus fuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum: *Dico enim vobis: quia nisi abundaverit justitia vestra plus-quam*

(u) Matth. 5. (x) Rom. 2, 21. (y) Luc. 4.

quam scribarum, & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Tom. 7. hom. 16. in Matth.

XXIII.

Correctio non est omittenda, etiamsi nihil proficiamus.

Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat oportunitatem, ut eum traderet. (z) Nam timebat multitudinem, nihilque aliud quærebat, quam ut illum caperet. O stultitiam! quomodo illum excæcavit pecuniæ amor? Nam, qui illum sæpe viderat per medios transeuntem, nec captum, suæque divinitatis, & potentiæ argumenta multa dantem, speravit se illum capere posse; præsertim cum tot illi verba protulisset terribilia simul, & mansueta, ut hanc malam ille cogitationem abjiceret. Neque enim in cœna ab eo curando destitit, sed usque ad ultimum diem his de rebus ipsum alloquebatur. Sed nihil id illi profuit; nec tamen ideo Dominus cessavit, quæ sua erant, facere. Hæc itaque, cum nos sciamus, nihil non agamus ad revocandos peccatores, & desides, monentes, docentes, obsecrantes, hortantes, consilium dantes, etsi nihil proficiamus. Nam Christus præsciebat Judam nunquam emendandum fore: & tamen non desistebat sua facere, monendo, comminando, miserum dicendo, & nunquam clare, sed subobscure. In ipso quoque proditionis tempore osculantem

(z) Matth. 26, 15.

tem se tulit: sed nihil illa profuere Tom. 7. hom. 80. in Matth.

XXIV.

Circa omnium salutem cura habenda.

Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam, quæ erravit? Etsi contigerit, ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt. Sic non est voluntas coram Patre vestro, ut pereat unus de parvulis istis. (a) Viden', quot modis nos inducat ad curam vel minimorum fratrum? Ne itaque dixeris, ærarius est ille, aut calceorum sutor, agricola, insipiens, ut ideo despicias illum. Ne enim in illud mali incidas, perpende, quot modis te inducat, ut modeste agas, & eorum curam geras. Puerum in medio statuit, & ait, efficiamini, ut parvuli, &, quicunque susceperit parvulum talem, me suscipit, & qui scandalizaverit, extrema patietur. Neque contentus fuit exemplo molæ, sed illud *væ* addidit, atque illos abscindere jussit, etiamsi manuum, & oculorum loco nobis essent. Rursumque ab Angelis, quibus commissi sunt hi fratres tenues, ut illos in pretio habeamus, nos impellit, nec non ex sua voluntate, atque passione. Nam cum dicit: *Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat,* (b) crucem significat, quemadmodum & Paulus ait de

---

(a) Matth. 15. & seq. (b) Luc. 19, 10.

de fratre ſcribens: *Propter quem Chriſtus mortuus eſt*, (c) & de Patre, quod non ipſi placeat, ſi pereat, & ex communi conſuetudine, quo Paſtor relictis iis, quæ ſalvæ erant, eam quærat, quæ erraverat, & cum invenerit, multum lætetur de ſalute ejus. Si ergo Deus gaudet de parvulo, qui repertus eſt, cur tu deſpicis illos, quos Deus tam ſollicite curat, cum oporteret animam ipſam tradere pro uno ex parvulis iſtis? Sed infirmus eſt, & imbecillis: ideo maxime nihil non agendum eſt, ut illum ſerves. Nam & ipſe nonaginta novem relictis ovibus, ad illam venit, nec potuit tot hominum ſalus unius perniciem obſcurare. Lucas vero ipſam eam humeris ſuſtuliſſe ait, & majus gaudium haberi ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis. (d) Tom. 7. hom. 60. in Matth.]

XXV.

Deus quantum ſalutem hominum curet.

Tanta eſt Deo cura de anima, ut ne filio quidem ſuo pepercerit. Quare obſecro, primo diluculo, cum a domo exierimus, hunc unum ſcopum habeamus, & hanc præcipue ſollicitudinem, ut periclitantem eripiamus. Non loquor hic de ſenſibili periculo: hoc enim ne periculum quidem eſt; ſed de periculo animæ, quod hominibus parat diabolus. Nam mercator, ut opes augeat, pelagus transmeat; artifexque, ut rem familiarem amplificet, nihil non

 agit.

(c) 1. Cor. 8, 11. (d) Luc. 15, 7.

tem se tulit: sed nihil illa profuere Tom. 7. hom. 80. in Matth.

XXIV.

Circa omnium salutem cura habenda.

Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam, quæ erravit? Et si contigerit, ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt. Sic non est voluntas coram Patre vestro, ut pereat unus de parvulis istis. (a) Viden', quot modis nos inducat ad curam vel minimorum fratrum? Ne itaque dixeris, ærarius est ille, aut calceorum sutor, agricola, insipiens, ut ideo despicias illum. Ne enim in illud mali incidas, perpende, quot modis te inducat, ut modeste agas, & eorum curam geras. Puerum in medio statuit, & ait, efficiamini, ut parvuli, &, quicunque susceperit parvulum talem, me suscipit, & qui scandalizaverit, extrema patietur. Neque contentus fuit exemplo molæ, sed illud *væ* addidit, atque illos abscindere jussit, etiamsi manuum, & oculorum loco nobis essent. Rursumque ab Angelis, quibus commissi sunt hi fratres tenues, ut illos in pretio habeamus, nos impellit, nec non ex sua voluntate, atque passione. Nam cum dicit: *Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat,* (b) crucem significat, quemadmodum & Paulus ait de

(a) Matth. 15. & seq. (b) Luc. 19, 10.

de fratre scribens: *Propter quem Christus mortuus est*, (c) & de Patre, quod non ipsi placeat, si pereat, & ex communi consuetudine, quo Pastor relictis iis, quæ salvæ erant, eam quærat, quæ erraverat, & cum invenerit, multum lætetur de salute ejus. Si ergo Deus gaudet de parvulo, qui repertus est, cur tu despicis illos, quos Deus tam sollicite curat, cum oporteret animam ipsam tradere pro uno ex parvulis istis? Sed infirmus est, & imbecillis: ideo maxime nihil non agendum est, ut illum serves. Nam & ipse nonaginta novem relictis ovibus, ad illam venit, nec potuit tot hominum salus unius perniciem obscurare. Lucas vero ipsam eam humeris sustulisse ait, & majus gaudium haberi super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis. (d) Tom. 7. hom. 60. in Matth.]

XXV.

Deus quantum salutem hominum curet.

Tanta est Deo cura de anima, ut ne filio quidem suo pepercerit. Quare obsecro, primo diluculo, cum a domo exierimus, hunc unum scopum habeamus, & hanc præcipue sollicitudinem, ut periclitantem eripiamus. Non loquor hic de sensibili periculo: hoc enim ne periculum quidem est; sed de periculo animæ, quod hominibus parat diabolus. Nam mercator, ut opes augeat, pelagus transmeat; artifexque, ut rem familiarem amplificet, nihil non agit.

(c) 1. Cor. 8, 11. (d) Luc. 15, 7.

agit. Nos itaque, ne ſalutem noſtram operari ſatis habeamus: hoc modo enim illam labefactaremus. Etenim in bello, & acie miles, qui id unum curat, ut fuga ſaluti ſuæ conſulat, alios ſecum perdit; cum contra ſtrenuus quisque, qui pro aliis arma ſumpſit, cum aliis ſe ipſum quoque ſervat. Cum itaque res noſtræ bellum ſint, & bellum omnium acerrimum, acies quoque, & pugna; ut Rex noſter juſſit, ita ad pugnam inſtructi ſtemus in acie, ad cædes, & ſanguinem parati, ad omnium ſalutem reſpicientes, commilitones incitantes, lapſos erigentes. Nam multi ex fratribus noſtris in hac pugna jacent vulnerati, ſanguine perfuſi, nemoque curat illos, non e vulgo aliquis, non patronus, non amicus, non frater: ſed ſinguli ſua tantum ſpectant. Ideo noſtra minuamus: noſtra quippe maxima fiducia, noſtra laus eſt, ſi non noſtra tantum curemus. Idcirco imbecilles, & expugnatu faciles ſumus, & hominibus, & diabolo: quia, quod huic rei contrarium eſt, quærimus, non nos mutuo obtegimus, & circummunimus per illam, quæ ſecundum Deum eſt, charitatem, ſed alios nobis quærimus amicitiæ obtentus; alii a cognatione, alii a conſuetudine, alii a conſortio, alii a vicinia: & quacunque alia de cauſa potius amici ſumus, quam ex pietate, cum ex illa ſola oporteat amicitias jungi; nunc contrarium evenit, Judæis, & gentibus aliquando ſumus amici potius, quam Eccleſiæ filiis. Etiam, inquies; nam ille improbus eſt, hic vero bonus & modeſtus. Quid dicis? improbum fratrem vocas tu, cui vetitum eſt vel raca vocare? Nec te pudet,

nec

nec erubescis fratrem traducens? membrum tuum, eum, qui eodem natus est partu? qui est ejusdem mensæ particeps? sed si fratrem secundum carnem habeas, etiamsi mille scelera admittat, illum foves; & si ille mala fama laboret, putas te dedecoris esse consortem: spiritualem vero fratrem, quem calumniis impetitum defendere oporteret, innumeris oneras maledictis, & criminationibus? improbum vocas? Improbus enim, inquis, difficile toleratur. Atqui ideo debes illi amicitia jungi, ut eum a vitio removeas, ut convertas, & ad virtutem reducas. ibid.

XXVI.

Fratres nostri peccantes non monendi modo, sed sæpe monendi sunt, etsi nulla sequatur emendatio.

Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite. At non obtemperat, inquis, neque consilium admittit. Unde hoc nosti? an hortatus es, & emendare studuisti? hortatus sæpe sum, inquies. Quoties? sæpius; semel, & iterum. Papæ! idne sæpius vocas? Etiamsi per totam vitam id fecisses, nec deficere, nec desperare oportebat. Non vides, quomodo nos Deus semper hortetur per Prophetas, per Apostolos, per Evangelistas? Quid igitur? num ideo recte operamur? num in omnibus obtemperamus? Minime. Num ideo finem fecit admonendi? num tacuit? an non singulis diebus dicit:

dicit: *Non potestis Deo servire, & mammonæ?* (e) Et crescit tamen in multis pecuniæ cupiditas, atque tyrannis? Nonne quotidie clamat: *Dimittite, & dimittemini*, & nos magis efferamur? An non quotidie monet, ut concupiscentiæ, & illicitæ voluptati imperemus? & multi plusquam porci in hoc peccato volutantur? Attamen ille hortari non cessat; cur ergo non hæc mente revolvimus, nec dicimus, Deum nobis semper loqui, nec desistere, etiamsi ut plurimum non obtemperemus? ideo dicebat, Pauci sunt, qui salvi fiunt. Si enim non sufficit ad salutem nobis illa virtus, quam seorsim exercemus, sed oportet alios virtutis socios adducere; cum nec nostram, nec aliorum salutem curaverimus, quid patiemur? Unde salutis spem deinceps habebimus? Sed quid hac de re criminor, quando ne contubernalium quidem nostrorum rationem ullam habemus, uxoris, filiorum, servorum? sed non de his, sed de aliis futilibus solliciti sumus, ebriorum instar, ut crescat servorum numerus, qui diligentius nobis serviant: filiique magnam a nobis hæreditatem accipiant: uxor item auro fulgeat, vestibusque pretiosis; neque de nobis curam ullam habemus, sed de facultatibus tantum nostris. Tom. 7. hom. 60. in Matth.

XXVII.

Juvenum impetus a principio coercendus: — Matrimonium impudicis juvenibus suadendum.

In causa sunt Patres, qui equorum domitores cogunt, ut studiosissime equos suos doment, &

(e) Luc. 16, 13.

& dirigant, nec ſinunt equinos pullos indomitos in juventute manere, ſed frænum injiciunt, cæteraque hujusmodi omnia a principio adhibent; filios autem ſuos juvenes ſinunt infrænes circuire, intemperantiæ, ſcortis, & aleis deditos, eſſe, atque iniqua theatra frequentare, ac deturpari. Cum par fuiſſet illi, ne ſcorta adiret, uxorem dare, uxorem caſtam, & prudentem, quæ virum ſuum a mala, abſurdaque conſuetudine abigeret, & equo frænum eſſet. Non enim aliunde fornicationes, & adulteria ortum habent, quam ex juvenum licentia. Nam ſi ille uxorem habeat prudentem, & domeſticæ rei, & famæ, exiſtimationisque ſuæ curam habebit.

Sed juvenis eſt, inquies, ſcio & ego; nam ſi Iſaac quadraginta annos natus ſponſam duxit, & in virginitate totam illam ætatem egit, multo magis in ſtatu gratiæ juvenes philoſophiam illam exercere par eſſet. Sed quid faciam? Nihil curatis, illos in continentia retinere, ſed nihil penſi habetis, dum videtis illos deturpari, fœdari, ſceleſtosque fieri: neque ſcitis, hoc matrimonii lucrum eſſe, ut corpus purum ſervetur: niſi hoc eſſet, nulla eſſet connubii utilitas. Vos contra, poſtquam innumeris maculis fœdati ſunt, tunc illis uxorem datis, idque fruſtra & ſine cauſa. Sed ſpectandum eſt, inquies, donec conſpicuus evadat, & in civilibus negotiis clarus ſit. Animæ autem illius rationem nullam habetis? illamque dejectam ſine ullo ſenſu conſpicitis? Ideo omnia perturbatione, tumultuque plena ſunt, quia illa negligitur; quia, quæ neceſſaria ſunt, non curantur, dum ea, quæ nullius ſunt pretii, magna

dicit: *Non potestis Deo servire, & mammonæ?* (e) Et crescit tamen in multis pecuniæ cupiditas, atque tyrannis? Nonne quotidie clamat: *Dimittite, & dimittemini*, & nos magis efferamur? An non quotidie monet, ut concupiscentiæ, & illicitæ voluptati imperemus? & multi plusquam porci in hoc peccato volutantur? Attamen ille hortari non cessat; cur ergo non hæc mente revolvimus, nec dicimus, Deum nobis semper loqui, nec desistere, etiamsi ut plurimum non obtemperemus? ideo dicebat, Pauci sunt, qui salvi fiunt. Si enim non sufficit ad salutem nobis illa virtus, quam seorsim exercemus, sed oportet alios virtutis socios adducere; cum nec nostram, nec aliorum salutem curaverimus, quid patiemur? Unde salutis spem deinceps habebimus? Sed quid hac de re criminor, quando ne contubernalium quidem nostrorum rationem ullam habemus, uxoris, filiorum, servorum? sed non de his, sed de aliis futilibus solliciti sumus, ebriorum instar, ut crescat servorum numerus, qui diligentius nobis serviant: filiique magnam a nobis hæreditatem accipiant: uxor item auro fulgeat, vestibusque pretiosis; neque de nobis curam ullam habemus, sed de facultatibus tantum nostris. Tom. 7. hom. 60. in Matth.

XXVII.

Juvenum impetus a principio coercendus: — Matrimonium impudicis juvenibus suadendum.

In causa sunt Patres, qui equorum domitores cogunt, ut studiosissime equos suos doment, &

(e) Luc. 16, 13.

& dirigant, nec ſinunt equinos pullos indomitos in juventute manere, ſed frænum injiciunt, cæteraque hujusmodi omnia a principio adhibent; filios autem ſuos juvenes ſinunt infrænes circuire, intemperantiæ, ſcortis, & aleis deditos, eſſe, atque iniqua theatra frequentare, ac deturpari. Cum par fuiſſet illi, ne ſcorta adiret, uxorem dare, uxorem caſtam, & prudentem, quæ virum ſuum a mala, abſurdaque conſuetudine abigeret, & equo frænum eſſet. Non enim aliunde fornicationes, & adulteria ortum habent, quam ex juvenum licentia. Nam ſi ille uxorem habeat prudentem, & domeſticæ rei, & famæ, exiſtimationisque ſuæ curam habebit.

Sed juvenis eſt, inquies, ſcio & ego; nam ſi Iſaac quadraginta annos natus ſponſam duxit, & in virginitate totam illam ætatem egit, multo magis in ſtatu gratiæ juvenes philoſophiam illam exercere par eſſet. Sed quid faciam? Nihil curatis, illos in continentia retinere, ſed nihil penſi habetis, dum videtis illos deturpari, fœdari, ſceleſtosque fieri: neque ſcitis, hoc matrimonii lucrum eſſe, ut corpus purum ſervetur: niſi hoc eſſet, nulla eſſet connubii utilitas. Vos contra, poſtquam innumeris maculis fœdati ſunt, tunc illis uxorem datis, idque fruſtra & ſine cauſa. Sed ſpectandum eſt, inquies, donec conſpicuus evadat, & in civilibus negotiis clarus ſit. Animæ autem illius rationem nullam habetis? illamque dejectam ſine ullo ſenſu conſpicitis? Ideo omnia perturbatione, tumultuque plena ſunt, quia illa negligitur; quia, quæ neceſſaria ſunt, non curantur, dum ea, quæ nullius ſunt pretii, magna

na sollicitudine foventur. An nescis, te nihil filio tam optabile dare posse, quam si illum serves purum a meretricia consuetudine? nihil quippe tam pretiosum est, quam anima: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* (*f*) Verum omnia pervertit, & dejecit pecuniarum amor, Deique timorem decussit, sicut tyrannus arcem, sic animas occupans, & dejiciens. Idcirco & filiorum, & nostram negligimus salutem, id unum curantes, quomodo opulentiores effecti, divitias aliis relinquamus, & illi aliis, hique rursum posteris, sicque pecuniarum, & possessionum transmissores, ut ita dicam, efficimur, non possessores. ib.

XXVIII.

Liberi corrigendi, & instruendi. — Instructio juvenum ars maxima.

Magna insipientia est; liberi servis viliores fiunt. Nam servos etsi non ipsorum causa, nostri gratia tamen castigamus. Liberi autem non pari fruuntur providentia, sed a nobis minori, quam servi in pretio habentur. Ecquid de servis loquor? liberos minus, quam pecudes curamus: de asinis, & equis magis solliciti sumus, quam de filiis. Mulum, si quis habeat, multum curat, ut agasonem illi optimum provideat, non improbum, non furacem, non temulentum, non artis suæ imperitum: si autem filio pædagogum dare opus sit, casu, & sine

(*f*) Matth. 16, 26.

sine delectu obvium quemque excipimus; etsi hac arte nulla sit major.

Quid par illi arti, quæ dirigendæ animæ, & efformandæ juvenis menti, & indoli incumbit? qui tali instructus est facultate, plus diligentiæ exhibeat oportet, quam quivis pictor, aut statuarius. At nos id nihil curamus; sed id unum spectamus, ut linguam ediscat: illudque satagimus tantum opum acquirendarum causa. Non enim, ut loqui valeat, sed ut pecunias colligat, linguam ediscit; ita ut, si absque loquendi facultate possent ditescere, nihil hanc disciplinam curaremus. Viden', quanta sit pecuniarum tyrannis? quomodo omnia invadat, hominesque tanquam mancipia quædam vincta trahat, quo velit? At quod lucrum nobis ex tot criminationibus? Nos verbis illam tyrannidem impetimus: illa rebus nos superat. Cæterum neque sic cessabimus, illam verbis exagitare: & si quid oratione consequamur, & nos, & vos lucrabimur; sin in proposito perseveretis, quod nostri officii erat, perfecimus. Deus autem & vos a morbo illo liberet, & nobis id conferat, ut in vobis gloriemur: quoniam ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen. Tom. 7. hom. 60. in Matth.

XXIX.

Proximus in lenitate corrigendus juxta exemplum Dei, Adamum prævaricatum increpantis.

Quando Deus hominem efformavit, audi, quid dixerit: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*;

ſtram; (g) & rurſum: *Faciamus ei adjutorium:* (h) neque enim bonum eſt, eum eſſe ſolum. Et cum poſtea prævaricatum increpavit, vide, quam manſuete id faciat. Non enim dixit illi, ſceleſte, execrande, tot acceptis beneficiis, diabolo poſtea in omnibus credidiſti, & benefactore relicto, maligno dæmoni adhæſiſti? Sed quid ait? *Quis indicavit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo ſolo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* Ac ſi pater, cum filio, ne gladium contigerit, præcepiſſet, illi non obſecuto, & vulnerato diceret: Unde vulneratus es? inde ſcilicet, quia me non audiſti. Vide amici potius dicta, quam Domini. Amici, inquam, contempti, nec ideo amare ceſſantis. Imitemur ergo illum, & cum increpamus, hanc ſervemus manſuetudinem. Nam & mulierem cum eadem manſuetudine increpat; immo non increpatio, ſed admonitio, & emendatio erant, quæ dicebat, atque ad futura cautio. Tom. 9. hom. ad Roman. 23.

XXX.

Nemo erubeſcat ſe corrigi ab aliis.

Pudor non eſt ab aliis corrigi; immo pudor eſt repellere corrigentes, & in propriæ ſalutis damnum hoc facere. Et tu quidem, ſi veſtem induas inverſam, permittis te a puero admoneri, nec te pudet ab illo diſcere; quamvis hac in re magnus ſit pudor: hic autem in anima læſus, te pudet ab alio erudiri? & ſervum fers te

---

(g) Gen. 1, 26. (h) Gen. 2, 18.

te circa vestem ornantem, & calceantem, eum autem, qui animam tuam ornat, non sustines? Et quantæ hoc non insipientiæ fuerit? Sit & servus doctor, sit puerulus, sit uxor, sit amicus, cognatus, vicinus. Sicut enim fera, quæ undique pellitur, non potest effugere; sic is, qui tot habet custodes, tot correctores, qui undique feriant, non potest non sibi cavere. Et primo quidem die ægre feret, atque in secundo, & tertio: at deinde res erit facilior, & post quartum non idem erit negotium. Periculum facite, siquidem non credatis: curam habete, obsecro. Non est leve peccatum, neque levis correctio; sed utrinque magnum seu bonum, seu malum. Tom. 9. hom. 11. in Act. Apost.

XXXI.

Correctio æquo, & forti animo ferenda. — Quinam veri amici.

Laudare omnia, tum quæ bene, tum quæ male se habent, id non amici, sed fallacis, & derisoris est: at laudare, si quid boni, ac reprehendere, si quid peccati admittatur, id vere amantis, & curam habentis est. Atque ut discatis, quod indiscriminatim omnia laudare, & celebrare, non sit amici, sed decipientis: *Popule meus*, inquit, *qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* (*i*) Certe inimicum, ne laudantem quidem admitto; amicum vero etiam reprehendentem amplexor.

(*i*) Isai. 3, 12.

plexor. Ille, etsi me deosculetur, insuavis est; hic, etsi vulneret, amabilis: illius osculum suspicione plenum est, hujus vulnus curandi vim habet. Propterea dicit quidam: *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* (*k*) Quid dicis? Vulnera osculis meliora, inquit. Non enim ad naturam eorum, quæ fiunt, sed ad affectionem eorum, qui faciunt, attendo. Vis discere, quomodo fideliora sint vulnera amici, quam spontanea oscula inimici? Dominum osculatus est Judas; (*l*) sed osculum erat proditione plenum: os veneno, lingua nequitia replebatur. Fornicarium apud Corinthios vulneravit Paulus; sed illi salutem conciliavit. Quomodo, inquies, vulneravit? Satanæ tradens: *Ego judicavi .... tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis.* Ad quid? *ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu.* Vidistin' vulnera salutis? Vidistin' osculum proditione repletum? Sic fideliora sunt vulnera amici, quam spontanea oscula inimici..... Illi namque sive jure, sive injuria arguant, non exprobrandi, sed corrigendi animo id agunt. Inimici vero, etiamsi jure arguant, non corrigendi, sed infamandi animo arguunt. Hi igitur dum laudant, id student, ut meliorem efficiant; illi vero, etiamsi laudent, nihilominus supplantare conantur. Cæterum quoquo modo reprehensio accidat, magnum certe bonum est, siquis reprehensiones, criminationesque ita ferre possit, ut non exasperetur. *Qui odit increpationes*, ait scriptura, *insipiens est.* (*m*) Non

---

(*k*) Prov. 27, 6. (*l*) Matth. 26, 49.
(*m*) Prov. 12, 1.

Non dixit tales, vel tales increpationes, sed tantum increpationes. Nam si jure arguat amicus, peccatum corrige; si absque ratione, lauda voluntatem, scopum ejus approba, amicitiæ gratiam confitere: ex magno quippe amore accusatio proficiscitur. Ne stomachemur, cum arguimur. Id admodum utile est vitæ nostræ, si ab omnibus fiat: si & peccantes arguamus, & dum labimur, ab aliis argui libenter feramus. In peccatis enim idem sunt reprehensiones, quod in vulneribus remedia. Quemadmodum igitur stultus est, qui pharmaca rejicit; ita & insanus is, qui reprehensiones non admittit. Tom. 3. hom. 3. de ferendis Reprehens. & mutat. nom.

MAJUS.

DOCUMENTA ORATORIA.

I.

Concionator verbo docere debet, & exemplo. — Quantum damnum ex ignorantia Episcoporum, & Concionatorum.

Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina. (n) Etenim hic est perfectissimus doctrinæ terminus, cum & operibus, & dictis

(n) 1. Tim. 5, 17.

dictis suis discipulos in beatam a Christo institutam vitam deducant. Neque enim facta sufficiunt ad docendum. Non meus est sermo, sed ipsius Servatoris. *Qui enim*, ait, *fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur.* (o) Nam si facere idem esset, quod docere, superfluum secundum illud adderetur, satis enim fuisset, dixisse tantum, *qui fecerit.* Nunc vero, quod inter utrumque distinguat, ostendit, alias esse operum partes, alias sermonis, atque ad perfectam ædificationem unum altero indigere. An non audis, quid Ephesiorum presbyteris dicat vas illud electum Christi? *Propter quod*, inquit, *vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte, ac die non cessavi cum lacrymis, monens unumquemque vestrum.* (p) Nam quid opus lacrymis, vel verbis commonitoriis, vita in illo apostolica ita fulgente? Sed ad præceptorum observationem id nobis admodum conferre possit, neque enim ipsum solum omnia præstare posse dixerim. Cum autem de dogmatibus certamen fuerit, omnesque ab iisdem scripturis dimicaverint, quam vim hic vitæ institutum exhibere possit? Quid utilitatis sudores multi afferant, cum post tantos illos labores, ex magna sua imperitia, quis in hæresim lapsus, ab Ecclesia abscissus fuerit? quod quidem scio multis accidisse. Quod lucrum ipsis ex tolerantia? Nullum: sicut nec ex sana fide, si vita corrupta fuerit. His sane de causis harum concertationum maxime omnium peritum esse oportet eum, qui aliorum docendorum munus sortitus est. Nam etiamsi tutus ipse

(o) Matth. 5, 19. (p) Act. 20, 31.

ipſe perſtet, nihil ab adverſariis læſus; at ſubditorum ſimpliciorum multitudo, cum viderit, ducem ſuperatum, nihil poſſe adverſariis opponere, non infirmitatem ejus, ſed dogmatis imbecillitatem proſtratam eſſe putabunt. Atque ob unius imperitiam multus populus in extremam perniciem dejicitur; etiamſi enim ſe non adverſariorum in partes recipiant, attamen, de quibus confidere poterant, de iisdem dubitare coguntur: & iis, quæ cum inconcuſſa fide audierant, cum eadem jam firmitate adhærere non poſſunt. Sed tanta tempeſtas eorum ineſt animis, idque ex doctoris ſui clade, ut in naufragium tandem peſſimum deſinant. Quanta vero pernicies, quantusque ignis, in miſerum caput illius pro ſingulis pereuntibus coacervetur, non opus eſt, ut a me diſcas, cum omnia accurate ſcias. Tom. 1. lib. 4. de Sacerdotio.

II.

Concionator vanam gloriam non quærat.

Vitia in animam ingreſſa totam illam ſus deque verſant; excæcat in mente vim perſpiciendi maximopere gloriæ veſana cupido. Nam pecuniarum contemptum facile quivis admittet; honorem vero a multis præſtitum deſpicere, multi eſt laboris, magnæque philoſophiæ: animæ angelicæ, quæ cœlorum verticem attingat. Nullum, nullum utique eſt vitium ita tyrannicum, quod ubique dominatur, alibi plus, alibi minus, ubique tamen. Quomodo ipſum ſuperabimus, etſi non penitus, tamen ex tantilla parte? Si in cœlum reſpiciamus,

mus, si Deum præ oculis habeamus, si cogitationem, & sensum terrenis rebus longe majorem suscipiamus. Quando gloriam concupiscis, cogita, te jam illam consecutum esse, & disce finem, nihilque reperies. Cogita, quantum hæc res afferat detrimenti, quantis, & qualibus privet bonis. Nam labores quidem, & pericula subibis, a fructibus autem, & præmiis privaberis. Cogita multos esse improbos, gloriamque illorum contemne. Singulos tecum reputa, quinam sint, videbisque ridiculam prorsus rem esse: videbis turpitudinem potius esse, quam gloriam. Et postea erige cogitationem tuam ad supernum theatrum. Cum boni aliquid feceris, si cogites id hominibus esse ostendendum, & quosdam quæras rei spectatores, atque id conspici peroptes; cogita, id Deum ipsum videre, & totam illam exstingues cupiditatem. Ex terra recede, illud respice cœlorum theatrum. Homines, si laudaverint; postea vituperabunt, invidebunt, carpent, ac si nihil horum fecerint: nihil tamen ei quem laudant, utilitatis afferent. In Deo autem nihil tale est, sed gaudet ille recte facta nostra laudans. Tom. 11. hom. 2. in Epist. ad Titum.

III.

Concionator plausus non quærat; sed de Auditorum conversione, & non, quod pius videatur, sed quod talis sit, gaudeat.

Recte locutus es, & plausus excepisti? Quid inde lucri? Nam siquidem plaudentes illi utilitatem consecuti, immutati meliores facti sunt,

ſunt, & a priſtinis malis receſſerunt, gaudendum utique eſt, non de laudibus, ſed de mirabili illa mutatione. Quod ſi perpetuo laudantes, tumultuantes, plaudentes, nihil ex plauſibus lucrentur, dolendum magis eſt: quod hæc illis in judicium & damnationem cedant. At de pietate gloriam habes? Si vero pius fueris, nulliusque mali tibi conſcius es, gaudere oportet; non quia talis videris eſſe, ſed quia talis es. Si vero, cum talis non ſis, multorum gloriam aucuperis; cogita non illos eſſe, qui de nobis judicaturi ſunt in illo die; ſed eum, qui abſcondita accurate novit. Quod ſi peccatorum tibi conſcius, omnibus purus eſſe putaris; non modo non gaudendum, ſed etiam dolendum, & acerbe dolendum eſt tibi, frequenter cogitanti diem illum, quo omnia revelabuntur. ib.

IV.

Honorem non affectet.

Honore frueris? hunc depelle, gnarus te ex hujusmodi honore debitorem conſtitui. Nemo tibi honorem exhibet? ideo gaudere te oportet. Neque enim Deus cum cæteris hunc quoque honorem tibi objiciet. An non vides, ut inter cætera beneficia hoc etiam Deus accuſet per Prophetam: *Suſcitavi de filiis veſtris prophetas, & de juvenibus veſtris Nazaræos.* (q) Vel illud ſaltem lucraberis, quod majori ſupplicio non eris obnoxius. Nam qui in præſenti ſæcu-

(q) Amos 2, 11.

sæculo non honoratur, & in nullo pretio habetur, sed contumeliis afficitur, & despicitur; etsi nihil aliud, hoc saltem lucratur, quod non culpæ obnoxius sit ob honorem sibi a conservis præstitum: & alia quoque emolumenta hinc accipit, dum premitur, & humiliatur, enim neque, etiamsi velit, altum unquam sapiet, si sibi magis attendat. At, qui multo fruitur honore, præterquam quod magis debitis est obnoxius, arrogantia, & vana gloria extollitur, hominumque servus efficitur. Deinde aucta dominatione, multa invitus facere cogitur. Scientes igitur hoc illo præstantius esse, ne quæramus honores, & oblatos depellamus: abjiciamus a nobis, & exstinguamus hanc cupiditatem. Hæc a nobis, & Principibus, & subditis dicta sunt. Anima enim, quæ honorem, & gloriam quærit, non videbit regnum cœlorum. Non meus est sermo; nec verba mea profero, sed divini Spiritus: non videbit, etiamsi virtutem exercuerit. *Receperunt enim*, inquit, *mercedem suam.* (r) Qui ergo mercedem non accipit, quomodo non videbit regnum cœlorum? Non prohibeo gloriam appeti, sed gloriam volo veram, quæ a Deo est. *Cujus laus*, inquit, *non ex hominibus, sed ex Deo est.* (s) In occulto pii simus, non circumdati fastu multo, vel scena, & simulatione. Abjiciamus ovinam pellem, immo potius oves efficiamur. Nihil enim humana gloria abjectius. Dic enim mihi, si videres multitudinem parvulorum lactentium, an cuperes ab illis gloria affici? sic erga omnes homines affectus

---

(r) Matth. 6, 5. (s) Rom. 2, 29.

tus esto, quantum ad gloriam. Ideoque inanis gloria appellatur. ib.

V.

Vera gloria apud Deum est quaerenda.

Non vides larvas, quas in scena histriones sibi imponunt, quam pulchrae sint, quam splendidae, quam ad perfectiorem formam concinnatae? Possisne mihi talem formam in rei veritate monstrare? Minime sane. Quid ergo? Num alicujus talis amore captus es? non. Quare? Quia inanes sunt, & imitantur, nec vere pulchritudinem habent. Ita haec gloria (*) inanis est, & pulchritudinem, quam non habet, imitatur. Illa sola manet, quae intus est, & naturalis. Illa vero exterior saepe deformitatem obtegit: obtegit, inquam, apud homines, & usque ad vesperam. Soluto autem theatro, & detractis larvis, singuli apparent, ut sunt. Ne ergo quasi in scena histrionica veritatem adeamus. Dic enim mihi, quid boni habet a multitudine conspici? inanis est gloria, nihilque aliud. Nam in Domum ascende, solusque esto, & totum effluxit. In forum ingressus es, eos, qui aderant ad te convertisti, & quid amplius? Nihil. Exstincta est gloria, & ut fumus abiit. Res igitur, quae verae non sunt, sic amamus. Et quantae illud amentiae est, dic mihi, quantae stultitiae? Ad unum ergo tantum respiciamus, quomodo nos Deus laudaturus sit. Si hoc spectemus, irridebimus, respuemus, omnia, ac si,

(*) Sc. humana.

cum aurum cuperemus, lutum nacti essemus, ita erimus affecti. Ibidem.

VI.

Inanis gloria quomodo fugienda.

Ne te laudet quispiam: neque enim tibi prodest, uti, si vituperet, nihil nocet. Apud Deum autem utrumque vel lucrum, vel detrimentum affert: quæ enim ab hominibus sunt, vana omnia sunt. In hoc porro Deo æquales sumus, quod ipse gloria hominum non egeat. Ait enim: *Caritatem ab hominibus non accipio.* (t) An parva, quæso, res hæc tibi videtur? Cum igitur gloriam despicere vix potes, dic, Deo æqualis ero, si despiciam, & statim contemnes. Neque enim fieri potest, ut qui humanæ gloriæ servus est, non sit servus omnium, ipsisque mancipiis abjectior. Neque talia servis nostris imperamus. qualia gloriæ amor iis, qui illo tenentur; ad turpia enim & dedecore plena inducit: & cum sibi obsequentes videt, tunc majora imperat. Fugiamus igitur, fugiamus, rogo, hujusmodi servitutem. Quomodo, inquies, poterimus? Si de rebus hujus mundi philosophemur; si consideremus præsentia somnium, & umbram esse, nihilque aliud; facile illam superabimus, ac neque in parvis, neque in magnis capiemur. Si porro non in parvis despiciamus, in maximis certe facile labemur. Procul ergo ejus fontes devitemus. Sunt autem illi stultitia, abjectusque animus. Itaque si sublimem assumamus animum, multitudinis gloriam despicere, atque in cœlum

(t) Joan. 5, 41.

cœlum animam erigere poterimus, cœleſtiaque bona nanciſci, quæ utinam nos omnes conſequamur gratia, & benignitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui cum Patre, & Spiritui ſancto gloria, imperium, honor nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Tom. 11. hom. 2. in Epiſt. ad Tit.

VII.

Concionator ceſſare non debet admonere auditores, etiamſi nihil proficiat.

Chriſtus, cum ſciret Judam non revocatum iri a proditione, non tamen ceſſavit aſſiduis conſiliis, monitis, beneficiis, minis, ac demum omni doctrinæ ſpecie a proditione retrahere, nec deſtitit illum dictis ceu fræno cohibere. Hoc autem fecit nos inſtituens, ut etiamſi præſciamus futurum, ut fratres non obtemperent, tamen, quidquid in noſtra fuerit facultate, præſtemus, tanquam parata nobis admonitionis noſtræ mercede. Vide autem, quanta aſſiduitate, quantaque ſapientiæ illum cohibuerit. *Unus veſtrum me traditurus eſt.* (*u*) Ac rurſum: *Non de omnibus vobis dico: ego ſcio, quos elegerim.* (*x*) Et, *unus ex vobis diabolus eſt.* (*y*) Suſtinuit omnes in angorem inducere, ne vulgaret proditorem, ac manifeſta redargutione redderet etiam impudentiorem. Nam ut intelligas, quod aliis etiam angorem, & metum injecerint Chriſti dicta, licet nullius mali ſibi conſciis, audi, quomodo quisque anxius dixit: *Num quid ego ſum Domi-*

(*u*) Matth. 26, 21. (*x*) Joan. 13, 18.
(*y*) Ibid. 6, 71.

Domine? (z) Neque vero dictis tantum, verum & factis illum corripuit. Cum enim benignitatem suam frequenter, ac modis omnibus declarasset, leprosos emundans, dæmones abigens, ægrotos sanans, mortuos excitans, paralyticos restituens; breviter, cum omnibus benefecisset, neminem tamen punüt, semper habens in ore: *Non veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum;* (a) Ne putaret Judas, quod tantum nosset benefacere, punire vero nequaquam, & hanc quoque partem ipsum docuit, videlicet quod punire posset, suppliciοque afficere peccantes . . . Cum gladiis, & fustibus armati manus in ipsum pararent injicere Judæi, tum illos omnes excæcavit . . . nec id solum, verum etiam omnes resupinatos dejecit in terram . . . Attamen cum Christus tam multa tum fecisset, tum dixisset, ille tamen nihilo factus est melior, non quod parum esset potens, qui monebat, sed ille vecors. Christus autem, cum hæc omnia præsciret, non desiit tamen ab initio usque ad finem suam exhibere benignitatem. Et nos igitur, cum hæc noverimus, dilectissimi, debemus infatigabiliter, ac per omne tempus fratres nostros neglectos instruere, ac monere, etiamsi nihil ex admonitione fructus sit rediturum. Etenim si Dominus, qui prænoverat hujusmodi futurum eventum, hac usus est sollicitudine erga eum, qui nihil fructus erat laturus ex admonitione; qua tandem venia digni fuerimus nos, si cum incertus sit nobis rerum eventus, adeo socordes fuerimus circa proximi salu-

(z) Matth. 26, 22. (a) Joan. 12, 47.

ſalutem, poſt unam atque alteram admonitionem eos deſerentes? Tom. 1. Conc. de Lazaro.

VIII.

Plus meretur, qui curat inſanabilem.

Haud tantumdem laudis meretur is, qui præſcit futurum, ut is, qui conſilium accipit, obtemperet, atque ita in conſulendo perſeverat, quantum is, qui frequenter locutus, frequenter adhibita monitione, fruſtratus eſt, nec ſic tamen deſtitit. Nam priorem illum ſpes futuræ auditoris obſequentiæ, etiamſi ſegniſſimus fuerit, excitat ad officium admonendi: contra hic cum aſſidue moneat, nec audiatur, nec eo tamen deſiſtat, fervidiſſimæ cujusdam, ac veriſſimæ charitatis argumentum præbet, qui cum nulla ſimili ſpe alatur, tamen ob vim amoris erga fratrem non deſinit illius agere curam. Denique præter hæc omnia, quæ dicta ſunt, etiam quid in nobis accidat conſideremus, reputantes, quod cum Deum nobis quotidie loquentem per Prophetas, per Apoſtolos oſcitanter audiamus, haud tamen deſinit vel appellare, vel docere rebelles, parumque attentos. Quin & Paulus clamat dicens: Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo per nos obſecrante. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Ibidem.

IX.

Converſio animarum quam pretioſa apud Deum.

Nihil eſt animæ comparandum, ne totus quidem mundus. Itaque etiamſi innumeras pauperibus pecunias erogaveris, nihil tale efficies,

cies, quale is, qui vel unam animam convertit. *Si enim ſeparaveris pretioſum a vili, quaſi os meum erit*, inquit. (*b*) Magnum quidem bonum eſt egenorum miſereri; ſed nihil tantum, quantum ab errore liberare. Qui enim hoc facit Paulo, & Petro ſimilis eſt. Licet enim illorum prædicationem ſuſcipere, non ut periclitemur quemadmodum illi, & famem, peſtem, cæteraque toleremus; jam enim pacis tempus eſt: ſed ut alacriter ſtudium exhibeamus. Licet enim domi ſedendo hanc exercere piſcationem. Si quis habet amicum, aut cognatum, aut familiarem, hæc faciat, hæc dicat; & ſimilis erit Petro, & Paulo. Quid dico, Petro & Paulo? Os erit Chriſti. Nam *ſi ſeparaveris pretioſum a vili, quaſi os meum eris*, inquit. Etiamſi hodie non perſuaſeris, cras perſuadebis; etiamſi nunquam perſuaſeris, tu perfectam habebis mercedem. Etiamſi non omnibus perſuaſeris, & multis paucos attrahere poteris; quandoquidem Apoſtoli non omnibus hominibus perſuaſere: omnes tamen allocuti ſunt, & de omnibus mercedem habent. Non enim ab exitu recte factorum, ſed a mente recte operantium, coronas Deus decernere ſolet: etiamſi duos jeceris obolos, accipit; & quod erga viduam fecit, hoc & erga doctores operatur. Ne itaque quia non potes orbem terrarum ſervare, paucos deſpicias, nec ex magnorum deſiderio a minoribus te abſtrahas. Si centum non potueris, decem cures; ſi denos non poſſis, ne quinos ſpernas; ſi quinos non poſſis, ne unum deſpicias; ſi unum non potueris, neque ſic animo

(*b*) Jerem. 15, 19.

mo deficias, nec, quæ penes te sunt, cohibeas. Non vides, quomodo in contractibus, non solum ex auro, sed etiam ex argento mercatores commercia exercere soleant? Nam si ne parva quidem despiciamus, magna etiam apprehendemus. Si vero parva contemnamus, neque illa ipsa facile percipiemus. Sic quisque dives efficitur parva, & magna colligens. Sic & nos faciamus, ut in omnibus divites facti, regnum cœlorum consequamur. Tom. 10. hom. 3. in Epist. ad Cor.

X.

Concionator tristitia non absorbeatur, si perorando nil efficiat: hoc enim etiam Prophetis obtigit.

Hæc (nimirum quod in inferno sint tenebræ indissolubiles, & luce penitus carentes: adeo ut nec cœlum videant nec aërem; sed in majores redigantur angustias, quam qui infossi sunt in terra) sæpe dicimus, sed non persuademus aliquibus. (*) Sed non est mirum, si nobis, qui sumus viles homines, concionantibus hæc accidunt, cum hæc etiam acciderent Prophetis, non de his solum rebus differentibus, sed de bello, & captivitate, & Sedechias argueretur a Jeremia, nec afficeretur pudore. Propterea dicebant: *Væ qui dicitis: festinet, & cito veniat opus ejus, ut videamus: & appropiet, & veniat consilium sancti Israël, & sciemus illud.* (c) Ne

(*) Quippe in potestate Oratoris est, ut consulat, non ut persuadeat. S. Chrysost. hom. in illud: Si esurierit inimicus. Tom. 3.

(c) Isai. 5, 19.

Ne hoc miremur. Nam & qui erant tempore Arcæ, non credebant: ſed crediderunt, quando nullum erat lucrum fidei. Neque qui erant Sodomis, exſpectarunt: ſed ipſi quoque crediderunt, quando nihil eis profuit. Et quid dico de futuris? Quis exſpectaſſet ea, quæ nunc fiunt in diverſis locis? Terræ motus, & urbium everſiones. Atqui hæc erant illis magis credibilia, quam Arca, inquam. Undenam hoc conſtat? Quod illi quidem non potuerint, aliud exemplum aſpicere, neque Scripturas audierunt. Hic autem ſunt innumerabilia, quæ & noſtris facta ſunt temporibus, & præcedentibus. Sed undenam proceſſit eorum incredulitas? Ex molli, & ignava anima. Bibebant, & comedebant, & propterea non credebant. Nam quæ vult quispiam, ea & putat, ea & exſpectat: qui autem contradicunt, nugaces habentur. Tom. 11. hom. 2. in Epiſt. ad Coloſſ.

XI.

Doctore, qui non exemplo prædicat, nihil miſerabilius.

Singuli culpandi ſunt, qui legem transgrediuntur; maxime autem is, qui docendi auctoritatem habet: duplici quippe, & triplici damnationi obnoxius eſt. Primo quidem, quod transgrediatur, ſecundo quod alios emendare deberet, deinde, quod claudicans hoc faciat, ob ipſam dignitatem majori poena dignus eſt; tertio: quod majoris corruptelæ cauſſa ſit, quia in doctoris ordine hæc perpetrat. Tom. 4. hom. in Matth. 72.

XII.

XII.

Exemplo magis, quam verbis prædicandum.

Vita prius, quam ſermone, impetamus *Incredulos*. Hoc enim magnum certamen eſt: hæc ratiocinatio eſt, cui contradici non poſſit, quæ per opera procedit. Etiamſi enim innumera verbis philoſophemur, ſi non meliorem, quam illi, vitam exhibeamus, nullum eſt lucrum. Non enim dictis attendunt, ſed facta noſtra examinant, & dicunt: Tu prior verbis tuis obtempera, & tunc alios admone. Quod ſi, cum dicis, innumera eſſe bona in futuro ſæculo, quaſi illa non ſint, præſentibus addictus videaris, credibiliora mihi ſunt facta, quam dicta tua. Cum enim video te aliena rapientem, de iis, qui defuncti ſunt, ultra modum lugentem, aliaque multa prave agentem, quomodo tibi credam dicenti, reſurrectionem eſſe? Etiamſi autem hæc non dicant: hæc tamen cogitant, & in mente ſervant. Et hoc impedit, quo minus infideles chriſtiani fiant. Inducamus ergo illos per vitam noſtram. Multi, & illiterati viri philoſophorum mentem ita perculſere, utpote qui operum philoſophiam exhibentes, & vocem tuba clariorem per vitæ inſtitutum, & philoſophiam emitterent. Hæc quippe lingua fortior eſt. Tom. 10. hom. 3. in Epiſt. ad Cor.

XIII.

Concionator S. Scripturarum lectioni incumbat.

Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Paulus Timotheum jubet attendere lectioni. Audiamus omnes, & instruamur, ut ne divinarum Scripturarum meditationem negligamus . . . . *Attende tibi*, inquit, *& doctrinæ: insta in illis*; hoc est, attende tibi ipsi, & cæteros doce. *Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.* (*d*) Bene dixit, & te ipsum. Nam qui doctrina innutritus est, sermonibus ipse primus utilitatem decerpit: dum enim alios admonet, seipsum compungit. Neque enim Timotheo hæc dicta sunt, sed omnibus. Quod si ei, qui mortuos suscitabat, hæc monita dat, quid nos dicemus? Sed & Christus de doctoribus hæc subindicat dicens: *Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrisfamilias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera.* (*e*) Ac rursum beatus Paulus, de eadem re monens, dicit: Ut *per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus.* (*f*) Ipseque maxime omnium hoc executus est, ad pedes Gamalielis paterna lege instructus; ita ut postea ipse verosimiliter lectioni attentus fuerit. Qui enim alios ad hoc hortatur, se priorem concitaverit, oportet. Viden', illum frequenter prophetarum testimoniis uti, atque illa scrutari? Itane, cum Paulus lectioni intendat (neque enim modica utilitas ex Scripturis decerpi potest) nos negligenter agemus, & per-

---

(*d*) 1. Tim. 4, 16. (*e*) Matth. 13, 52.
(*f*) Rom. 15, 4.

& perfunctorie audiemus? Et quo non supplicio digni erimus? Tom. 11. hom. 13. in 1. Epist. ad Tim. cap. 4. & 5.

XIV.

Vitia publica publice sunt culpanda.

Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant. (g) Hoc est, non statim exscinde; sed multa accuratione omnia examina. Cum aperte rem didiceris, vehementer invehe, ut alii resipiscant. Sicut enim temere damnare perniciosum est, sic manifesta peccata non punire, est viam parare aliis, ut talia audeant. Argue, inquit, significans, non utcumque, sed acriter agendum esse; sic enim reliqui metum habebunt. Quomodo igitur ait Christus: *Vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum,* (*h*) si in te peccaverit? At illum quoque permittit in Ecclesia redargui? Quid ergo? An non majus scandalum est, si coram omnibus arguatur? Cum enim peccatum noverint, & pœnam non viderint, magis scandalizabuntur? Sicut enim cum peccantes inulti manent, plurimi peccant; sic si puniantur, multi resipiscunt. Sic & Deus fecit, Pharaonem in medium adductum punivit, itemque Nabuchodonosorem, & urbes, hominesque multos pœnas dedisse videmus. Vult ergo omnes timore affici ab Episcopo, quem omnibus præficit. Hom. 15. in Epist. 1. ad Tim. Tom. 11. pag. 637.

 XV.

(g) 1. Tim. 5, 20. (*h*) Matth. 18, 15.

XV.

Opere magis, quam verbo insinuatur discipli-na. — Concionatores notantur, qui gloriæ, & plausus gratia prædicant.

Cur altum sapis? quia verbis doces? Sed facile est philosophari verbis: doce me per vitam tuam: hæc est optima doctrina. Dicis: modestia opus esse, & hac de re longum texis sermonem, atque in oratione sine obice verba profundis? At melior te est ille, dicet quispiam, qui hoc operibus me docet. Non enim ita insinuari solet animis disciplina verbis, ut operibus. Nam nisi opera habeas, non modo non prodes verbis, sed etiam magis noces. Melius est tacere. Quare? Quia rem mihi impossibilem proponis. Cogito enim, si tu, qui hæc dicis, non facis; multo magis me venia dignum esse, qui nihil dico. Ideo ait propheta: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas?* (i) Majus enim hoc nocumentum est, cum quis recte docens verbis, doctrinam factis impugnat. Hoc multorum in Ecclesiis fuit causa malorum..

Multi multa faciunt, ut in medio stantes longum proferant sermonem; & si plausum multitudinis assequantur, perinde gaudent ac si regnum obtinuissent: si vero cum silentio dicendi finem faciant, gehenna ipsis gravius, & onerosius est tale silentium. Hoc Ecclesias subvertit, quod vos non quæratis (*) verba compunctionis; sed quæ oblectent, & sono, & verborum compositione, ac si cantores, & citharædos audiatis. Et nos

(i) Psal. 49, 10. (*) Alloquitur auditores.

nos frigide, ac misere vestros affectus sequimur, quos exscindere oporteret &c. hom. 30. in Act. Apost. Tom. 9.

DE POENITENTIA, ET CONFESSIONE SACRAMENTALI.

XVI.

Prima Pœnitentiæ via est peccati confessio sincera. — Confessio medium facile.

Quid times o diabole, dum pœnitentia laudatur? quid gemis? quid horres? Merito sane, inquit, gemo, & affligor: magna mihi vasa rapuit pœnitentia ista. Quænam illa tandem? Meretricem, Publicanum, Latronem, blasphemum (*). Enimvero multa vasa ejus sine dubio rapuit pœnitentia, & ipsam ejus arcem evertit, ac lethali vulnere est a pœnitentia confossus . . . Cur igitur non singulis diebus ad Ecclesiam ventitamus, ut pœnitentiam complectamur? sive enim peccator sis, ingredere in Ecclesiam, ut peccata tua dicas: sive justus sis, ingredere, ne a justitia excidas. Portus enim est utrique Ecclesia. Peccator es? ne despondeas animum, sed ingredere, ac pœnitentiam obtende. Peccasti? quis circuitus? quæ fatigatio? quæ angustiæ verbum hoc proferre, *Peccavi*? Num enim tu, nisi te ipsum dixeris peccatorem, a diabolo non accusaberis? præoccupa, & eripe illi suam dignitatem: ejus enim dignitas est accusare. Cur igitur illum non prævenis, & peccatum dicis, & crimen purgas, cum probe scias,

 talem

(*) Sc. Dismam.

talem accusatorem tibi, qui tacere nequeat, imminere? Peccasti? in Ecclesiam ingredere, dic Deo, *Peccavi*. Nihil aliud abs te nisi solum istud exigo. Ait enim Scriptura sacra: *Dic tu primus iniquitates tuas, ut justisiceris* (*k*) (*): dic peccatum, ut solvas peccatum. Non in hoc labor est, non circuitus verborum, neque pecuniarum expensæ, neque aliud quidquam hujusmodi requiritur; bonæ fidei esto circa peccatum, & dic: *peccavi*. Unde vero fit hoc, dicet aliquis, ut si primus dixero, peccatum deleam? Habeo in Scriptura hominem, qui peccatum dixit, & delevit.... David rex ait. *Peccavi Domino.* Quid igitur ad eum Nathan? *Etiam Dominus dimisit peccatum tuum.* (*l*) (**) Teipsum condemnasti, tibi ego pœnam condono: bona fide peccatum confessus es, peccatum delevisti. Tibi mulctam accersivisti; ego sententiam meam rescidi. Vides, ut impletum fuerit, quod scriptum est: *Dic tu primus iniquitates tuas, ut justificeris*? quis labor peccatum dicere? Tom. 2. hom. 2. de Pœnit.

XVII.

Altera Pœnitentiæ via est confessio dolorosa.

Habes, & alteram pœnitentiæ viam: quam tandem illam? Peccatum fere. Peccasti? fleto, & peccatum solvis. Quisnam hic labor? Nihil a te amplius requiro, quam ut fleas peccatum

(*k*) Isai. 43, 26.
(*) Vulgat. *Narra siquid habes, ut justificeris.*
(*l*) 2. Reg. 12, 13.
(**) Vulgat. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.*

catum. Non dico tibi, ut emetiaris maria, ut in portus te recipias, neque ut iter conficias, neque ut longissimam peregrinationem suscipias, neque ut pecunias numeres, aut sævis fluctibus te committas; sed quid? propter admissum peccatum plora. Unde vero hoc fit, inquit, ut si plorem, peccatum solvam? hujus rei demonstrationem habes etiam ex Scriptura. Fuit Rex quidam Achab: is vero justus fuisse perhibetur. Cæterum propter Jezabel uxorem suam injuste regnabat. Hic Nabuthæ cujusdam Jezraelitæ vineam possedit. Mittit ad eum Heliam Prophetam Deus. Vade, inquit, dic Achab: quoniam occidisti, & possedisti, sic effundetur sanguis tuus, & canes sanguinem tuum lingent, & meretrices lavabunt in sanguine tuo . . . Hæc cum audiisset Achab contristatus est, & propter peccatum suum plorabat. Agnovit iniquitatem, & latam in eum sententiam revocavit Deus . . . . *vidisti,* ait Heliæ Deus, *quemadmodum incesserit plorans, & tristis Achab coram me? non faciam secundum malitiam ejus.* (m) (*) Ibid.

XVIII.

Tertia Pœnitentiæ via est confessio humilis.

Humilis esto, & peccatorum vincula solvisti. Hujus demonstrationem exhibet Scriptura, & lectio narrationis de Publicano, & Pharisæo.

 Ascen-

(m) 3. Reg. 21.

(*) Vulgat. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.*

talem accusatorem tibi, qui tacere nequeat, imminere? Peccasti? in Ecclesiam ingredere, dic Deo, *Peccavi.* Nihil aliud abs te nisi solum istud exigo. Ait enim Scriptura sacra: *Dic tu primus iniquitates tuas, ut justificeris* (*k*) (*): dic peccatum, ut solvas peccatum. Non in hoc labor est, non circuitus verborum, neque pecuniarum expensæ, neque aliud quidquam hujusmodi requiritur; bonæ fidei esto circa peccatum, & dic: *peccavi.* Unde vero fit hoc, dicet aliquis, ut si primus dixero, peccatum deleam? Habeo in Scriptura hominem, qui peccatum dixit, & delevit.... David rex ait. *Peccavi Domino.* Quid igitur ad eum Nathan? *Etiam Dominus dimisit peccatum tuum.* (*l*) (**) Teipsum condemnasti, tibi ego pœnam condono: bona fide peccatum confessus es, peccatum delevisti. Tibi mulctam accersivisti; ego sententiam meam rescidi. Vides, ut impletum fuerit, quod scriptum est: *Dic tu primus iniquitates tuas, ut justificeris?* quis labor peccatum dicere? Tom. 2. hom. 2. de Pœnit.

XVII.

Altera Pœnitentiæ via est confessio dolorosa.

Habes, & alteram pœnitentiæ viam: quam tandem illam? Peccatum fere. Peccasti? fleto, & peccatum solvis. Quisnam hic labor? Nihil a te amplius requiro, quam ut fleas peccatum

(*k*) Isai. 43, 26.
(*) Vulgat. *Narra siquid habes, ut justificeris.*
(*l*) 2. Reg. 12, 13.
(**) Vulgat. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.*

catum. Non dico tibi, ut emetiaris maria, ut in portus te recipias, neque ut iter conficias, neque ut longissimam peregrinationem suscipias, neque ut pecunias numeres, aut sævis fluctibus te committas; sed quid? propter admissum peccatum plora. Unde vero hoc fit, inquit, ut si plorem, peccatum solvam? hujus rei demonstrationem habes etiam ex Scriptura. Fuit Rex quidam Achab: is vero justus fuisse perhibetur. Cæterum propter Jezabel uxorem suam injuste regnabat. Hic Nabuthæ cujusdam Jezraelitæ vineam possedit. Mittit ad eum Heliam Prophetam Deus. Vade, inquit, dic Achab: quoniam occidisti, & possedisti, sic effundetur sanguis tuus, & canes sanguinem tuum lingent, & meretrices lavabunt in sanguine tuo . . . Hæc cum audiisset Achab contristatus est, & propter peccatum suum plorabat. Agnovit iniquitatem, & latam in eum sententiam revocavit Deus . . . . *vidisti*, ait Heliæ Deus, *quemadmodum incesserit plorans, & tristis Achab coram me? non faciam secundum malitiam ejus.* (m) (*) Ibid.

XVIII.

Tertia Pœnitentiæ via est confessio humilis.

Humilis esto, & peccatorum vincula solvisti. Hujus demonstrationem exhibet Scriptura, & lectio narrationis de Publicano, & Pharisæo.

 Ascen-

(m) 3. Reg. 21.

(*) Vulgat. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.*

Ascendebant, inquit, in templum Pharisæus, & Publicanus, ut orarent, & cæpit Pharisæus suas enumerare virtutes: (n) Non sum ego, inquit, peccator, sicut mundus totus, neque sicut iste Publicanus. Misera, & infelix anima totum orbem terrarum condemnasti, cur etiam proximum tuum afflixisti? Non sufficiebat tibi totus orbis, nisi Publicanum quoque damnares? Omnes hac ratione vituperasti, & ne uni quidem viro pepercisti. Non sum ego sicut mundus totus, neque sicut iste Publicanus. Jejuno bis in hebdomada, decimas eorum, quæ possideo, do pauperibus. Arrogantiæ verba prolocutus est. Homo infelix! esto terrarum orbem condemnasti, cur etiam proximum tuum Publicanum reprehendisti? Non exsaturatus es accusatione totius orbis, nisi & comitem tuum damnares? Quid igitur Publicanus? Hæc cum audiisset ille, non dixit: Tu vero quisnam es, qui mihi hæc objicis? Unde tibi vita mea innotuit? Non conversatus es mecum, non habitasti mecum, non mecum ætatem transegisti. Cur adeo superbis? Quis bona opera tua suo testimonio commendat? cur te ipsum laudas? cur tibi ipsi blandiris? Sed nihil horum dixit Publicanus, verum capite in terram inclinato adoravit, & dixit: *Deus propitius esto mihi peccatori*: (o) & cum humilitatem præ se tulisset, justus est factus: Pharisæus autem amissa justitia ex templo descendit, & verba facta vicerunt. Nam ille quidem operibus justitiam amisit: hic vero humilitatis sermone justitiam acquisivit. Tom. 2. hom. 2. de Pœnit.

XIX.

(n) Luc. 18, 10. (o) Luc. 8.

XIX.

Nullum peccatum grave in confessione reticendum.

In peccatis nostris vulgandis ne vereamur homines, sed Deum, ut par est, timeamus, qui & nunc facinora nostra videt, & tunc puniturus est eos, qui nunc pœnitentiam non agunt. At nos econtra eum, qui nos judicaturus est, non timemus; eos autem, qui nobis nocere nequeunt, formidamus, tremimusque, ne apud illos infamia laboremus; idcirco in quo timemus, in eo pœnas dabimus. Nam qui solum, ne hominibus turpis videatur, cavet, neque erubescit Deo vidente nefarium quidpiam patrare; si non pœnitentiam agat, in illa die non ante unum, aut duos, sed orbe toto vidente traducetur. Nam quod ad bona, & mala opera spectanda magnus ibi consessus sit, parabola ovium, & hædorum te doceat, nec non beatus Paulus, qui dicit: *omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum;* (p) & rursus, *qui manifestabit abscondita tenebrarum.* (*) Commisisti aliquod peccatum, aut cogitasti illud, & hominibus occultas? at Deo non occultas: & tamen nihil curas; oculos autem hominum formidas. Cogita ergo, te homines latere non posse in die illo. Omnia enim quasi in imagine tunc stabunt ante oculos nostros, ut unusquisque contra

 tra

(p) 2. Cor. 5, 10.

(*) Vulgat. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium;* Cor. 4, 5.

tra se ferat sententiam; quod ex divite palam est. Etenim pauperem illum, quem despexerat, Lazarum dico, ob oculos stantem dives vidit, & quem cum horrore depulerat, digitum jam rogat sibi solatio esse. Rogo igitur, etsi nemo nostra videat, singuli in suam conscientiam ingrediantur, & judicem sibi rationem constituant, ac peccata in medium agant. Et, nisi velint ea in die illa terribili promulgari, pœnitentiæ remedia apponant, ac vulnera sanent. Potest enim, potest quisque, etsi mille plagis onustus, sanus abire. Nam *si dimiseritis*, inquit, *peccata dimittentur vobis; si non dimiseritis, non dimittentur.* (*) Quemadmodum enim in baptismate abluta peccata non amplius apparent; ita & hæc delebuntur, si pœnitentiam agamus. Tom. 8. hom. in Joan. 34. alias 33.

XX.

Ob multitudinem peccatorum non desperandum. — Confessio omnia peccata delet.

Admodum benignus est Deus; filio non pepercit, ut servo parceret: tradidit unigenitum, ut ingratos servos redimeret: sanguinem filii sui in pretium deposuit. O Benignitatem Domini! Ne mihi rursum dicas: Peccavi multum, quomodo potero salutem consequi? Tu non potes, Dominus tuus potest: atque ita potest, ut deleat peccata tua.

Atten-

(*) Vulgat. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec pater vester dimittet vobis peccata vestra*, Matth. 6, 14. & 15.

Attende diligenter: ita delet peccata, ut ne vestigium quidem eorum maneat. In corporibus non item: nam etsi medicus millies studium, & remedia adhibeat, vulnus quidem e medio tollit; sed plerumque ei, qui in facie plagam accepit, vulnus quidem curat, sed circatrix remanet, & in argumentum vulneris vultus deformitatem circumfert: milleque modis annititur medicus cicatricem delere, sed non potest; repugnat enim infirmitas naturæ, nec non artis, & remediorum imbecillitas. Contra vero Deus, cum peccata delet, nec cicatricem relinquit, nec vestigium manere sinit, ac cum sanitate formæ decus largitur: cum immunitate a supplicio justitiam dat, eumque, qui peccavit, ei, qui non peccavit, parem efficit. Tollit enim peccatum, atque id efficit, ut neque sit, neque factum fuerit; ita scilicet universim delet illud. Non manet cicatrix, non vestigium, non argumentum, non signum. Id undenam liquet? Dictorum enim demonstrationes exhibere debeo, ita ut non meam proferam sententiam, sed ex Scripturis demonstrem, ut res certa, indubitataque maneat . . . *Venite, & arguite me, dicit Dominus:* & addit: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* (q) Nunc ubi nigricans color? Nunc ubi macula? Et quo pacto fiunt ista? Num & aliæ promissiones? Os enim Domini hæc locutum est. Non solum magnitudinem vidisti promissorum, sed & dignitatem largientis. Deo enim possibilia sunt omnia; qui

(q) Isai. 1, 18.

qui potest e sordido facere mundum. Hunc igitur cum audierimus, & pœnitentiæ medelam noverimus, gloriam ipsi transmittamus: quia ipsius est gloria, & imperium in sæcula, Amen. Tom. 2. hom. 8. de Pœnit.

XXI.

Confessio facile, ac salubre remedium.

Num opes aliquæ hic sunt expendendæ? Num longum iter suscipiendum? Num dolorem, & cruciatum affert hæc medicina? Absque sumptu, & cruciatu est præsens pharmacum, & quam celerrime curat. Etenim secundum affectum, & animum accedentis, sic & remedia vulnerum largitur Dominus. Igitur qui vult statim ad sanitatem redire, animæque curare ulcera, sobria mente medicum adeat; ab omnibus sæcularibus curis se abdicans, calidas lacrymas profundat, assiduitatem plurimam præ se ferat: fidem firmam afferat, ac medici confidat arti, & protinus sanitatem consequetur. Vidisti medici bonitatem, ad quam si omnium patrum amor conferatur, obscurabitur. Num grave aliquid, & molestum a nobis requirit? Contritionem cordis, compunctionem mentis, confessionem lapsus, & assiduitatem continuam: & non solum largitur vulnerum curam, & a peccatis mundos reddit; sed & eum, qui antea innumeris peccatorum sarcinis gravabatur, justum efficit. O misericordiæ magnitudinem! o bonitatis excellentiam! qui peccavit, quando confitetur peccata, veniam petit, & posthac securitatem præ se fert, repente justus redditur! Et quo clare

re hoc discas, audi Prophetam dicentem: *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris.* (r) (*) Non simpliciter inquit: Dic tu iniquitates tuas; sed adjecit, *prior*: hoc est, ne exspectes tu arguentem, ne præstoleris accusatorem: ipse præveni, & rape sermonis principium, ut accusatoris linguam occludas. Tom. 4. hom. 20. in Genes.

XXII.

Confessio peccatorum non condemnat, sed liberat a pœnis, & a morte confitentem. — Tempore quadragesimæ pœnitentia agenda.

Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris. In mundanis siquidem, & forensibus judiciis, post accusationem, & criminum confessionem restat mors: cæterum apud divinum tribunal post accusationem, & confessionem peccatorum, datur corona. Tom. 6. in illud *vidi Dominum* hom. 3. Vidisti judicis benignitatem? in humanis quidem judiciis, si quis hoc faceret, & ante allatam probationem facinora confiteretur, quamvis apud humanum fortasse judicem tormenta, & sibi succedentes pœnas effugeret, tamen sententiam capitalem omnino in suum caput accerseret: at misericordis Dei, & animarum nostrarum medici tanta est, tamque ineffabilis bonitas, & clementia, ut omnem etiam sermonem excedat. Nam si adversarium nostrum præverterimus, diabolum dico, qui in die illo ob faciem nostram stabit: & jam in præsenti vita, antequam

(r) Isai. 43, 26.
(*) Vulgat. *Narra, si quid habes, ut justificeris.*

quam ad tribunal ingrediamur, facinora confessi fuerimus, dicendique principium rapuerimus, nostrum ipsorum facti accusatores, in tantam misericordiam provocabimus Dominum, ut non solum nobis concessurus sit, ut a peccatis liberemur, sed ut in justorum catalogo adscribamur . .

Id quod nisi nunc fecerimus, cum jejunii tempus est, cum tanta est cogitationum tranquillitas, cum voluptas omnis sublata e medio: quandonam facinora nostra expendere poterimus? Idcirco semper vos obsecro, ut sobrii sitis, & vigiles, & præsentem vitam omnem in hoc insumatis, ut assiduitate illa intolerabile illud supplicium effugiamus, & gehennæ ignem vitare possimus. Maxime autem nunc, majorique studio id curandum, quando propter jejunii tempus continuis, majoribusque fruimini admonitionibus. Tom. 4. hom. 20. in Genes.

XXIII.

In confessione peccata non reticenda. — Etiam post confessionem homo se peccatorem esse fateri debet. — Memoria peccatorum proficua recte factorum nociva.

In externis quidem tribunalibus post confessionem sequitur pœna. Propterea Psaltes etiam hoc ipsum reformidans, ne quis metu pœnæ, quæ confessionem sequatur, peccata denegaret, ait: *Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in sæculum misericordia ejus.* (s) Num enim tua peccata nescit, nisi tu confessus fueris? Quid ergo tibi prodest, si minime confiteare? Num enim

(s) Psal. 155, 1.

enim potes latere? Quamvis non dixeris: ille novit. Quod si tu dixeris, ille obliviscitur. *Ecce enim ego Deus, qui deleo iniquitates tuas, & non recordabor.* (t) (*) Vides? non recordabor, inquit. Est enim hoc clementiæ. At tu recordare, ut castigationis captes occasionem. Hæc licet audiisset Paulus, peccatorum tamen, quorum non recordabatur Deus, perpetuo recordabatur, cum ita diceret: *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* (u) Et, *Christus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* (x) Non dixit, eram, sed, sum. Facta erat remissio peccatorum apud Deum, & apud Paulum peccatorum memoria non delebatur. Audistis enim Prophetam dicentem: *Et non recordabor:* at tu recordare. Deus vas electionis ipsum vocat, & iste se peccatorum primum vocat. Quod si peccatorum non obliviscebatur, cogita, quo pacto Dei beneficiorum recordaretur.

Quid ego dico memoriam peccatorum minime probro afficere? Non ita nos memoria recte factorum reddit illustres, ut memoria peccatorum. Immo vero non modo non reddit illustres memoria recte factorum, sed etiam opprobrio afficit, & condemnat: at peccatorum memoria ad fiduciam nos erigit, ac justitia multa cumulat. Quis hoc dicit? Pharisæus, & Publicanus. Nam hic quidem, cum sua peccata dixisset, justificatus descendit:

(t) Isai. 43, 25.

(*) Vulgat. *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

(u) 1. Cor. 15, 9. (x) 1. Tim. 1, 15.

dit: ille vero, cum ſua recte facta dixiſſet, publicano factus inferior deſcendit, Vides, quantum afferat damni recte factorum meminiſſe: quantam pariat utilitatem peccatorum minime obliviſci? Ac merito ſane: qui namque recte factorum meminit, in ſuperbiam effertur, caeteros homines aſpernatur, quod & accidit Phariſaeo: neque enim in tantam veniſſet arrogantiam, ſi non dixiſſet: *Non ſum ſicut cæteri homines.* (y) Tom. 2. hom. non eſſe ad gratiam concion.

XXIV.

Examen conſcientiæ inſtituendum.

Semper idem præſtandum eſt in peccatis, quod in pecuniarum impenſa præſtamus. Statim enim atque cubili ſurrepimus, antequam pedem in forum inferamus, aut aliquod privatum, publicumque negotium aggrediamur, vocato ſervo rationem ab eo exigimus expenſarum, ut videamus, quid perperam, quid in legitimos uſus conſumptum fuerit, quantumque ſit reliquum: quod ſi perexiguum eſſe viderimus id, quod reſtat, omnes vias augendorum redituum excogitamus, ne forte incauti fame conficiamur. Hoc igitur, & in actionibus noſtris faciamus: advocata conſcientia, noſtras rationes exigamus ab ea verborum, actionum, cogitationum. Disquiramus, quid commode, utiliterque ſit inſumptum, quid in noſtrum damnum: quis ſermo perperam fuerit impenſus in detractiones, in turpiloquia, in contumelias: quaenam cogitatio ad laſciviam oculum concitarit; quod conſilium in damnum noſtrum

(y) Luc. 18, 11.

nostrum in opus exierit, sive manibus illud, sive lingua, sive oculis ipsis fuerimus executi. Et ab intempestivis quidem sumptibus abstinere studeamus; in locum autem eorum, quæ male insumpta sunt, alios reditus recondamus: loco verborum temere prolatorum, preces: loco aspectuum lascivorum eleemosynas, & jejunia. Si enim intempestive simus insumpturi, nihil autem recondituri, neque boni quidquam nobis in thesauris reposituri, in extremam egestatem redactos incautos, nos in æternum ignis supplicium præcipites agemus. Tom. 2. hom. non esse ad gratiam concion.

XXV.

Quo tempore Examen conscientiæ instituendum.

Pecuniarum quidem summo mane solemus rationes inire: actionum vero post prandium, vel sub ipsam vesperam in lecto jacentes, nemine interpellante, nemine interturbante, a nobis ipsis omnium, quæ fecimus, ac diximus, rationem exigamus. Quod si quid peccatum esse animadvertamus, castigemus conscientiam, mentem increpemus, cor nostrum ita vehementer compungamus, ut non amplius, ubi surrexerimus, in idem peccati barathrum nos audeamus impellere, vespertinæ memores lectionis. Hoc enim tempus aptius esse ad ejusmodi ratiocinium, audi, quo pacto testetur Propheta, cum dicat: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* (z) Multa interdiu, non ut

(z) Psal. 4, 5.

ut volumus, a nobis fiunt, & amici offendunt, & exasperant servi; contristat uxor, filius dolore afficit, negotiorum sæcularium, ac publicorum nos turba circumsidet: neque possumus intelligere, ne quidem qua ratione supplantemur. At his omnibus expediti, cum soli fuerimus vesperi, multaque frui licuerit tranquillitate, judicium in lecto excitemus, ut Deum nobis propitium ejusmodi habita quæstione reddamus. Quodsi quotidie peccemus, & animum nostrum vulneremus, nunquam autem sentiamus; si ut qui vulnera frequenter accipiunt, ac deinde contemptis illis febrim sibi, vel intolerandum accersunt interitum: sic & nos hoc continuo stupore, inevitabili nos obnoxios supplicio reddimus. Scio, molesta esse, quæ dicimus, sed multam pariunt utilitatem. Ibidem.

XXVI.

Deus subinde ob unum justum parcit integro populo depravato. — Peccata singulatim, & quoad speciem exprimenda sunt.

Unius virtute multi etiam pravi fruuntur; & si vel unus fuerit virtute præditus cum numeroso populo mixtus, non abripitur simul; sed homo quidem unus, qui recte vivat, integrum populum eripere poterit iræ divinæ: ast integra civitas depravata hominem vitæ probæ ad societatem pœnæ, ac supplicii sui pertrahere non poterit, ac simul perdere. Atque hoc ex Noë liquet, qui pereuntibus cunctis solus salvus evasit: atque ex ipso Moyse patet, qui solus veniam tanto populo valuit impetrare. Ego vero possum

& aliud

& aliud multo majus divinæ benignitatis indicium proferre. Cum enim homines viventes, & qui gratia valeant, ac fiducia, non invenit, qui peccati reos possint periculis liberare; ad vita functos confugit, & propter illos ait se delicta dimittere, quemadmodum, & Ezechiæ dixit: *Protegam urbem istam propter me, & propter David servum meum*, (a) qui jam mortuus erat. Cum igitur hæc nobis explorata sint, Deum omnia movere, ac moliri, ut nos pœnis, ac supplicio liberet; multas occasiones illi præbeamus, confitentes, pœnitentiam agentes, lacrymas fundentes, iram proximis dimittentes, propinguorum egestatem sublevantes: in orationibus vigilantes, humilitatem exhibentes, peccatorum assidue recordantes.

Non autem sufficit dicere, *Peccator sum*, sed & singulæ sunt delictorum species exprimendæ. Ut enim si in spinas ignis inciderit, facile illas consumit: sic etiam mens, quæ delicta sua frequenter apud se versat, facile illa perdit, ac demergit. Deus autem, qui transcendit iniquitates, & auffert injustitias, nos & a peccatis liberet, & cœlorum regno donet, gratia, & benignitate Domini Jesu Christi, Amen. Ibid.

(a) 2. Reg. 20, 6.

DE SACRA COMMUNIONE.

XXVII.

Malum gravissimum est, cum prava conscientia accedere ad S. Mensam.

Clara voce denuncio, obtestor, precor, & obsecro, ne cum macula, ne cum prava conscientia ad sacram hanc mensam accedamus: neque enim hoc accessus, neque communio dici potest, quamvis millies sanctum illud corpus attingamus, sed condemnatio, supplicium, & pœnarum accessio. Nullus igitur peccator accedat: immo vero non dico, nullus peccator, quandoquidem me ipsum priorem a divina mensa repellerem; sed, qui perseveret peccator, nullus accedat. Tom. 6. hom. 5. in illud: *vidi Dominum.*

XXVIII.

Ad Mensam sacram quomodo accedendum.

Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. (b) Hunc igitur num quæso irritabimus? An non est hoc gehenna gravius, & immortali verme, & igne, qui nunquam extinguitur? Quando igitur ad sacram mensam es accessurus, illic adesse Dominum omnium arbitrare: siquidem adest re vera, &, quæ sit mens cujusque, cognoscit, ac videt, quis cum ea, qua par est, sanctitate, quis cum conscientia depravata accedat, cum immundis, & sordidis cogitationibus, cum nefariis actionibus. Quod si quem-

(b) Galat. 3, 13.

quempiam talem offenderit, primum quidem ipsum judicio conscientiæ tradit: deinde vero, si forte se ipsum cogitationibus castiget, reddatque meliorem, rursus illum admittit; quod si maneat incorrectus, tum demum in ejus manus incidit tanquam ingratus, & scelestus. Quantum vero sit istud, ex Paulo disce, qui sic ait: *Horrendum incidere in manus Dei viventis.* (c) Ibidem hom. 5.

XXIX.

Inimicitias fovens ne ad S. Mensam accedat.

Prædico, & contestor, & clara voce exclamo; nemo, qui inimicum habet, ad sacram mensam accedat, & corpus Christi accipiat: nemo, qui adit, inimicum habeat. Inimicum habes, ne accedas: vis accedere, reconciliare, & tum sacrum attinge. Immo non ego, sed potius Dominus, propter nos crucifixus, ista dicit; ut reconciliaret te Patri, ne mactari quidem recusavit, aut sanguinem effundere: tu autem, ut reconcilieris conservo, nec verbum vis emittere, aut prior accedere? Audi, quid de talibus loquatur Dominus: *Si offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quod* (*) *frater tuus aliquid habet adversum te,* (d) non dixit: exspecta, donec ille veniat ad te, aut ut aliquo alio intercessore utaris, aut deprecatorem alleges, sed tu ipse, inquit, ad illum accurre. *Abi*, inquit,

 prius

(c) Hebr. 10, 31.

(*) Vulgat. *& ibi recordatus fueris, quia &c.*

(d) Matth. 5, 23.

prius reconciliare fratri tuo (*). O factum incredibile! ipse non accipit pro ignominia, quod donum sibi destinatum relinquatur, & tu contumeliam putas, si prior abeas ad reconciliationem? Dic, quæso, quæ venia debetur istis rebus? Si videris membrum abscissum, an non omnia facis, ut conglutines corpori? Idem fac in fratribus tuis, quando videris eos abscissos a tua amicitia, propera celeriter ad amplexus: ne exspectes, donec ipsi priores ad te veniant, sed ipse prior bravium accipere festina. Unum inimicum jussi sumus habere diabolum, cum illo nunquam in gratiam redeas: adversus fratrem vero nunquam sis inimico animo, sed si nata fuerit aliqua offensiuncula, longior uno die ne esto, neque spatium diurnum excedito. *Sol*, inquit, *non occidat super iracundiam vestram.* (e) (**) Tom. 2. de Simultate hom. 20.

XXX.

Reconciliatio cum inimicis per gratiam Dei facilis.

Si legem Imperator statuisset, ut omnes inimici in gratiam redirent, aut capite plecterentur: an non omnes festinarent ad mutuas reconciliationes? Ego quidem sic arbitror. Quam veniam igitur habebimus, cum ne tantumdem reverentiæ tribuamus Domino, quantum conservis nostris tribuimus? ob hoc ipsum jussi sumus dicere: *Dimitte*

(*) Vulgat. *Vade prius reconciliari fratri tuo.*

(e) Ephes. 4, 26.

(**) vid. 18. Novembr.

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. (*f*) Quid eo mitius, quid mansuetius præcepto? te judicem fecit in condonatione tuorum criminum, si pauca dimittis, pauca dimittuntur; si plura dimittis; plura dimittuntur: si ex corde dimittis, & sincere, eodem pacto tibi Deus remittit. Si præter veniam datam etiam eum pro amico habeas, eodem modo erga te Deus afficietur: adeo ut quanto magis quis adversus te peccaverit, tanto magis tibi ad reconciliationem properandum sit, quandoquidem ipse hoc pacto in causa est, ut nobis majora crimina condonentur . . . . Ne igitur negligamus nostram ipsorum salutem, sed operam demus, ac omnia faciamus, ut sine inimicis sacræ mensæ assistamus. Nihil enim præceptorum Dei difficile erit, si recte consideremus; idque patet ex iis, qui feliciter se jam in illis gesserunt. Quot enim jurandi consuetudine abripiebantur, & se id vitii emendare vix posse censebant? Attamen per Dei gratiam, ubi parva a vobis adhibita est cura, majorem partem ejus abluistis: quamobrem vos adhortor, ut reliquias quoque deponatis, aliisque magistros vos exhibeatis. Ibidem.

XXXI.

Præparatio ad S. Communionem: Quotidiana Communio quibus concedenda.

Multi fidelium in tantam vecordiam, tantumque venere contemptum, ut, cum innumeris scateant malis, nullamque vitæ suæ curam ha-

(*f*) Matth. 6, 12.

habeant, in diebus festis negligenter, ac temere ad mensam hanc accedant, haud intelligentes, quod communionis tempus non est festum, neque celebritas, sed conscientia pura, vitaque a peccatis repurgata. Sicut enim qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere: sic qui peccatis occupatus est, nec pœnitet, eum ne in festis quidem accedere tutum est. Neque enim semel in anno accedere, liberat nos a peccatis, si indigne accesserimus: quin hoc ipsum potius auget damnationem, quod cum semel tantum accedamus, ne tum quidem pure accedimus. Quapropter adhortor vos omnes, ne negligenter, veluti festo die cogente, ad divina mysteria accedatis, sed si quando hujus sacræ hostiæ futuri participes estis, multis ante diebus repurgetis vos ipsos per pœnitentiam, precationem, & eleemosynam, perque spiritualem exercitationem: nec denuo convertamini canis in morem ad proprium vomitum. An non enim absurdum tantam habere curam rerum temporalium, ut appetente festo multis ante diebus vestem e scriniis pulcherrimam diligenter præpares, emas calceamenta; mensa largior, splendidiorque paretur: denique variam undequaque rerum copiam excogites, omnibusque modis temetipsum ornes, nitidumque reddas; animæ vero neglectæ, sordentis, squallidæ, fame contabescentis nullum habeas respectum, cum sola maneat impura, ac corpus quidem nitidum adducas, animam vero nudam, incultamque? Atqui corpus quidem videt conservus, neque quidquam est detrimenti, quomodocunque fuerit habitum; illam autem videt

Do-

Dominus, qui graviſſime punit negligentiam. An neſcitis, quod hæc menſa plena eſt igne ſpirituali, & quemadmodum fontes aquæ vim exundant, ita hæc flammam quamdam habet arcanam? Ne igitur acceſſeris ſtipulam afferens, non ligna, non fœnum, ne augeas incendium, exurasque animam ad communionem accedentem: ſed accede ferens lapides pretioſos, aurum, argentum, quo puriorem reddas materiam, multoque cum lucro diſcedas. Si quid mali eſt, abigas ab animo. Habet quis inimicum, graviter læſus eſt, ſolvat ſimultatem, coerceat animum exardeſcentem, intumeſcentemque, ne quis intus ſit tumultus, aut perturbatio. Regem excepturus es per communionem: cum autem Rex ingreditur animam, oportet magnam eſſe tranquillitatem, multumque ſilentium, ac profundam cogitationum quietem. Tom. 1. de conſubſtant. hom. 7.

JUNIUS.

DE GRATIA HABITUALI, ET ACTUALI.

I.

Benevolentia & gratia Dei quærenda non hominum. — Humilis gratiam apud Deum meretur.

Vera gratia, & vera pax a Deo eſt. Nam, qui gratiam, quæ a Deo eſt, habet, neminem timet, etiamſi innumera gravia patiatur; nec dico hominem, ſed neque etiam diabolum. Qui vero Deum offendit, omnes ſuſpectos habet, etiamſi in tuto eſſe videatur. Inſtabile namque eſt genus hominum; & non ſolum amici, & fratres; ſed etiam patres, parva ſæpe de cauſa mutati, quem genuerunt, quem procrearunt, magis quam omnes hoſtes, abjecerunt. Et filii patres extulerunt. Animum adhibe. Gratiam habuit David apud Deum; gratiam habuit Abſalon apud homines. Quem finem uterque habuit, & uter magis probatus, & clarus fuerit, noſtis. Gratiam habuit Abraham apud Deum; Pharao autem apud homines; hi namque gratiam ejus aucupantes uxorem juſti ipſi prodiderunt: uter igitur ſplendidior, uter beatus fuerit, cuivis perſpicuum eſt. Ecquid de juſtis loquor? Gratiam apud Deum habuerunt Iſraëlitæ, & odio habeban-

bantur ab hominibus Ægyptiis : & eos, qui ſe odio habebant, ſuperarunt, idque conſpicuo, quo ſcitis omnes, modo. Hoc ergo curemus omnes: quamvis ſervus, quis ſit, hoc precetur, ut apud Deum magis, quam apud herum ſuum gratiam inveniat; quamvis uxor fuerit, plusquam conjugis, Servatoris ſui Dei gratiam quærat; quamvis miles, magis Dei, quam Imperatoris, aut Principis ſupernam benevolentiam expetat. Sic enim etiam apud homines amabilis erit.

Quomodo autem quis gratiam inveniat apud Deum? quo alio modo, quam humilitate? *Deus enim*, inquit, *ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam*: (g) Et, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, & humiliatum cor Deus non deſpiciet.* (h) (*) Nam ſi apud homines tam deſiderabilis eſt humilitas, multo magis apud Deum. Ita & gentiles gratiam invenerunt, ita & Judæi gratia exciderunt: *Juſtitiæ namque Dei non ſubjecti fuerunt.* (i) (**) Tom. 10. pag. 5. & 6.

II.

Gratia finalis non eſt in noſtra poteſtate; at eam bene operando, & ſperando obtinebimus, ſicut & alia auxilia divina.

Non eſt hominis via ejus, neque homo ibit, & diriget greſſum ſuum. (***) Jerem. 10. 23. Hoc

(g) Prov. 3, 34. (h) Pſal. 50, 18.
(*) Vulgat. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* (i) Rom. 10, 3.
(**) *Juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.*
(***) Vulgat. *Non eſt hominis via ejus: nec viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos.*

Hoc igitur est, quod ait Propheta, felicem exitum rerum in potestate nostra situm non esse, verum ab auxilio pendere divino: ut autem eligamus, in nobis, & in arbitrio nostro situm esse. Enim vero si rerum prosper, aut sinister exitus ab auxilio divino pendet, dicet aliquis; nulli obnoxius crimini censeri debeo: cum enim omnia, quæ mearum partium sunt, præstitero, & voluero, & elegero, & rem ipsam aggressus fuero, is vero, a cujus potestate pendet eventus, me non adjuverit, neque manum porrexerit, omni sum crimine liberatus. Verum non ita est; plane non est ita: neque enim fieri potest, ut, si nos voluerimus, elegerimus, ac statuerimus, Deus nos derelinquat. Si enim eos, qui nolunt, hortatur, & consulit eis, ut velint, & statuant, multo magis eos, qui ultro eligent, non derelinquet. *Respicite*, namque inquit, *in generationes antiquas, & videte, quis speravit in Dominum, & confusus est? aut quis permansit in mandatis ejus, & despexit eum?* (k) (*) Et rursus ait Paulus: *Spes non confundit*, (l) spes nimirum in Deum. Impossibile enim est, ut finem propositum non adipiscatur is, qui tota mente in Deum sperat, &, quæ suarum sunt partium, præstat omnia. Et rursus: *Fidelis autem Deus, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis*

(k) Eccli. 2, 11.

(*) *Respicite filii nationes hominum: & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? aut quis invocavit eum, & despexit illum?*

(l) Rom. 5, 5.

tis sustinere. (*m*) Tom. 6. hom. in locum Jerem. *Domine, non est in homine via ejus,* pag. 166.

III.

Deus neminem cogit, neque vim infert ad bene agendum.

Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: si autem nolueritis, neque exaudieritis me, gladius devorabit vos. (*n*) (*) Quæ cum ita nota, & explorata sint nobis, atque in nostra potestate situm esse sciamus, ut velimus, & curramus, nosque, dum volumus, currimusque, Deum nobis conciliaturos ad ejus auxilium obtinendum; eo porro nobis conciliato, nos rerum exitum assecuturos; excitemus nos, dilectissimi, atque ad salutem animæ nostræ omne studium conferamus, ut cum modicum in hac vita laborem exantlaverimus, in æterno, & immortali ævo illo bonis immortalibus perfruamur. Quæ nobis omnibus, ut contingant, faxit gratia, & benignitas Domini nostri Jesu Christi. ib.

IV.

Facienti, quod in se est, ex gratia, Deus non denegat gratiam: sine superna gratia nihil boni agere possumus.

Operam demus, ut offeramus, quæ nostra sunt, ut dignos nos ipsos paremus iis, quæ a Deo

---

(*m*) 1. Cor. 10, 13. (*n*) Isa. 1, 19.

(*) Vulgat. *Quodsi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos: quia os Domini locutum est.*

a Deo dantur. Nam idcirco exſpectat occaſiones ex nobis, ut multam exhibeat liberalitatem. Itaque ne propter deſidiam privemus nos illius donis, ſed feſtinemus, & urgeamus, ut principium apprehendamus: viam enim ad virtutem inducit, ut ſuperno adjuti ſubſidio etiam ad finem pervenire valeamus. Neque enim poſſibile eſt, bonum aliquod nos recte agere non adjutos ſuperna gratia. Igitur tales ſimus, qui appendamus nos in ſpem, quæ in Deum eſt, quaſi in anchoram aliquam tutam, & ſtabilem, & ne ad laborem virtutis reſpiciamus, ſed conſiderantes retributionem, quæ laborem ſequitur, leviter omnia feramus. Tom. 4. hom. 25. in cap. 8. Geneſ.

V.

Deus nobiscum certat, & adjuvat ſua gratia.

Deus, qui ſcit arcana mentis noſtræ, cum viderit ſanam mentem noſtram, & nos conari, & eniti ad virtutis certamina, ſtatim nutu, & ſubſidio ſuo nos adjuvat, ſimul & labores noſtros imminuens, & infirmam naturam noſtram roborans, uberesque retributiones ſuppeditans. Sane in olympicis certaminibus neutiquam quis tale- quid inveniet, ſed ſtat pædotriba; ſitque ſpectator tantum certantium, neque in ulla re poteſt adjuvare, ſed exſpectat, donec victoria declaretur: Dominus autem noſter non ita, ſed ſimul nobiſcum certat, & manum porrigit, & ſimul congreditur, & quaſi undique enititur, ut adverſarium noſtrum nobis tradat, nihilque non agit, ſatagens, ut in

certa-

certamine prævaleamus, & vincamus, quo capiti noſtro immarceſſibilem imponat coronam. *Coronam enim*, inquit, *gratiarum accipies in capite tuo.* (*o*) (*) (*p*) Jam in illis olympicis certaminibus corona poſt victoriam nihil aliud eſt, quam folia lauri, quam applauſus, & acclamatio vulgi, quæ omnia appetente veſpere marceſcunt, & pereunt: At corona, quæ pro virtute, & ejus ſudoribus datur, nihil habet ſenſibile, neque in hoc ſæculo nobiscum diſſolvitur, perpetua eſt, & immortalis, extendens ſe in omnia ſæcula. Et labor quidem eſt parvi temporis; merces autem laborum finem non habet, neque cedit tempori, neque marceſcit. Et ut hoc diſcatis, ecce, quot anni præterierunt, quot generationes, a quo Patriarcha hic (**) in vivis fuit: & ſicut heri & hodie, ita fulgent ejus pro virtute coronæ, & usque ad conſummationem ſæculi omnibus, qui recte ſapiunt, argumentum eſt ſermonis, & doctrinæ. Tom. 4. hom. 42. in cap. 18. Geneſ.

DE HUMILITATE.

VI.

Humilitas quid.

Humilitas eſt, cum quis multorum magnorumque meritorum ſibi conſcius, nihil magni de ſe ipſo exiſtimat: cum quis Paulo ſimilis

(*o*) Eccleſ. 32, 3.
(*) Vulgat. *Ornamentum gratiæ accipies coronam. Addetur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.*
(*p*) Prov. 1, 9. (**) Abraham.

lis dicere poteſt: *Nihil mihi conſcius ſum; &* tamen addit: *ſed non in hoc juſtificatus ſum;* (q) ac rurſum: *Chriſtus Jeſus venit peccatores ſalvare, quorum primus ſum ego.* (r) (*) Hoc eſt humilitas, cum quis excelſus operibus, ſeſe mente humiliat. Tom. 1. pag. 489.

VII.

Multi humilitatis modi. — Superbia ex Angelo diabolum, & ex homine immortali mortalem fecit.

Multi ſunt humilitatis modi: & alius quidem eſt moderate humilis, alius vero ſupra modum. Hanc porro humilitatem laudat beatus Propheta, non depreſſum ſimpliciter animum deſcribens, ſed omnino contritum, cum ait: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* (ſ) Hanc & tres pueri pro magno ſacrificio Deo afferunt, dicentes: *Sed in anima contrita, & Spiritu humiliato ſuſcipiamur.* (**) (t) Hanc & Chriſtus beatam nunc prædicat.

Quia enim maxima mala, quæ totum orbem labefactant, ex ſuperbia prodierunt; quandoquidem diabolus, qui talis ante non fuerat, ſic diabolus effectus eſt: quod etiam Paulus dicebat: *Ne inflatus* (u) (***) *in judicium incidat diaboli;* pri-

---

(q) 1. Cor. 4, 4. (r) 1. Tim. 1, 15.

(*) Vulgat. *Venit in mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.*

(ſ) Pſal. 50, 18.

(**) Vulgat. *Sed in animo contrito, & Spiritu humilitatis ſuſcipiamur.* (t) Dan. 3, 39.

(u) Tim. 3, 6.

(***) Vulgat. *Ne in ſuperbiam elatus.*

primus quoque homo hac a diabolo inflatus spe præcipitatus, & mortalis factus est: cum enim sperasset, se Deum fore, & id, quod habebat, perdidit. Quod & Deus ipsi exprobrans, & insipientiam ejus traducens, dicebat: *Ecce, Adam factus est sicut unus ex nobis.* (x) (*) Singuli autem, qui posteri fuerunt, hanc in impietatem collapsi sunt, se Deo æquales imaginantes. Quoniam igitur hæc malorum arx erat, itemque radix, & fons omnis nequitiæ; morbo congruens remedium apparans, quasi fundamentum firmum, & tutum hanc primam posuit legem. Hac enim posita, tuto cætera omnia superponit architectus. Hac vero sublata, si quis ex instituto vitæ vel ad cœlum pertingat, omnia facile ruunt, & in pessimum finem desinunt. Etsi jejunium, etsi orationem, etsi eleemosynam, etsi castitatem, etsi aliud quodvis bonum collegeris, absque humilitate diffluunt omnia, & pereunt. Id etiam Pharisæo accidit: nam cum ad ipsum culmen pertigisset, omnibus amissis delapsus est; quia matrem bonorum non habuit. Quemadmodum enim superbia fons omnis nequitiæ est; sic humilitas philosophiæ omnis principium. . . Sive servus sis, sive mendicus, sive pauper, sive peregrinus, sive idiota, nihil te impediet, quin sis beatus, si hanc virtutem colueris. Tom. 7. hom. 15. in Matth.

VIII. *Hu-*

(x) Gen. 3, 22.
(*) Vulgat. *Quasi unus ex nobis factus est.*

VIII.

Humilis gratiosus, & suavis omnibus est, ac in perpetua pace vivit.

Humilis gratiosus, & suavis omnibus est, perpetua in pace vivens, nullamque habens belli occasionem. Etiamsi enim illum contumelia, & convitiis afficias, etiamsi quidvis dixeris, tacebit ille, & leniter feret: & tantam servabit apud homines pacem, quantam ne dicere quidem possis. Etiamque apud Deum; mandata quippe Dei eo tendunt, ut cum hominibus pax habeatur: & vitam nostram ita recte transigimus, si mutua cum aliis pace fruamur. Deum enim nemo lædere poterit: natura quippe illa perniciei obnoxia non est, & omni passione superior. Nihil ita mirabilem christianum reddit ut humilitas. Audi enim Abrahamum dicentem: *Ego autem sum terra, & cinis;* (y) (*) & Deum rursus de Moyse, quod fuerit omnium hominum mitissimus. Nihil enim illo humilius fuit, qui cum tanti populi dux esset, cum Regem, & exercitum Ægyptiorum omnium, quasi muscas in mare demersisset, & tanta in Ægypto, tanta in mari rubro, & in deserto perpetrasset, tantarumque rerum testimoniis frueretur, sic affectus erat, quasi unus ex plebe: eratque socero gener humilior, illiusque consilium accepit. Tom. 10. hom. in Epist. ad Cor. 2.

IX. *Non*

(*y*) Gen. 18, 27.
(*) Vulgat. *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis.*

IX.

Non nisi humilis intrabit in regnum cælorum.

Accesserunt ad Jesum discipuli dicentes: quis major est in regno cælorum? & advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum, & dixit: nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum. (z) Vos perquiritis, quis sit major, & de primatu contenditis. Ego vero eum, qui non humillimus factus fuerit, non esse dignum dico, qui intret in regnum cœlorum. Recte exemplum affert, nec affert modo, sed & ipsum parvulum in medio statuit, ipso aspectu hortans, & suadens, ut sint humiles, ac simplices. Nam puerulus liber est ab invidia, a vana gloria, ab amore primatus, maximamque hanc virtutem possidet, nempe simplicitatem, & humilitatem. Non ergo opus tantum est fortitudine, atque prudentia, sed etiam humilitate, & simplicitate. Etenim vel in præcipuis rebus, si hæ virtutes non adsint, claudicant ea, quæ ad salutem nostram pertinent. Puerulus sive contumelia afficiatur, sive laudetur, sive verberetur, sive honoretur, nec indigne fert, neque altum sapit. Tom. 7. hom. 58. in Matth. 24.

(z) Matth. 18, 1. & 2.

X.

Quam præstet vir humilis viro potenti, & inflato.

Cur altum sapis, o homo? an quod sublimis in curru veheris? aut quod te trahit mulorum jugum? Ecquid hoc? id ipsum & in lignis, & in saxis videre est. An quia magnifico fulges vestitu? sed respice illum virtute, vestimentorum vice, amictum, & te videbis fœno putrido similem, illum vero arbori pulchrum emittenti fructum, qui multam spectantibus lætitiam affert. Tu quidem vermium escam circumfers, atque tinearum, quæ, si te aggrediantur, cito te hoc nudatum ornatu reddent. Nam vestimentum, aurum, & argentum, aliud quidem vermium filis constat, aliud terra, & pulvis est, iterumque terra erit, & præterea nihil. Qui autem virtute circumornatur, talem habet vestem, quam non modo tinea, sed ne mors quidem ipsa labefactare valeat, & jure quidem merito. Neque enim hæ animi virtutes ex terra exordium ducunt, sed sunt fructus spiritus; qua propter vermium ori non patent: nam in cœlo ejusmodi vestimenta texuntur, ubi nec tinea, nec vermis, nec aliquid simile est. Quid igitur, quæso, melius est, divitem an pauperem esse? an potentem an, inhonóratum esse? Lauta frui mensa, an famem experiri? procul dubio in honore, deliciis, divitiisque vivere. Si ergo res ipsas, non nomina velis, terra, atque terrenis relictis in cælum te transfer. Siquidem præsentia umbra sunt, illa vero

res

res immotæ, firmæ, quæ non abripi possunt. ib.

XI.

Humilitas fundamentum virtutum. — Divitiarum vanitas.

Humilitas, quanta sit virtus, ex Moyse arguitur; nam illum talem, & tantum effecit: nihil enim par humilitati est. Ideo ab hac beatitudines Christus incepit. Nam, quasi ædificii maximi fundamentum jacturus, humilitatem primam posuit. Nemo quippe potest absque illa salutem consequi; sed etiamsi quis jejunaverit, etiamsi precatus sit, eleemosynamque erogarit, si id superbe faciat, hæc omnia abominanda sunt; at contra, si adsit humilitas, omnia optabilia, amabiliaque sunt, & cum securitate exercentur. Modeste igitur agamus, dilecti, modeste agamus: certe facilis hæc virtus est, si vigilemus. Quid tandem illud est, mi homo, quod te in arrogantiam extollit? An non vides naturæ vilitatem? voluntatem ad lapsum pronam? cogita mortem tuam, peccatorum multitudinem. Verum fortassis ob multa præclare gesta altum sapis? hoc ipso omnia amittes. Quapropter non tam peccator, quam virtutis sectator modestiæ operam dare debet. Quare? quia ille ex conscientia ad id cogitur; hic vero, nisi admodum vigilet, cito ceu a vento quopiam abripitur, & evanescit, sicut Pharisæus ille. Sed pauperibus erogas? verum non tua, sed ea, quæ Domini sunt, quæ & sunt conservis communia. Ideoque humiliter sen-

tiendum, dum in contribulium calamitatibus, quæ tibi inſtent, prævides, & naturæ tuæ conditionem in aliis ediſcis. Fortaſſe nos talibus orti ſumus progenitoribus. Quod ſi divitiæ ad nos tranſiere, illas haud dubie relinquemus.

Quid vero ſunt divitiæ? umbra inanis, fumus evaneſcens, flos fœni, immo flore ſunt viliores. Cur de fœno altum ſapis? Nonne & furibus, & mollibus, & meretricibus, & ſepulchrorum effoſſoribus divitiæ accedunt? Ideone intumeſcis, quod tales opum conſortes habes? Sed honoris cupidus es? verum nihil ad honorem opportunius eleemoſyna. Nam honores ex divitiis, & potentia parti, coacti ſunt, & odioſi; hi vero ex arbitrio, & conſcientia honorantium prodeunt, quos ne ii quidem, qui honorant, de medio tollere poſſunt. Tom. 8. hom. 33. in Joan. pag. 194.

XII.

Per humilitatem honor, & gloria non minuitur, ſed augetur.

Filius homines non venit, ut miniſtretur, ſed ut miniſtret, & det animam ſuam in redemptionem pro multis. (*) Neque enim hic ſubſtiti, inquit; ſed & animam meam dedi in redemptionem: & pro quibus? pro inimicis. Tu vero, ſi humiliatus fueris, pro te ipſo agis: ego autem pro te. Ne itaque timeas, quaſi hono-

(*) Vulgat. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis.* Matth. 20, 28.

honorem tuum amittens. Quantumcunque enim te humiliaveris, non potes tantum descendere, quantum Dominus tuus. Attamen hic descensus omnium ascensus factus est, & gloriam ejus manifestavit. Antequam enim fieret homo, ab Angelis tantum agnoscebatur: postquam autem homo factus, & crucifixus est, non modo illam non minuit gloriam, sed & aliam accepit a cognitione orbis. Ne ergo timeas, ac si honor tibi auferatur, si te ipsum humilies. Hoc enim modo magis augetur tibi gloria; hoc modo major afficitur. Hæc regni janua est: ne contrariam ineamus viam, ne nobis ipsis bellum inferamus. Nam, si velimus magni videri, non magni erimus, immo omnium abjectissimi. Tom. 7. hom. 65.

XIII.

Humilitas fundamentum virtutum.

Nihil est, quod nos ita continere, ac cohibere possit ut humilitas, quæ docet, & moderate agere, ac modestum esse, nihilque de se magnum animo fingere. Quod & Christus intelligens, ac spiritualem illam doctrinam tradere incipiens, a cohortatione ad humilitatem illam inchoavit, atque os aperiens tulit hanc legem, ita dicens: *Beati pauperes Spiritu.* (*a*) Nam quemadmodum is, qui magnas, & magnificas ædes fuerit ædificaturus, conveniens jacet fundamentum, ut eam, quæ postea imponetur, molem ferre possit: ita nimirum & Christus,

 cum

(*a*) Matth. 5. 3.

cum ingens illud ædificium philosophiæ in illorum animabus erigeret, tanquam fundamentum, & carinam, & basim firmam, & immobilem, cohortationem humilitatis ponit prius, cum probe noverit, postquam hæc in auditorum mentibus radices egerit, reliqua omnia virtutum genera ædificari tuto posse. Uti igitur, si hæc defuerit, licet reliquas omnes virtutes quis opere ipso exhibeat, frustra & incassum, ac sine ullo fructu labores suscepit, illi persimilis, qui domum suam super arenam construxit, qui laborem quidem exantlavit, quæstum autem nullum fecit, propterea quod firmum fundamentum minime jecit: ita quisquis absque humilitate, quidvis boni peragit, omnia perdit, ac destruit. Tom. 30. fol. 130.

XIV.

Humilitas vera non in verbis, sed in mente consistit. — Humilitatis, & modestiæ notio.

Humilitatem autem dico, non eam, quæ in verbis, neque quæ in lingua, sed quæ in mente, in anima, in conscientia sita est, quam solus Deus cernere potest. Sufficit unum istud bonum, si vel solum sæpenumero appareat, ut propitium Deum reddat. Atque hoc Publicanus ostendit, qui cum boni haberet nihil, neque recte factis insignis posset videri, cum solummodo dixisset: *Propitius esto mihi peccatori.* (*b*) potius quam Pharisæus justificatus descendit, tametsi non humilitatis erant illa verba, sed modestiæ, & æquitatis tantum.

Siqui-

(*b*) Luc. 18, 13.

Siquidem humilitas eſt, cum quis magnarum a ſe geſtarum rerum conſcius, nihil de ſe magnificum animo fingit: modeſtia vero, & æquitas, cum is, qui peccator eſt, iſtud ipſum fatetur. Quod ſi is, qui nihil a ſe boni geſtum noverat, quoniam id, quod erat, confeſſus eſt, ita ſibi Dei benevolentiam conciliavit; quantum apud eam fiduciam obtinebunt ii, qui cum multa ſua poſſent commemorare præclara facinora, illorum omnium obliti, ſeſe in numerum rejecerint poſtremorum? Quod utique Paulus quoque fecit. Cum enim juſtorum omnium primus eſſet, primum ſe eſſe dicebat peccatorum; neque dicebat ſolum, ſed & credebat, cum a Præceptore didiciſſet, poſtquam omnia fecerimus, debere nos, ſervos inutiles nos vocare. (*c*) Iſtud eſt humilitas, iſtum imitemini, qui recte factis inſignes eſtis; Publicanum vero, qui peccatorum pleni eſtis: & confiteamur, quod ſumus, percutiamus pectus, & menti noſtræ perſuadeamus, ut nihil magnum de ſe concipiat. Si enim ita fuerimus affecti, ſufficit hoc nobis ad oblationem, & ſacrificium: ſicut & David dicebat: *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* (*d*) Non ſimpliciter dixit humiliatum, ſed & contritum, quod enim eſt contritum, confractum eſt; neque enim poteſt, quantumvis cupiat, efferri: ita nos quoque non humiliemus tantum animam noſtram, ſed conteramus

(*c*) Luc. 17, 10. (*d*) Pſal. 50, 18.

etiam, & compungamus: conteritur autem, dum ſuorum perpetuo peccatorum recordatur, ib.

XV.

In humilitate, quantum boni, & in arrogantia, quantum mali inſit.

Dilecti, etiamſi in ipſum virtutis vaſtigium pervenerimus, nos omnium poſtremos exiſtimemus: cum didicerimus, arrogantiam ex ipſo cœlo poſſe eum, qui non ſibi attendit, dejicere, & humilitatem eum, qui in peccatorum abyſſum demerſus ſit, in altum reducere, ſi modeſte agat. Hæc enim Phariſæo Publicanum præpoſuit; illa vero, nimirum arrogantia & ſuperbia ipſius diaboli incorporei vim ſuperavit. Humilitas eſt propriorum peccatorum agnitio, quæ Latronem ante Apoſtolos in paradiſum induxit. Si autem ii, qui ſua confitentur peccata, tantam fiduciam ſibi conciliant: ii, qui ſibi bonorum multorum conſcii animam tamen ſuam humiliant, quantas non coronas aſſequentur? Quando enim peccatum cum humilitate jungitur, tam expedite currit, ut juſtitiam cum arrogantia junctam ſuperet, atque prævertat. Si ergo illam cum juſtitia junxeris, quo non perveniet? quot cœlos non pertranſibit? Stabit plane cum fiducia magna inter Angelos ante ipſum Dei thronum. Contra ſi arrogantia cum juſtitia copulata, nequitiæ ſuæ mole, ac pondere ejus fiduciam detrahere potuit: ſi cum peccato jungatur, in quam gehennam non præcipitabit eum, qui illa detentus ſit? Hæc dico, non ut juſtitiam negligamus, ſed ut fugiamus arrogantiam;

gantiam; non ut peccemus, ſed ut modeſte agamus. Tom. 3. pag. 300.

XVI.

Humilitas Philoſophiæ noſtræ fundamentum.

Philoſophiæ noſtræ fundamentum eſt humilitas. Etſi innumera ſurſum ædifices, etſi eleemoſynam, preces, jejunium, omnesque virtutes congeras: niſi eam pro fundamento poſueris, omnia fruſtra, & incaſſum ædificaſti, citoque corruent, perinde atque ædificium illud ſuper arenam exſtructum. Nullum quippe opus bonum non illa eget, nullum ſine illa ſtare poterit. Sed etiamſi continentiam dixeris, etiamſi virginitatem, etiamſi pecuniarum contemptum, etiamſi quidvis aliud, omnia immunda, execranda, & abominanda abſente humilitate ſunt. Ubique igitur illam in verbis, in operibus, in cogitationibus aſſumamus, & cum illa hæc ædificemus. ib.

XVII.

Qui vult fieri magnus, fiat omnium minimus. — Vere humilis omnibus caret vitiis.

Si vis opera tua bona magna eſſe, ne magna eſſe putes, tuncque magna erunt. Sic Centurio dicebat: *Non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum:* (e) ideoque dignus fuit; ſupraque omnes judæos mirabilis. Ita & Paulus ait: *Non ſum dignus vocari Apoſtolus:* (f) Ideoque primus omnium effectus

(e) Matth. 8, 8. (f) 1. Cor. 15, 9.

effectus est. Sic & Joannes inquit: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus:* (g) (*) Ideo & amicus sponsi erat, & manum illam, quam indignam calceamentis putabat, Christus supra caput suum attraxit. Sic & Petrus dicebat: *Exi a me, quia homo peccator sum.* (h) Idcirco fundamentum Ecclesiæ factus est. Nihil enim ita Deo gratum est; quam siquis se cum ultimis peccatoribus numeret: hoc omnis philosophiæ principium est.

Qui vere humilis, & contritus est, non inani gloria efferetur, non irascetur, non proximo invidebit, non aliud quidpiam vitii admittet. Neque enim contritam manum, quantumvis contendamus, possumus in altum efferre. Si itaque sic animum conteramus, etiamsi cordis affectus innumeri illam inflare, & extollere tentent, ne vel minimum poterit erigi. Si enim, qui sæcularia damna deplorat, omnes a se fugat animæ languores; multo magis ille, qui pro peccatis id agit, philosophia potietur. Et quis ita poterit, inquies, cor suum conterere? Audi Davidem, qui hac de causa maxime splendidus fuit, & vide ejus animi contritionem. Post innumera præclare gesta, cum proximum esset, ut patria, domo, & ipsa vita excideret, ipso calamitatis tempore, vilem, abjectumque militem videns insultantem sibi, & convitiantem, non solum vicem non reddidit, sed etiam Ducem quempiam, ipsum interimere volentem, impedivit, dicens: *Dimitte illum,*

(g) Matth. 3.
(*) *Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, Joan. 1, 27.
(h) Luc. 5, 8.

ſum, quia Dominus mandavit ei. . . (*i*) (*) Ideo omnia, quæ a Deo proficiſcebantur, amplectebatur, nec rationem exigebat eorum, quæ accidebant: ſed unum ſtudebat, ut ubique ejus legibus obſequeretur. . . . Talem & nos poſſideamus animam, &, quidquid patimur, leniter feramus, & ante regnum hic nobis pariamus humilitatis proventum. Nam ait: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* (*k*) Tom. 7. in Matth. hom. 4.

XVIII.

Explanatio textus: *Qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Illud vos rogaverim, ut imitatores ſitis Patriarchæ, & primas partes nunquam concupiſcatis, ſed obtemperetis beato Paulo dicenti: *Honore invicem prævenientes* (*l*) ſuperiores ſe ipſis: & detis operam, ut in omnibus minora teneatis. Hoc enim eſt primatum habere, ſicut & Chriſtus dicit: *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* (*m*) Quid igitur huic æquale fuerit, quando per ea, in quibus aliis primas cedimus, ipſi majori fruimur honore; & per quæ alios præferimus, ipſi in ſummum honorem evehimur? Itaque obſecro, ut ſtudeamus imitari Patriarchæ

(*i*) 2. Reg. 16, 11.
(*) Vulgat. *Dimittite eum, & maledicat juxta præceptum Domini.*
(*k*) Matth. 11, 29. (*l*) Rom. 12, 10.
(*m*) Luc. 14, 11. & 18, 14.

chæ (*) humilitatem, & ſequi veſtigia ejus, qui ante legem tantam Philoſophiam præſetulit, nobis, qui in gratia verſamur. Iſta enim vera eſt humilitas, quam eximius ille vir declaravit erga eum, qui multo ſe fuit inferior, non ſolum ob virtutis rationem, ſed & propter ætatem, & alia omnia. Cogita enim ſenem juveni ceſſiſſe, & patruum fratris filio, & qui tantam a Deo ſortitus erat gratiam, ei, qui in nulla re magnum aliquod ſpecimen præbuerat: & ea, quæ oportebat illum dicere, ut juvenem ad ſenem ætate & dignitate, & patruum, illa Patriarcham juveni dixiſſe. Igitur nos quoque non eis tantum, qui ætate nobis ſunt majores, vel etiam æquales, honorem exhibeamus. Non eſt enim humilitas facere, quod neceſſitate debes, vel cogeris: hoc, inquam, non eſt humilitatis, ſed debiti. Tom. 4. hom. 34. in cap. 13. Geneſ.

XIX.

Niſi quis, etſi omnia bene fecerit, ſe omnium poſtremum judicet, vere humilis non eſt, nec mercedem accipiet.

Vera humilitas eſt, quando cedimus iis, qui nobis videnter eſſe minores, & eos veneramur, qui nobis inferiores eſſe videntur. Quod ſi recte ſapimus, nullos etiam nobis eſſe minores arbitrabimur, ſed nos ſuperari ab omnibus hominibus dicemus. Et hoc dico non de nobis, qui

(*) Sermo eſt de Abraham, qui Loth electionem conceſſit, neque moleſte tulit, quod primas ferret.

qui innumeris immersi sumus peccatis: sed etiamsi quis sibi plurimorum bene gestorum conscius sit, nisi apud se sentiat, se omnium esse postremum, nulla ei futura utilitas est ex omnibus bonis suis operibus. Hæc est enim humilitas, quando quis occasiones habens, ut extollatur, se ipsum humiliat, & deprimit, ac modeste se gerit: tunc enim ad verum subvehetur fastigium secundum promissionem Domini, quæ dicit: *qui se humiliat, exaltabitur.* (*n*) Satagamus igitur, obsecro, verticem illum omnes apprehendere per humilitatem, ut eamdem illam, quam justus ille (*) a Domino gratiam consequamur, & ineffabilia illa bona mereamur. ib.

XX.

Virtus vera conjunctam debet habere humilitatem.

Operam demus, ut invictos nos custodiamus, & neque virtutis obtentu superbiæ famam acquiramus, neque modestiæ obtentu virtutem negligamus: sed ubique modum servemus, & bonis operibus nostris humilitatem, quasi fundamentum, & basim subjiciamus: ut secure, quæ ad virtutem spectant, construere valeamus. Hæc enim vera virtus est, quæ conjunctam habet humilitatem. qui hoc fundamentum tuto jecerit, poterit, in quantam voluerit altitudinem, structuram excitare. Hæc maxima est munitio, hæc murus inconcussus, hæc inexpugnabilis turris: hæc omne continet ædificium,

(*n*) Luc. 14, 11. (*) Abraham.

ficium, non finens ipsum vel a ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel a ventorum vi dejici: sed omnibus insidiis inaccessum facit, & invictum, quasi ex adamante constructum esset, magnasque nobis divinæ largitatis mercedes affert. Tom. 4. hom. 35. in cap. 14. Genes.

XXI.

Superbia ex bene factis oriri potest.

Nihil perinde gignit superbiam ut bona conscientia, nisi advigilemus. Unde & Christus sciens, quod post bene facta nos hic morbus adoriatur, dicebat discipulis suis: *Cum omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* (o) Cum enim hæc noxia bestia parat invadere vos, tunc, inquit, per hæc verba fores illi occludite. Neque dixit: cum omnia feceritis, inutiles estis: sed vos dicite, inutiles sumus. Dic, ne metuas: non ex tuo judicio fero sententiam. Nam si tu te ipsum dixeris inutilem, ego te ut utilem coronabo. Sic & alias loquitur: *Dic tu prior peccata tua, ut justificeris.* (p) (*) In mundanis siquidem, ac forensibus judiciis post accusationem, & criminum confessionem restat mors; cæterum apud divinum tribunal post accusationem, & confessionem peccatorum datur corona. Unde & Salomon dicit: Ne justificaveris te ipsum in conspectu Domini. Tom. 6. hom. 3. in illud. *Vidi Dominum.*

XXII. *Pha-*

(o) Luc. 17, 10. (p) Isa. 43, 26.
(*) Vulgat. *Narra, siquid habes, ut justificeris.*

XXII.

Pharisæi arrogantia.

Vis tibi dicam, quantum bonum sit humilitas, & quantum malum arrogantia? Peccator justum superavit, Publicanus Pharisæum, & verba factis fuere superiora. Quomodo verba? Publicanus dicit: *Deus propitius mihi esto peccatori.* Pharisæus dicit: *non sum sicut cæteri homines*, (q) raptor, aut avarus: sed quid? *jejuno bis in sabbatho, decimas do de facultatibus meis.* (*) Pharisæus opera justitiæ præstabat: Publicanus verba dicebat humilitatis, & verba plus potuerunt, quam facta, tantusque thesaurus exsufflatus est, & tanta inopia in divitias commutata. Venerunt duæ naves habentes onus; ambæ portum ingressæ sunt, sed Publicanus pulchre in portum appulit: Pharisæus autem naufragium perpessus est, ut disceres, quantum mali sit animi tumor. Justus es? ne deprimas fratrem tuum. Flores recte factis? ne probra jacias in proximum, tuasque laudes comprime, Tom. 6. hom. 4. in illud: *Vidi Dominum.*

XXIII.

Justus magis studere debet humilitati, quam peccator.

Quanto major es, tanto magis deprime te ipsum. Attende, quod dicitur, charissime!

(q) Luc. 18, 11.
(*) Vulgat. *Decimas do omnium, quæ possideo.*

me! magis justus metuere debet arrogantiam, quam peccator: hoc heri dicebam, & hodie dico propter eos, qui heri aberant, eoquod peccator habeat conscientiam ex necessitate humilem: justus autem ob bene facta extollatur. Quemadmodum igitur fit in navigiis, qui vacuam habent navem, non metuunt piratorum insultum; non enim veniunt, ut conterant navem nihil vehentem: at ii, qui navem habent onustam, metuunt piratas; nam pirata illuc properat, ubi aurum, ubi argentum, ubi lapides pretiosi: sic & diabolus non facile peccatorem aggreditur, sed justum potius, ubi multæ sunt opes. Quoniam sæpe arrogantia ex insidiis diaboli oritur, vigilandum est. Quanto major es, tanto magis deprime teipsum. Cum ascenderis in altum, opus est, ut tibi prospicias, ne cadas. Quam ob rem & Dominus noster dicit: *Cum omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* (r) ib.

XXIV.

Causæ, ob quas se humiliare debet homo.

Quid efferris animo, cum sis homo, cognatus terræ, ejusdem substantiæ cum cinere, tum natura, tum animo, tum actionum delectu? hodie dives, cras pauper: hodie sanus, cras ægrotus, hodie gaudes, cras doles; hodie in gloria, cras in ignominia; hodie juvenis, cras senex. Num aliquid in rebus humanis subsistit? an non potius amnium præterfluen-

(r) Luc. 17, 10.

fluentium cursum imitantur omnia? Nam simul atque apparuerunt, citius nos, quam umbra relinquunt? Quid igitur altum sapis homo, fumus, & vanitas? *Homo enim vanitati similis factus est.* (s) Veluti fœnum dies ejus: *Exaruit gramen, & flos ejus decidit* (t). (*) Hæc dico non, ut substantiam deprimam, sed ut arrogantiam refrænem. Alioqui & magna res est homo, & pretiosa res vir misericors. ib.

XXV.

Veræ humilitatis exemplum S. Paulus.

Scire cupis, quis vere sit humilis? Paulum respice, qui vere humilis erat, Paulum doctorem orbis terrarum, spiritualem Oratorem, Vas electionis, portum tranquillum, turrim inconcussam, qui, modico cum esset corpore, totum orbem terrarum circuivit, &, quasi alatus esset, illum percurrit. Cerne illum humiliter, ac modeste sentientem de se, idiotam, & philosophum, egenum, & divitem: illum vere humilem dico, qui labores innumeros exantlarat, qui mille trophæa adversus diabolum erexerat, qui prædicabat, ac dicebat, *Gratia ejus in me vacua non fuit; sed plus omnibus laboravi:* (u) qui carceres sustinuit, & plagas, & verbera; qui orbem terrarum epistolis venatus est, qui cœlesti voce vocatus est; ille humilis erat, cum diceret: *sum minimus Apostolorum, qui non sum*

 dignus

(s) Psal. 1, 43, 4. (t) Psalm. 48, 8.
(*) Vulgat. *Exaruit fænum, & flos ejus decidit.* 1. Petr. 1, 24.
(u) 1. Cor. 15, 10.

dignus vocari Apostolus. Vides humilitatis magnitudinem? vides humiliter sentientem de se Paulum, qui se ipsum minimum vocet? *Ego enim sum*, inquit, *minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* Hoc enim vere humilitas est, in omnibus se ipsum abjicere, ac se minimum appellare. Cogita, quisnam erat is, qui hæc verba proferebat. Paulus cœlorum civis, terrestris Angelus, homo cœlestis. Etenim hujus viri mentioni libenter immoror, dum virtutis ejus pulchritudinem specto. Non ita sol exoriens, & splendidos emittens radios oculos meos exhilarat, ut Pauli vultus mentem meam illuminat. Nam sol quidem illustrat oculos: at Paulus ad ipsos fornices cœlorum os evehit. Animam enim subliniorem sole, ac luna reddit celsiorem. Talis quippe virtutis est potentia, ut hominem in Angelum convertat, efficiatque, ut anima velut pennis prædita in cœlum tendat: hanc virtutem nos docet Paulus: hujus virtutis imitatores fieri studeamus. Tom. 2. hom. 2. de Pœnit.

XXVI.

De injuriis, aliisque calamitatibus patienter, & humiliter perferendis.

Spoliatus es pecuniis? Dic! *Nudus egressus sum ex utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* (x) Adde illud Apostolicum: *Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre*

(x) Job. 1, 21.

auferre quid possumus. (y) Male audisti, ac sexcentis te quipiam conviтiis onerarunt? recordare illius dicti: Væ vobis, cum benedixerint vos omnes homines; (z) &, gaudete, & exultate, cum protulerint adversum vos omne malum. In exilium ejectus es? Cogita te hic non habere patriam, sed si philosophari velis, jussum esse te, etiam totam terram pro peregrina ducere. At in gravem incidisti morbum? Dic illud apostolicum: *Quanto magis exterior noster homo corrumpitur, tanto magis interior renovatur de die in diem.* (a) (*) At violentam quis mortem sustinuit? Cogita Joannem, & abscissum in carcere caput, in lance allatum, & in meretriciæ saltationis mercedem datum. Cogita remunerationes inde secuturas: omnia enim isthæc damna, cum per injuriam inferuntur, & peccata expiant, & justitiam conferunt. Tantæ est utilitatis eorum magnitudo in iis, qui generoso ea animo ferunt. Tom. 3. lib. *quod nemo læditur, nisi a se ipso.*

XXVII.

Injuriæ patienter toleratæ honorificum, & gloriosum reddunt.

Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. . . . (b) Injuriæ memoriam adhuc retinere, est

(y) 1. Tim. 6, 7. (z) Luc. 6, 26.
(a) 2. Cor. 4, 16.
(*) Vulgat. *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: is tamen, qui intus est, renovatur de die in diem.*
(b) Rom. 12, 21.

eſt vinci a malo . . . vince in bono malum. Nam & hæc victoria eſt. Pugil enim magis vincit, non cum ſe ſubjicit ad plagas recipiendas, ſed quando erigens ſe ipſum, id agit, ut adverſarius in aërem vim ſuam effundat. Ita enim ipſe plagas non accipiet, & ejus vires diſſolvet. Id quod etiam in contumeliis evenit. Nam cum contumeliam contumelia repellis, ſuperatus es non ab homine, ſed quod turpius eſt, ab illiberali affectu. Si vero taceas, viciſti, ac ſine labore trophæum erexiſti, innumerosque habebis te corona donantes, & convitii falſitatem damnantes. Nam qui contradicit, quaſi ex convitii morſu contradicere videtur: cum morſum vero ſentiat, ſuſpicionem præbet, quod ſit dictorum conſcius. Si vero deriſeris, ex riſu calculum, & judicium contra te latum ſolviſti. Si autem velis claram dictorum demonſtrationem accipere, ipſum inimicum interroga, quando magis doleat, an cum ardens contumeliam viciſſim profers; an cum convitiantem derides: atque hoc poſtremum magis audies. Neque enim tantum placet ipſi, quod viciſſim convitia non reponas, quantum mordetur, quod non poſſit te commovere. Non vides furore percitos homines, qui plagas acceptas non multum curantes, impetu magno irruunt, & plusquam ſues agreſtes proximi vulnera quærunt, atque ad hoc unum reſpiciunt, hocque magis curant, quam caveant, ne ſibi vulnus inferatur? quando igitur illum ea re privas, quam ipſe ſummopere cupit, omni jam optata re privaſti, dejeciſti, contemptu dignum oſtendiſti, & puerulum magis, quam virum: & tu philoſophi calculum

culum adeptus es, illi vero malæ beſtiæ famam conciliaſti. Illud &, cum verberamur, faciamus. Sed vis lethalem inferre plagam? Verte illi alteram maxillam, & mille illum vulneribus confodies. Nam qui plaudunt, & mirantur, graviores ſunt, quam ſi illum lapidarent: ante illos etiam conſcientia ipſum damnabit, & maximas repetet pœnas, &, ac ſi extrema paſſus eſſet, ſic erubeſcens abſcedet. Si vero gloriam apud multos quæris, hac quoque magis frueris. Alioquin autem erga illos, qui male patiuntur, aliqua movemur commiſeratione. Quando autem videmus illos non ſe ſe ulciſcentes, ſed ſe ſe ſponte exponentes, non modo commiſeratione, ſed etiam admiratione dignos habemus. Tom. 9. hom. in Epiſt ad Rom.

XXVIII.

Injuriarum memoria deponenda, ſecus haud ſatis quis præparatur ad S. Communionem.

Uti fornicantem, blasphemantemque impoſſibile eſt ſacræ menſæ participem fieri, ita quoque, qui inimicitias fovet, aut in ira pertinax eſt, non poteſt frui ſancta communione: neque id immerito; qui enim meretricatus eſt, aut adulterium commiſit, ſimul ut animum explevit, finem peccato impoſuit: quodſi reſipiſcens, ſe a lapſu excitare voluerit, magnamque oſtenderit pœnitentiam, aſſequetur aliquam conſolationem; qui autem ſimultatis pertinax eſt, ſingulis diebus peccatum facit, nec unquam illud abſolvit. Illic ſimul cum flagitio expletum eſt peccatum; hic quotidie idem ſcelus tentatur:

eſt vinci a malo . . . vince in bono malum. Nam & hæc victoria eſt. Pugil enim magis vincit, non cum ſe ſubjicit ad plagas recipiendas, ſed quando erigens ſe ipſum, id agit, ut adverſarius in aërem vim ſuam effundat. Ita enim ipſe plagas non accipiet, & ejus vires diſſolvet. Id quod etiam in contumeliis evenit. Nam cum contumeliam contumelia repellis, ſuperatus es non ab homine, ſed quod turpius eſt, ab illiberali affectu. Si vero taceas, viciſti, ac ſine labore trophæum erexiſti, innumerosque habebis te corona donantes, & convitii falſitatem damnantes. Nam qui contradicit, quaſi ex convitii morſu contradicere videtur: cum morſum vero ſentiat, ſuſpicionem præbet, quod ſit dictorum conſcius. Si vero deriſeris, ex riſu calculum, & judicium contra te latum ſolviſti. Si autem velis claram dictorum demonſtrationem accipere, ipſum inimicum interroga, quando magis doleat, an cum ardens contumeliam viciſſim profers; an cum convitiantem derides: atque hoc poſtremum magis audies. Neque enim tantum placet ipſi, quod viciſſim convitia non reponas, quantum mordetur, quod non poſſit te commovere. Non vides furore percitos homines, qui plagas acceptas non multum curantes, impetu magno irruunt, & plusquam ſues agreſtes proximi vulnera quærunt, atque ad hoc unum reſpiciunt, hocque magis curant, quam caveant, ne ſibi vulnus inferatur? quando igitur illum ea re privas, quam ipſe ſummopere cupit, omni jam optata re privaſti, dejeciſti, contemptu dignum oſtendiſti, & puerulum magis, quam virum: & tu philoſophi calculum

culum adeptus es, illi vero malæ bestiæ famam conciliasti. Illud &, cum verberamur, faciamus. Sed vis lethalem inferre plagam? Verte illi alteram maxillam, & mille illum vulneribus consodies. Nam qui plaudunt, & mirantur, graviores sunt, quam si illum lapidarent: ante illos etiam conscientia ipsum damnabit, & maximas repetet pœnas, &, ac si extrema passus esset, sic erubescens abscedet. Si vero gloriam apud multos quæris, hac quoque magis frueris. Alioquin autem erga illos, qui male patiuntur, aliqua movemur commiseratione. Quando autem videmus illos non se se ulciscentes, sed se se sponte exponentes, non modo commiseratione, sed etiam admiratione dignos habemus. Tom. 9. hom. in Epist ad Rom.

XXVIII.

Injuriarum memoria deponenda, secus haud satis quis præparatur ad S. Communionem.

Uti fornicantem, blasphemantemque impossibile est sacræ mensæ participem fieri, ita quoque, qui inimicitias fovet, aut in ira pertinax est, non potest frui sancta communione: neque id immerito; qui enim meretricatus est, aut adulterium commisit, simul ut animum explevit, finem peccato imposuit: quodsi resipiscens, se a lapsu excitare voluerit, magnamque ostenderit pœnitentiam, assequetur aliquam consolationem; qui autem simultatis pertinax est, singulis diebus peccatum facit, nec unquam illud absolvit. Illic simul cum flagitio expletum est peccatum: hic quotidie idem scelus tentatur:

quam igitur veniam ſperabimus, qui nos tali belluæ ultro dedimus? Quomodo poſtulabis Deum tibi manſuetum, & mitem fieri, cum tu conſervo tuo tam gravis ſis, & inexorabilis? Eſto contumelia te affecit conſervus, nonne tu ſæpe Deo contumelias facis? Quid æquale inter Dominum, & ſervum? Atqui hic interdum contumelioſe habitus contumeliam forte repoſuit, & exaſperatus eſt: tu adverſus Dominum contumelioſe agis, nihil quidem ab illo læſus, ſed perpetuis quotidie beneficiis affectus. Cogita ergo, quod ſi vellet Deus adverſus ſe commiſſa diligenter exquirere, ne ad unum quidem diem viveremus. *Peccata enim*, inquit Pſaltes, *ſi obſervaveris Domine, Domine, quis ſuſtinebit?*

XXIX.

Injuriarum nequidem meminiſſe debemus.

Si modo multitudinem peccatorum noſtrorum conſideremus, præ metu, & anxietate, ne meminiſſe quidem vacabit acceptarum injuriarum. Recordare ignei fluvii, vermis venenati, horrendi judicii, in quo omnia nuda, & aperta erunt: cogita, quod, quæ nunc in abdito latent, tunc in lucem proferuntur. Quod ſi proximo remiſeris peccata, ea quæ tum retegenda erunt, nunc in hoc ſæculo abolebuntur, exibisque nihil tecum trahens ex tuis peccatis, adeo ut multo plus recipias, quam dediſti. Multa ſæpe iſtiusmodi deliquimus, quorum neminem conſcium habemus; deinde cum cogitamus, quod eo die ante oculos omnium peccata noſtra exponentur in publico orbis terrarum theatro,

triſtius

triſtius id, quam ipſum ſupplicium, urgente nos, & elidente conſcientia, arbitramur. Tantum pudoris, tot peccata, tanta ſupplicia eluere licet per condonationem offenſæ: nihil enim eſt huic virtuti æquale. Vis cognoſcere hujus vires? *Si ſteterit Moyſes, & Samuel ante faciem meam*, inquit, *non eſt anima mea ad eos:* (c) (*) attamen quos non potuerunt Moyſes, & Samuel eripere ab ira Dei, hujus præcepti obſervatio eripere potuit: ac proinde illis, quibus iſta dixit, aſſidue præcepit inquiens: *Nequitiæ fratris veſtri ſinguli ne recordemini in cordibus veſtris, de malefactis proximi ſinguli ne cogitaveritis.* (d) (**) Non dixit ſolum, remitte, ſed ne vel in mente habeas, ne cogites, omitte univerſam iram, ulcus tolle: dum enim vindictam adornas, primum te ipſum tormento afficis, veluti ſi carnificem iram tibi oppoſuiſſes, dilanians tua ipſius viſcera. Quid enim miſerius homine aſſidue irato? Quemadmodum furioſi nunquam fruuntur tranquillitate: ita qui ſimultatem gerit, & inimicum habet, nunquam fruitur vera pace, perpetuo æſtuans: tempeſtatem cogitationum in dies aggravat, verba, factaque ſecum reputat, ipſius quoque nomini infeſtus, qui injuriam dedit. Si audiat illum tantum nominari, efferatur continuo, magno cum animi cruciatu, & ad ſolum illius conſpectum trepidat, & horret, tanquam ſi ultima patiatur. . . . Quorſum opus igitur eſt iſtiusmodi animi obſidione,

(c) Jerem. 15, 1. (*) Vulgat. *Ad populum iſtum.*
(d) Zach. 7, 10.
(**) Vulgat. *Malum vir fratri ſuo non cogitet in corde ſuo.*

dione, tantis tormentis, ac tali ſupplicio? Quodſi nec gehenna immineret odio laborantibus, ſaltem ob ipſius odii cruciatum peccata proximorum condonanda eſſent: cum autem æterna ſupplicia nos maneant, quid ſtultius, quam & hic, & illic ſemetipſum mulctare, dum de altero te credis ultionem ſumere? ibid.

XXX.

Nil Deus ita odit, quam mentem injuriarum memorem, horumque memoria omni peccato gravius eſt: facilius ſibi, quam aliis debita remittit Deus.

Serve nequam, omne debitum illud remiſi tibi. (e) Quid melius eo Domino, qui, cum ei deberentur decem millia talentorum, ne verbo quidem ſtomachatus eſt, aut ſceleſtum appellavit? ſed eum tantummodo venumdari juſſit, idque eo fine, ut a debitis liberaretur: eidem, cum adverſus conſervum improbe egiſſet, ſtomachatur, ut diſcas, illum facilius, quod in ſe peccetur, quam quod adverſus alios, remittere ſolere. At non iſtud in hoc ſolo loco facit, verum & alibi. *Si enim*, inquit, *offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid contra te, abi primum, ut reconcilieris fratri tuo, ac tum veniens offer munus tuum.* (*) (f) Vides, quam ubique ſua noſtris anteponat, pacemque, & charita-

(e) Matth. 18, 32.

(*) Vulg. *Vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.*

(f) Matth. 5, 23.

ritatem proximorum summo loco constituat. Et rursus alibi: *Quicunque repudiat uxorem suam, præterquam ratione adulterii, eam adulterari facit.* (g) (*) Per Paulum autem hanc legem sancit: *Si quis vir uxorem habet infidelem, eique placeat cum ipso habitare, ne dimittat eam; quod si adultera sit, ejiciatur; si autem infidelis sit, ne expellatur.* (h) (**) Si, inquit, in te peccaverit, abscinde; si non, detineas. Ita & hic, cum tanta peccata adversum se commissa erant, veniam dedit, cum autem adversus conservum, licet minora, pauciora que, nequaquam remisit, sed ultionem persecutus est. Et hic quidem eum scelestum appellavit, illic ne verbo quidem contristavit. Et ideo hic illud quoque adjunctum est, quod Dominus iratus tradiderit eum tortoribus; cum autem ab illo reposcebat rationem decies mille talentorum, nihil istiusmodi additum fuit: ut intelligas, illic quidem calculum subductum fuisse, non irarum, sed sollicitudinis, quæ veniæ locum pararet. Hoc autem peccatum dominum plane exacerbavit. Quid igitur est pejus injuriæ recordatione, cum benignitatem Dei jam depromtam revocet, &, quæ non potuerunt efficere alia pecca-

---

(g) Matth. 5, 32.

(*) Vulgat. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: &, qui dimissam duxerit, adulterat.*

(h) 1. Cor. 7, 12.

(**) Vulg. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.*

peccata, hæc efficiat ira adversus proximum? Atqui scriptum est, Dei dona esse sine pœnitentia. Cur igitur hic post eductum munus, post progressam benignitatem, reductus est calculus? Propter injuriæ memoriam. Quamobrem non erraverit quis, si hoc peccatum omni peccato gravius pronunciet; alia enim omnia veniam impetrare potuerunt, istud solum adeo non potuit veniam adipisci, ut jam deleta, & jam extincta iterum renovarit. Duplex igitur malum pertinax injuriæ memoria, & quod nullam excusationem apud Deum habeat, & quod reliqua peccata jam remissa, iterum revocet, & contra nos constituat. Quod ipsum, & hic factum est, nihil enim, nihil omnino ita Deus odit, & aversatur, ut hominem offensarum memorem, & tenacis iræ. Et illud quidem præcipue ex hoc loco declaravit, & ex oratione, in qua nos jussit ita dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* (i) Hæc igitur omnia edocti, & parabola ista in cordibus inscripta eruditi, cum cogitaverimus, quæ passi sumus a conservis; cogitemus, quæ fecimus in ipsum Dominum, & metu propriorum criminum, iram de alienis delictis collectam facillime poterimus submovere: si enim meminisse oportet delictorum, propriorum tantum meminisse oportet. Quod si propriorum memores fuerimus, nunquam aliena delicta supputabimus: contra si illorum obliviscamur, ista facilius observabuntur nostris cogitationibus. Tom. 3. hom. de decem. millium talent.

XXXI.

(i) Matth. 6, 12.

XXXI.

Pro obtinenda venia peccatorum remedium optimum remissio injuriarum.

Nihil ita studeamus, quam ut ipsi ira vacemus, & nobis infensos reconciliemus: cum sciamus, nullam nec orationem, nec eleemosynam, nec jejunium, nec participationem mysteriorum, aut aliud quidpiam, si memores offensarum simus, nobis patrocinari posse in illa die: at contra, si hoc peccatum superemus, etiamsi mille delictis inquinati simus, veniam aliquam consequi nos posse. Nec meus sermo est iste, sed illius, qui tunc nos judicaturus est, Dei. Quemadmodum hoc in loco pronuntiavit, *ita*, inquiens, *faciet Pater meus, si non remiseritis unusquisque ex cordibus vestris.* (*k*) (*) Et rursum alibi: *Si remiseritis hominibus delicta sua, remittet & vobis Pater vester cælestis.* (**) Ut igitur, & hic mansuetam, & mitem agamus vitam, & illic veniam, & remissionem obtineamus: studendum, ac satagendum est, ut, quot quot habemus inimicos, eos nobis reconciliemus. Ita enim & Dominum nostrum, etiamsi sexcenties peccaverimus, nobis reconciliabimus, & futura bona adipiscemur, quibus nos dignos opto fieri, gratia, & humanitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen. Ibid. JULIUS.

(*k*) Matth. 18, 35. & 6, 14.

(*) Vulgat. *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

(**) *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet, & vobis Pater vester cælestis delicta vestra.*

JULIUS.
DE MORTE.

I.

Mors somnus, & dormitio nominatur: Cæmeterium unde dictum.

Cum Dominus ad mortuos descenderit, ea de causa ipse etiam locus cæmeterium nominatus est, ut discas, mortuos, & eos, qui hic siti sunt, non mortuos, sed somno consopitos esse, & dormire. Nam ante Christi adventum mors nomen mortis habebat. *In quocumque*, inquit, *die comederis ex eo, morte morieris.* (*l*) Et iterum: *anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* (*m*) Et David: *Mors peccatorum pessima.* (*n*) Rursus: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus . . .* Neque solum mors, sed & infernus vocabatur. Audi Davidem dicentem: *Verumtamen Deus eruet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.* (*o*) Et Jacob: *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* (*p*) Hæc nomina habebat obitus noster anteactis temporibus. At postquam Christus venit, & pro mundi vita mortem subiit, mors non amplius vocatur mors, sed somnus, & dormitio. Dormitionem appellari testantur illa Domini verba: *Lazarus amicus noster dormit.* (*q*) Non enim

(*l*) Gen. 2, 17. (*m*) Ezech. 18, 20.
(*n*) Psal. 33, 22. (*o*) Psal. 48, 16.
(*p*) Gen. 42, 38. (*q*) Joan. 11, 11.

enim dixit: mortuus est, quamvis revera mortuus esset. Et iterum Paulus: *Ergo, & qui dormierunt in Christo, perierunt?* (r) ad quosdam ait, rursus alibi de defunctis loquens: *Nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt.* (s) Et alibi: *Surge, qui dormis.* Et, ut ostenderet, se de mortuis hoc dicere, addit: *Et exurge a mortuis.*

Vide, quomodo mors ubique nominetur somnus: qua de causa, & locus cæmeterii, quasi dicas, dormitorii, nomen invenit. Utile enim hoc nomen est, & Philosophiæ multæ plenum. Quando igitur huc mortuum ducis, ne ipse mente concidas. Non enim ipsum ad mortem, sed ad somnum ducis: sufficit tibi nomen hoc ad calamitatis solatium, & levamen. Disce, quo ducas: in cæmeterium. Et quando ducis? post mortem Christi, postquam nervi mortis concisi sunt; ita, ut & a loco, & a tempore multum consolationis percipere possis. Maxime ad mulieres oratio hæc nobis instituitur, cum sexus hic affectibus magis sit obnoxius, & ad anxietatem, desperationemque perquam proclivis. Sed idoneum habes pharmacum mœrori leniendo, nomen loci. Tom. 2. hom. de Cæmet. & Cruce.

II.

De morte proborum gaudendum.

Mori malum non est, sed male mori. Tom. 4. hom. 35. in cap. 10. Matth. Mors Sanctorum, mors non est, sed translatio a terra in cœlum,

(r) 1. Cor. 15, 18. (s) 1. Thess. 4, 14.

lum, a deterioribus ad meliora, a conservis ad Dominum, ab hominibus ad Angelos. Tom. 6. hom. in illud: *Scitote* &c.

Mors quies est, & a sudoribus, curisque saecularibus liberatio. Cum igitur ex propinguis aliquem videris hinc abeuntem, ne indigne feras; sed compungere, ad te ipsum redi, conscientiam scrutare: hoc considera, brevi parem tibi subeundum esse finem. Temperantior esto, & alterius morte timere disce: errata corrige, optimam fac morum mutationem. Hoc ab infidelibus differimus, quod aliter atque illi de rebus ipsis judicemus. Respicit infidelis cœlum, & adorat, quod Deum esse credat: terram respicit, ipsamque colit, & iis, quae in sensum cadunt, inhiat. At nos secus; videmus enim cœlum, & ejus opificem admiramur: ipsum quippe, non Deum, sed Dei opificium esse credimus. Video mundum universum, ac per illum deducor ad creatorem. Videt ille divitias, ipsisque inhiat, & obstupescit. Video & ego divitias, & irrideo. Videt ille paupertatem, & ingemiscit: video & ego paupertatem, & exulto. Alio ego, alio ille modo res inspicimus. Sic & in morte nos gerimus. Videt ille mortuum, & mortuum putat: video ego mortuum, & somnum pro morte video .... Cogita, ad quem abierit, & consolationem accipe. Eo scilicet, ubi Paulus est, ubi Petrus, ubi Sanctorum chorus omnis. Cogita, quomodo resurrecturus sit, cum quanta gloria, & splendore. Animo reputa, te fletu, & lacrymis in re illa nihil immutaturum, vel emendaturum, sed tibi damnum ingens illaturum. Cogita

gita, quos id faciens imiteris, & fuge consortium in peccatis hujusmodi. Quos ergo imitaris? quos æmularis? Infideles, qui spem non habent, quemadmodum, & Paulus dixit: *Ut non contristemini sicut & cæteri, qui spem non habent...* Fidelem nulla rerum præsentium dolore afficere poterit; sed etiam ante futura bona, & in præsenti vita ab infidelibus remotus est, non parva ex philosophia christiana percipiens bona, maximamque inde metens alacritatem, perpetuumque gaudium. Quare Paulus ait: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* (t) Itaque etiam ante resurrectionem non parvam hanc mercedem accipimus, quod in nulla accidentium calamitatum animo concidamus, sed futurorum spe multo fruamur solatio. Tom. 1. hom. in illud: *De Dormientibus &c.*

III.

Mors metuenda non est.

Ne adeo de nostra in patria sepultura simus solliciti, neque mortem metuamus, sed peccatum. Neque enim mors peccatum peperit, sed peccatum mortem nobis procreavit: mors autem in remedium peccati conversa est. Mortem enim non esse metuendam, sed peccatum, audi, quibus verbis doceat Propheta: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*; (u) & alibi: *Mors peccatorum pessima.* (x) Vides eos, qui ad res suas attenti sunt, maximam etiam ex ea

(t) Philipp. 44.
(u) Psal. 115, 5. (x) Psal. 33, 22.

ea posse utilitatem percipere: qui vero desides sunt, & inertes, eis rem illam in partem supplicii obvenire. Tom. 2. hom. in S. Prosidem.

IV.

Miserum non est peregre mori, sed mori in peccato. — In judicio nulla misericordia speranda.

Multos dicentes audivi: Ille peregre mortuus est, ignominiosius quam canis, nullo ex propinguis præsente, neque sepulchrum condente: sed vix paucis vicinis se mutuo invitantibus ex pecunia quadam corrogata obvolutus, sepulturæ mandatus est. Ne igitur hæc nobis negotium facessant, operæ pretium fuerit, opinionem istam corrigere. Non enim hoc est cane miserius mori, mi homo, sed cane miserius mori est in peccato mori: non peregre vitam finire. Noli enim mihi hominem commemorare, qui in deaurato lecto gestetur, qui prosequente tota civitate, atque populis collaudantibus sepelitur; cui sericæ vestes, & auro intertextæ liberaliter admodum insternuntur: hoc enim aliud nihil est, quam Lautiorem vermibus mensam apponere. Ne igitur hunc mihi ostendas, sed hunc ipsum, qui tanto cum honore deducitur, illo die mihi velim ostendas, quo in excelso tribunali Christus sedebit, cum ille judicio sistetur, vocabitur, rationem reddet eorum, quæ dixerit, quæ fecerit, quæ cogitaverit.

Tunc enim illi ne unus ex hac multitudine patrocinabitur, neque supplicio illum, ac poenis eximet; neque auxiliabuntur ei clamores, ac laudes

des istæ: sed vultu in terram demisso, trepidus, ac pudore suffusus propter objecta sibi crimina abducetur, & a malignis spiritibus ad æterna tormenta cum gravissimo dentium stridore, frustra lamentans, & propter intolerabiles dolores plangens trahetur . . . Idcirco dixit: *Mors peccatorum pessima* . . . Hic igitur ille est, qui cane miserius moritur: at justis ita non evenit; sed licet in deserto, licet nemine obvolvente, licet nemine præsente vitam finiat, sufficientes exequias ex hac vita discedens habet, fiduciam apud Deum: & admodum honorifice præsentibus angelis, ejusque animam deducentibus effertur . . . Quæ cum explorata nobis sint, non eos, qui peregre, sed eos, qui peccatorum rei moriuntur, miseros censeamus, neque eos, qui domi, atque in lecto, sed eos, qui cum virtute ex hac vita discedunt, beatos prædicemus, ac virtutem sectemur, & vitium fugiamus. Illa enim, & viventibus, & morientibus prodest: istud vero ex utraque parte lædit, dum & hos probro afficit, & ad supplicia abducit æterna. Tom. 2. hom. in S. Prosidem Mart.

V.

Miserum non est in alieno solo, aut in solitudine mori, sed mori in peccato.

Non putet quis miserum eum esse, qui in alieno solo vitam finiat, neque eum, qui in solitudine ex hac vita decedat. Neque enim ille dignus est, ut miser dicatur: sed qui in peccatis mortuus est, etiamsi super lectum, etiamsi præsentibus amicis omnibus mortem obeat. Et ne

 mihi

mihi frigida illa verba, ridiculaque, & inſipientiæ plena dicat aliquis: ille talis cane vilius eſt mortuus, nullo familiarium præſente; neque ſepultura, & funus ei contigerunt: ſed collectitia ſtipe juſta facta ſunt. Non eſt hoc, mi homo, cane ignominioſius mortuum eſſe. Quid enim ille damni ſenſit? illud unum, ſi virtutis amicitiam ſe tegentem non habuerit. Nam quod id nihil lædat juſtum virtute præditum, diſce, quia pleroſque Juſtorum, Prophetas, & Apoſtolos, ubi ſiti ſint, paucis exceptis, ignoramus. Etenim alii quidem capite truncati, alii lapidati mortui ſunt: & alii innumeris, & variis pœnis ſeipſos expoſuerunt propter pietatem; omnes propter Chriſtum martyres facti ſunt: & nullus de illis dicere audebit, ignominioſam eſſe eorum mortem. Ibidem.

VI.

Mors peccatorum, etiamſi in corona fratrum, & amicorum decedant, coram Deo peſſima; mors vero Juſtorum ſemper pretioſa.

Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Pſal. 115, 5. Et ſicut mortem Sanctorum pretioſam vocavit, audi quomodo, & mortem peccatorum malam vocet. *Mors* enim, inquit, *peccatorum peſſima.* (y) Itaque etiam ſi domi ſuæ moriantur, & uxore, & filiis præſentibus; & familiaribus, & notis adſtantibus, virtute autem careant, mala horum mors eſt. Sic etſi in aliena terra, etſi ſuper pavimentum quis jacens, & quid dico, etſi in aliena terra? etiamſi in latrones

(y) Pſal. 33, 22.

nes incidat, etiamsi a bestiis devoretur, virtute autem præditus sit, pretiosa ejus mors erit. Dic enim, obsecro, Zachariæ filius nonne decollatus est? Stephanus autem primus martyrii corona redimitus, nonne lapidatus vitam finiit? Paulus autem, & Petrus, nonne ille quidem capite truncatus, hic autem modo contrario, quam Dominus, crucifixus, ita hac vita excessit? Nonne propter hoc magis in toto mundo celebrantur, & prædicantur? Hæc autem omnia cogitantes, neque eos qui in aliena terra moriuntur, miseros dicamus, neque domi suæ morientes beatos prædicemus; sed divinæ Scripturæ canonem sequentes, claros virtutibus hinc migrantes beatos dicamus: &, eos qui in peccatis moriuntur, miseros prædicemus. Sicut enim, qui virtute præditus est, in meliorem vitam transit, accipiens laborum suorum præmia: ita, & qui illa caret, initia, & procemia suppliciorum jam accipit, & gestorum rationem reddere coactus, intolerabilibus complicatur malis. Ideo oportet hæc cogitantes virtutum habere curam, & in præsenti vita quasi in palæstra certare, ut cum solutum fuerit theatrum, splendida redimiri corona queamus, ne frustra pœnitentes inveniamur. Quamdiu enim duret certamen, possibile est, si voluerimus, & desidiam excutere, & virtutem exercere, ut propositam assequamur coronam. Tom. 4. hom. 66. in cap. 48. Genes.

VII.

Mors malum non est, ideo non est pertimescenda; sed offensa Dei. — Solum peccatum malum est. — Cœlum ab homine christiano desiderandum.

Humanorum nullum sit grave malorum, nisi peccatum: non paupertas, non ægritudo, non contumelia, non calumnia, non ignominia, non mors, quæ omnium malorum extremum esse videtur. Hæc enim calamitatum nomina philosophantibus sunt tantum nomina rebus carentia.

Vera autem calamitas est, Deum offendere, & eorum, quæ ipsi non placent, aliquid facere. Quid enim, quæso, grave mors habet? Num quod te celerius ad tranquillum portum, & pacatam illam transmittit vitam? Quamvis enim homo non occidat, ipsa naturæ lex irrepens nonne corpus ab anima resolvet? licet hoc nunc minime fiat, erit paulo post, quod nunc timemus: & hæc dico, non grave quid exspectans, absit, sed erubescens mortem timentium causa.

Tot exspectans bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: (z) ad fruendum differs, & negligis, & torpes? nec tantum torpes, sed & times, & horres? Et quomodo non tibi turpe propter mortem dolere, cum Paulus propter præsentem doluerit vitam, & Romanis scribens dixerit: *Omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc;* *non*

(z) 1. Cor. 2, 9.

non solum autem illa, sed & nos ipsi, primitias Spiritus habentes, gemimus. (a) Et hæc dicebat non condemnans præsentia, sed futura desiderans. Gustavi, inquit, gratiam, & moram non fero: Spiritus primitias habeo, & ad integrum festino: ascendi in tertium cœlum, vidi gloriam illam ineffabilem, vidi regiam splendentem, didici, quibus hic immorans bonis caream, propterea gemo . . . . Hoc quoque de cœlis, & de terra cogites; & ingemisce cum Paulo, non propter mortem, sed propter præsentem vitam. Tom. 2. hom. 5. ad Populum antioch.

VIII.

Mors vitam futuram sperantibus non timenda. — Inferorum pœnæ.

Non nosti, quod, qui in peccatis non sunt, etsi mortui sint, vivant? Nec meus hic sermo, sed sententia est Christi, Marthæ dicentis: Omnis, *qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* (b) Num enim fabulæ sunt dogmata nostra? si christianus es, Christo crede: si Christo credis, per opera mihi fidem demonstra. Quomodo vero per opera fidem demonstrabis? Si mortem contemnas. Et in hoc enim ab infidelibus differimus. Etenim illi quidem merito timent mortem; resurrectionis enim spem non habent: tu vero meliori pergens via, & de futurorum spe philosophari valens, qua dignus es venia, de resurrectione quidem confidens, ita vero mortem timens, ut ii, qui non credunt resurrectioni? sed mortem, inquis, non timeo: neque mori, sed

 male

(a) Rom. 8, 22. (b) Joan. 11, 25.

male mori, & capite truncari. Igitur Joannes male mortuus eſt? fuit enim capite truncatus. Igitur Stephanus male mortuus eſt? fuit enim lapidatus; & martyres cuncti miſere ſecundum vos obiere? quoniam igne, aut ferro vitam finierunt: & hi quidem in mare, hi vero in præcipitium, hi autem in dentes beſtiarum incidentes, ſic mortui ſunt. Non hoc eſt male mori, mi homo, violenta morte finiri, ſed in peccatis mori. Audi namque Prophetam de hoc ipſo philoſophantem, & dicentem: *Mors peccatorum peſſima.* (c) Non dixit, mors violenta peſſima: ſed quid? *Mors peccatorum peſſima.*

Juſte ſane, poſtquam enim hinc migraverint, eos pœna intolerabilis, tormenta ſempiterna, vermis virulentus, ignis inextinguibilis, tenebræ exteriores, vincula inſolubilia, dentium ſtridor, tribulatio, & anguſtia, & æterna damnatio manet. Ibidem.

IX.

Mors divitis Epulonis, & Lazari. — Mors injuſta minus timenda, quam juſta.

Vere *mors peccatorum peſſima.* Talis erat Divitis illius mors, qui Lazarum deſpexerat, qui domi, & in lecto, & neceſſariis aſſiſtentibus vita per propriam ſoluta mortem defunctus torrebatur, ne parvam quidem conſolationem ex præſentis vitæ proſperitate nanciſci valens. At non ita Lazarus: verum in ipſo pavimento canibus adſtantibus, & ulcera lingentibus violentam mortem paſſus eſt; quid enim fame difficilius eſſe poſ-

(c) Pſal. 33, 22.

possit? Digressus illinc æternis potitus est bonis, in Abrahæ sinu gaudens.

Quid igitur ipsum læsit violenta mors? quid vero diviti profuit morte non violenta mori? At non violenter, inquit, sed injuste mori timemus: & quod ausi nihil eorum, de quibus in suspicionem vocamur, cum sontibus pariter puniamur. (*) Quid ais, quæso? Injuste mori times? An juste velles? & quis tam miser, & ærumnosus, ut cum injuste mori immineat, malit juste mori? Si enim mortem metuere oportet, juste nobis ingruentem timere convenit: quoniam injuste quidem mortuus, per hoc ipsum cum Sanctis omnibus communicat. Apud Deum enim probatorum, & illustrium plures injustam sustinuere mortem, & ante omnes Abel: non enim in fratrem peccans, nec Cain lædens: sed quoniam Deum honorabat, ideo jugulatus est. Deus autem permisit, numquid ipsum amans, an odio habens? Certum est quod amans, ut clariorem ipsi coronam faceret ex injustissima cæde. Vides, neque violentam, neque injustam mortem esse metuendam, sed mortem in peccatis. Abel injuste mortuus est, Cain vixit gemens ac tremens: quis igitur, dic mihi, beatior fuit, qui cum justitia requieverat, an qui in peccatis vivebat? qui mortuus est injuste, an qui juste puniebatur? Ibidem.

(*) Timebant Antiocheni, ne propter seditionem, qua Theodosium Imperatorem vehementissime exacerbarunt, tota urbs deleretur. Hinc S. Chrysostomus eos ad generose ferendas imminentes calamitates exhortatur.

X.

Rationes, cur mortem timemus. — Qui gehennam timet, mortem deridet, nec unquam in gehennæ ignem decidet.

Vultis, Charitati veſtræ dicam, unde timemus mortem? Non vulnerat nos regni amor, non nos futurorum amor accendit: alioquin præſentia deſpiceremus omnino, ſicut beatus Paulus. Ad hæc non timemus gehennam, ideo mortem timemus: ſupplicii illius intolerabilem gravitatem non novimus, propterea pro peccato mortem timemus: quod ſi ille animam noſtram timor occupaſſet, iſte ſubrepere non potuiſſet. .

Quemadmodum in corporibus, quando nos duo dolores oppreſſerint, inferiorem potentior abſcondere conſuevit: ſic & nunc factum eſſet; ſi futuri ſupplicii timor in anima remanſiſſet, omnem timorem humanum obſcuraſſet. Itaque ſi quis gehennæ ſemper meminiſſe laboret, mortem deridebit: & non præſenti tantum anguſtia liberabitur, ſed & ab illa flamma eripietur. Qui enim gehennam continuo timet, nunquam in gehennæ ignem decidet, hoc aſſiduo caſtigatus metu. Ibidem.

XI.

Mors larva contemptu digna.

Concedite nunc, ut opportune vobis dicam: *Fratres nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia eſtote.* (d) Etenim puerilem timemus pavorem, mor-

(d) 1. Cor. 14, 20.

mortem timentes, peccatum autem non timentes. Pueri enim parvi larvas timent, ignem non timent: ſic quidem & nos timemus mortem, quæ eſt larva contemptu digna: peccatum vero non timemus, quod eſt vere timendum, & ignis more conſcientiam devorat. Et hæc non ex rerum natura, ſed ex ignorantia nobis accidere conſueverunt: quodſi cogitemus, quid tandem ſit mors, nunquam ipſam timebimus. Quid igitur tandem mors eſt? Peregrinatio ad tempus, ſomnus conſueto longior. Itaque ſi mortem times, time & ſomnum, ſi propter morientes angeris, & propter comedentes, & propter bibentes angere: ſicut enim hoc naturale, ſic & illud. Ne te naturalia contriſtent, contriſtent te potius, quæ ſunt ex mala voluntate: neque morientem luge, ſed in peccatis viventem. Ibid.

XII.

Ratio alia, ob quam mortem metuimus. — Fortem, ac bonæ conſcientiæ virum nihil contriſtari poteſt.

Vis commemorem, & aliam cauſam, propter quam mortem timemus? Non vivimus cum diligentia, non habemus conſcientiam puram: quod ſi hoc eſſet, nihil nos mors terruiſſet, non fames, non pecuniarum jactura, non quævis alia res. In virtute enim viventem horum nihil lædere poterit, nec in terra privare voluptate: bonæ enim innutritum ſpei nihil in triſtitiam dejicere poterit.

Quid enim quiſpiam facere poſſit, quo fortem virum in triſtitiam conjiciat? Aufferet pecunias?

cunias? ſed habet in cœlis divitias. Patria ejiciet? ſed in ſupernam civitatem mittet. Vincula injiciet? ſed habet conſcientiam ſolutam, & exteriorem non ſentit catenam. At interficiet corpus? ſed iterum reſurget: & ſicut qui cum umbra pugnat, & aërem verberat, percutere poterit neminem: ſic & qui cum juſto pugnat, cum umbra tantum pugnat, & vires ſuas diſſolvit, nullam illi plagam valens infligere. Itaque da mihi de cœlorum regno confidere, & ſi vis, hodie me jugula: cædis gratiam tibi habebo, quod me celeriter ad illa bona transmittas. Hoc eſt maxime, quod & nos lugemus, inquit, quod peccatorum multitudine prohibiti regnum illud non aſſequemur. Igitur mortem lugere ommittens, luge peccata, ut ipſa deleas. Propter hoc enim triſtitia facta eſt, non ut ob jacturam pecuniarum, non ob mortem, nec ob ullam aliam rem talem doleamus, ſed ut ipſa ad delenda utamur peccata. Tom. 2. hom. 5. ad Popul. Antioch.

XIII.

Sola triſtitia de peccatis utilis, ac proficua eſt, omnis alia fruſtranea.

Percurramus ingruentium nobis malorum quodlibet, & triſtitiam ſuperadducamus, & videamus, quid ex hac fiat utilitatis. Mulctatus eſt quispiam pecuniis? triſtatus eſt, mulctam non emendavit: filium amiſit? doluit; mortuum non reſuſcitavit, nec defuncto profuit: flagellatus eſt quis, alapis cæſus, contumeliis affectus? doluit, non reſarcivit contumeliam. In morbum

quis

quis incidit, & ægritudinem gravissimam? doluit, ægritudinem non sustulit, sed & difficiliorem reddidit. Vides, horum nulli prodesse tristitiam? Peccavit quis, tristatus est? peccatum delevit, dissolvit debitum. Unde hoc manifestum? ex Domini sententia. De quodam enim prævaricato loquens, dicebat: *Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, & percussi eum: abscondi a te faciem meam, & indignatus sum: & abiit vagus in via cordis sui. Vias ejus vidi, & sanavi eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus eam.* (e) Propterea & Paulus dicit: *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur.* (f) Igitur postquam oratio manifeste demonstravit, neque pecuniarum mulctam, neque contumeliam, neque calumniam, neque flagella, neque morbum, neque mortem, neque aliud hujusmodi resarcire tristitiam posse, sed solum dolere peccatum, & ad hoc destruendum valere: certum est, quod propter hanc solam causam facta sit. Ne amplius igitur pecuniarum jacturam doleamus, sed cum peccamus tantum, doleamus, neque enim proderit: peccasti? dole, utile namque est, & Dei prudentiam, & sapientiam considera. Ibid.

XIV.

Non mors, sed peccatum timendum.

Sicut vermis ex ligno nascitur, & illud rodit, & tinea lanam comedit, suam ab ipsa originem habens: sic & tristitia, & mors de peccato natæ

(e) Isai. 57, 17. (f) 2. Cor. 7, 10.

natæ ſunt, & peccatum abſumunt. Igitur ne timeamus mortem, ſed peccatum timeamus duntaxat, & propter illud doleamus. Et hoc dico, non grave quidquam exſpectans, abſit, ſed timentes vos ſic ſemper affici volens, & Chriſti legem per opera implere. *Qui* enim *non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus,* (g) inquit. Hoc autem dicebat, non ut lignum humeris feramus, ſed ut mortem ſemper ante oculos habeamus: ſicut & Paulus quotidie moriebatur, & mortem deridebat, præſentemque vitam contemnebat. Es enim miles, ſemper in acie conſtitutus: miles vero mortem timens, nunquam ſtrenue ſe geret; ſic igitur neque chriſtianus homo pericula timens, magnum quid, & admirabile exhibebit, immo facile expugnabilis erit: intrepidus contra, & magnanimus, inexpugnatus manet, & invictus. Sicut igitur pueri tres ignem non timentes, ignem effugerunt; ſic & nos, ſi mortem non timeamus, mortem effugiemus. Ignem vero minime timuerunt; non enim eſt crimen incendi, ſed peccatum timuerunt: crimen enim eſt, impietatem ſequi. Hos & nos imitemur, & omnes illis ſimiles, & ne pericula timeamus, & effugiemus pericula. Tom. 2. hom. 5. ad popul. Antioch.

XV. *Quar-*

(g) Matth. 10, 38.

XV.

Quarta causa, cur mortem timemus. — Ex mortificatione, & maceratione corporis cœlestium desiderium nascitur. — Cur Deus adeo laboriosam vitam nobis paravit.

Dixi vobis, nos mortem timere, non quia terribilis est, sed quoniam neque cœlestis regni amor nos succendit, neque gehennæ timor nos occupavit: & ad hæc quoniam conscientiam non habemus bonam. Vultis, & quartam hujus importunæ anxietatis causam commemorem, non minus superioribus veram? Non vivimus in asperitate christianis congrua, sed facilem hanc, & solutam, & mollem amamus vitam: idcirco verisimiliter & præsentibus oblectamur rebus.

Quod si utique in jejuniis, & pernoctationibus, & victus tenuitate hanc vitam transigeremus, cupiditates nostras præcidentes absurdas; voluptates arcentes, sudores virtutis sustinentes, secundum Paulum corpus castigantes, & in servitutem redigentes, carnis providentiam ad desideria non facientes, angustam, & confragosam tenentes viam: cito futura concupisceremus, præsentibus liberari laboribus festinantes. Et quod non falsus sit sermo noster, ad montium vertices ascende, considera illic morantes Monachos in sacco, in vinculis, in jejuniis, in tenebris conclusos, & omnes videbis mortem exoptantes, & rem illam requiem appellantes. Sicut enim cæstibus pugnans, stadio exire festinat, ut vulneribus liberetur, & athle-

ta

ta Spectatores exsurgere concupiscit, ut laboribus absolvatur: sic & qui in rigida, & aspera vita cum virtute vivit, finem desiderat, ut præsentibus eripiatur laboribus, & pro repositis valeat coronis confidere, ad tranquillum navigans portum, & illo transmigrans, ubi non est amplius timendum naufragium.

Propterea Deus naturæ laboriosam, & gravem nobis vitam paravit, ut præsenti tribulatione compulsi, futurorum desiderium capiamus. Si enim cum sint tot tristia, & pericula, & timores, & curæ nos undique circumeuntes, tam libenter præsenti immoramur vitæ; si nihil horum esset, & absque tristitia, & ærumnis tota foret vita nostra, quando unquam futura desideraremus? Tom. 2. hom. 6. ad popul. Antioch.

XVI.

Nimia præsentis vitæ cupiditas deponenda.

Non ultra, quam est opus, præsentem vitam amplectamur. Quæ nobis utilitas? Quod vero emolumentum, ex nimia præsentis vitæ cupiditate? Vis discere, quare bonum sit præsens vita? Quia futuræ nobis vitæ materia efficitur; & occasio, & stadium est pro coronis illic adipiscendis: quod nisi hoc nobis præberet, innumeris mortibus esset miserabilior. Nisi enim viventes Deo simus placituri, melius est obire. Quid enim est amplius? quid reliquum? nonne eumdem solem, & eamdem lunam quotidie cernimus? Nonne eamdem hyemem, & nonne eamdem æstatem? nonne eadem negotia? *Quid est, quod*

quod fuit? ipsum, quod futurum est. Quid est, quod factum est? ipsum, quod faciendum est. (h) Ne igitur beatos putemus viventes, neque morientes lugeamus: sed in peccatis constitutos, sive viventes, sive mortuos deploremus; in justitia vero ubicunque sint, beatos existimemus. Tu quidem unam mortem formidas, & luges: at Paulus per singulos dies moriens, non tantum non lachrymabatur, sed & lætabatur, & exultabat. . . . Ne igitur propter mortem tristeris; naturæ enim est: tristare propter peccatum, voluntatis enim est culpa. Si vero propter defunctos tristaris, & propter nascentes dole: sicut enim hoc est naturæ, sic & illud. Si quis igitur mortem minetur, dic ipsi, institutus sum a Christo, non illos timere, qui corpus interimunt, animam vero occidere nequeunt. (i) ibid.

XVII.

Mors magis optanda, quam lugenda.

Tunc, inquit, *justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* (k) Quid splendorem commemorem solis? cum fideles transfigurari necesse sit ad ipsius Christi Domini claritatem, ut testatur Apostolus Paulus: *Nostra*, inquit, *conversatio in cœlis est: unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* (l) Transfigurabitur sine dubio

(h) Eccles. 1, 9. (i) Matth. 10, 28.
(k) Matth. 13, 43. (l) Philipp. 3, 20.

dubio caro noſtra mortalis ad conformationem Chriſti claritatis ; induet mortale immortalitatem: quia, quod ſeminatum fuerat in infirmitate, protinus ſurget in virtute. Non timebit caro amplius corruptionem , non patietur famem , non ſitim, non ægritudines, non caſus adverſos. Pax enim tuta, & firma ſecuritas vitæ eſt. Alia utique cœleſtis eſt gloria, ubi & gaudium ſine defectione præſtabitur. Hæc in ſenſu, & oculis gerens beatus Paulus dicebat: *Coarctor . . . deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto multo magis melius.* (*m*) Tom. 6. ſerm. 1. de conſolatione mortis.

XVIII.

Depoſito mortis metu deſiderium erga bona cæleſtia ſæpius eliciendum. — Suicidium prohibitum.

Dum ſumus, inquit Paulus, *in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, & præſentes adeſſe Deo.* (*n*) Quid agimus nos parvæ fidei homines , qui anxiamur , & deficimus , ſi aliquis de charis noſtris migret ad Dominum? Quid agimus, quos peregrinatio in hoc mundo magis delectat, quam repræſentari ad Chriſti conſpectum? vere , vere peregrinatio eſt omne, quod vivimus: nam ſicut peregrini in ſæculo ſedes habemus incertas , laboramus , deſudamus, vias ambulantes difficiles, pericu-

(*m*) Ib. 1: 23. (*n*) Philipp. 1.

periculis plenas: undique insidiæ a spiritualibus, & a corporalibus inimicis: undique eorum cuniculi sunt præparati. Et cum tantis periculis urgeamur, non solum ipsi non cupimus liberari, sed etiam liberatos tanquam perditos lugemus, & plangimus. Quid vobis præstitit Deus per suum Unigenitum, si adhuc mortis timemus casum? Quid nos renatos ex aqua, & spiritu gloriamur, quos peregrinatio de hoc mundo contristat? Ipse Dominus clamat: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: Et ubi ego sum, illic & minister meus erit.* (o) Putas, si quis Rex terrestris ad suum palatium, vel convivium aliquem vocet, non cum gratiarum actione properabit? Quanto magis ad cœlestem currendum est Regem, qui, quos receperit, non solum convivas, sed etiam conregnatores efficiet, sicut scriptum est: Si commortui sumus, & convivemus; si sustinebimus, & conregnabimus.

Nec hoc ego dico, ut quis manus sibi inferat, aut se interficiat contra voluntatem Dei Creatoris, aut animam ut de corporis sui expellat hospitio; sed hoc dico, ut lætus, & gaudens, cum aut ipse vocatur, aut proximus, & ipse vadat, & euntibus gratuletur. Hæc enim est christianæ fidei summa, vitam veram exspectare post mortem, reditum sperare post exitum. Accepta igitur voce Apostoli, cum fiducia jam agamus gratias Deo, qui nobis contra mortem victoriam dedit. ib.

 XIX. *Ob*

(o) Joan. 12, 16.

XIX.

Ob ſpem futuræ Reſurrectionis mors non timenda, ſed optanda.

Mihi crede, poteſt omnia Deus. Hoc tantum require, utrum promiſerit, ſe facere reſurrectionem: & cum promiſſam didiceris tantorum teſtimoniis; immo cum ipſius Chriſti Domini certiſſimam habeas cautionem: confirmatus in fide, mortem deſine timere. Qui enim timet adhuc, diſcredit, & peccatum contrahit inſanabile; quia ſua incredulitate audet Deum impotentem, aut certe aſſeverare mendacem. Sed non ita Apoſtoli, non ita ſancti Martyres probant. Apoſtoli propter hanc prædicationem reſurrectionis, Chriſtum reſurrexiſſe prædicant, & in ipſo mortuos ſuſcitandos annunciant: nec mortem, nec tormenta recuſarunt, nec cruces. Si ergo in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum: reſurrectio mortuorum, cujus tot, & tam idonei teſtes exiſtunt, cui cum effuſione ſanguinis teſtimonium dicunt, quomodo poteſt in dubium revocari? Quid autem ſancti Martyres? Habueruntne certam ſpem reſurrectionis, an non? Si non habuiſſent, non utique per tantos cruciatus & pænas mortem pro lucro maximo ſuſcepiſſent: non cogitabant ſupplicia præſentia, ſed præmia ſecutura. Sciebant dictum: *quæ videntur, temporanea ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt.* (p) Tom. 6. ſerm. 2. de conſolat. mort.

XX. *Ma-*

(p) 2. Cor. 4, 18.

XX.

Machabæorum Mater in contemnenda morte virtutis exemplum.

Audite fratres virtutis exemplum. Mater ſeptem filios hortabatur ad mortem, & non lugebat, ſed potius lætabatur: videbat filios ſuos ungulis radi, ferro concidi, ſartagine aſſari; & non lacrymas fundebat, non ululatus tollebat, ſed ſollicite ad tolerantiam filios hortabatur. Non enim erat illa crudelis utique, ſed fidelis: amabat filios, non delicate, ſed fortiter. Hortabatur filios ad paſſionem, quam gaudens ipſa quoque ſuſcepit. Erat enim de ſua, & ſuorum filiorum reſurrectione ſecura. Quid loquar viros, quid fæminas, quid pueros, quid puellas? quomodo ſibi de iſta morte luſerunt? quomodo ſumma celeritate ad cœleſtem militiam tranſierunt? Poterant utique ad præſens vivere, ſi voluiſſent, quia in ipſis erat poſitum, ut Chriſtum negando viverent, aut confitendo morerentur: ſed magis elegerunt vitam projicere temporaneam, & vitam aſſumere ſempiternam; excludi de terra, & incolere cœlum. ib.

XXI.

Formido mortis excludatur.

Fratres quis dubitationis eſt locus? Ubi poteſt adhuc mortis reſidere formido? Si Martyrum ſumus filii, ſi eorum ſocii volumus inveniri, non contriſtemur morte, non lugeamus charos, qui nos præcedunt ad Dominum. Nam

ſi plangere voluerimus, ipſi nobis inſultabunt Martyres, & dicent: O fideles! O regnum Dei cupientes! Vos, qui charos veſtros delicate morientes, in lectis utique, & plumis, cum mœrore plangitis, & lugetis; ſi eos a gentilibus propter nomen Domini cruciari, & interfici videretis, quid facturi eſſetis? Aut an vobis non præceſſit exemplum? Abraham Patriarcha filium unicum offerens ſacrificium gladio obedientiæ jugulavit: nec ei, quem tanto amore dilexit, pepercit, ut domino obediens probaretur. Sed ſi dicatis, illum propter Dei hoc feciſſe præceptum: & vos habetis præceptum, ut non triſtes ſitis de dormientibus. Qui ergo minima non ſervant, majora quomodo ſervabunt? An neſcitis, quia animus, qui in talibus frangitur, ad fortiora reprobus invenitur? Quis timens rivum, mare aliquando ingreditur? Sic, qui plangit impatienter amiſſum, quando poterit ad martyrii pervenire certamen? Nam qui in his conſtans, & magnanimus exiſtit, jam ſibi gradum ad potiora ſubſternit. Sufficiant hæc, fratres, & ad mortis contemptum, & ad ſpei futuræ confirmationem. ib.

XXII.

Hucusque dictorum recapitulatio — Pii moriturientis affectus.

Oſtenſa igitur, fratres, mortis communis conditione, oſtenſa lachrymarum interdictione, monſtrata veterum adhuc fragilitate, & non chriſtianitatis virtute; monſtrato Domini ſacramento, & Apoſtolorum de reſurrectione Domini

mini documento, commemoratis Apostolorum actibus, & Martyrum passionibus: ad ultimum exposita & noxia, & utili tristitia, illa, quae nocet, ista, quae per poenitentiam salvat: his omnibus sic ostensis, quid nos facere jam aliud oportet, fratres, quam gratias agentes Deo Patri dicere?

Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra: (q) Tu dedisti vitam, tu constituisti mortem; tu inducis in saeculum, tu educis e saeculo, & cum eduxeris, servas: nihil enim deperit tuorum, qui nec capillum capitis eorum perire dixisti: *Aufferes enim Spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* (r) Haec verba, fratres, digna fidelibus, haec medicina salutaris: hac spongia consolationis detersus oculus, hoc infusus collyrio rationis, non modo caecitatem ex desperatione non sentiet, sed nec lippes aliquas tristitiae sustinebit: quin potius oculis cordis lucida cuncta respiciens, dicet secundum patientissimum illum Job, *Dominus dedit, & Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* (s) Tom. 6. serm. 2. de consolat. mort.

XXIII.

Ante mortem poenitentia agenda: quia post mortem nihil meremur.

Diem illum terribilem nobis reputemus, & ignem illum, & terribilem tormentorum locum

(q) Matth. 6, 10. (r) Psal. 193. v. 29.
(s) Job. 1, 21.

locum in mentem accipiamus. Veniet enim hora, quando theatrum vitæ hujus ſolvetur, & nullus poſtea certabit. Non eſt poſt hujus vitæ finem negotiatio. Hoc ſoluto theatro coronas mereri non datur. Hoc tempus eſt pœnitentiæ, illud judicii: hoc agonum, illud coronarum: hoc laboris, illud relaxationis: hoc ærumnæ, illud retributionis. Aſt, quæ dicuntur, ſuaviter audiamus. Viximus in carne, vivamus poſthac in Spiritu: viximus in voluptatibus, vivamus in virtutibus: viximus in negligentia, vivamus in pœnitentia. Tom. 2. hom. 9. de Pœnit.

XXIV.

Conſideratio mortis remedium optimum contra ſuperbiam. — Brevis enarratio Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti. — Pænitentia non differenda.

Quid ſuperbis terra, & cinis? (t) Quid inflaris homo? quid arrogans es? quid ſperas ex gloria mundi, & divitiis? Egrediamur ad ſepulcra, obſecro, videamus diſcerptam naturam, oſſa corroſa, corpora putrefacta. Si ſapiens es, conſidera; ſi prudens, dic mihi, quis illic rex, & quis privatus; quis nobilis, & quis ſervus: quis ſapiens, & quis inſipiens? ubi pulchritudo illic adoleſcentiæ, ubi gratioſus aſpectus, ubi oculi ſpecioſi, ubi elegans naſus, ubi ignita labia, ubi pulchritudo genarum, ubi frons radians? An non omnia cinis? Nonne omnia

---

(t) Eccl. 10, 9.

omnia pulvis? Nonne omnia favilla? Nonne omnia vermis? Nonne omnia putredo, & fœtor? Hæc animo reputantes, fratres, & extremum diem animo versantes, dum tempus habemus, convertamur a via nostra, qua erravimus. *Sanguine pretioso redempti sumus.* (u) Propter te, *homo!* Deus super terram visus est, *non habens, ubi caput reclinet.* (x)

Papæ, rem mirabilem! judex ad tribunal ducitur propter reos: vita mortem gustat: Creator a creatura alapis cæditur; qui a Seraphim videri nequit, a servo conspuitur, in sepulchrum deponitur: & tu negligens es, & dormis, & contemnis, o homo! An nescis, quod etsi proprium sanguinem pro ipso effundas, non, quantum oportet, impleas? alius enim est sanguis Domini, & alius sanguis servi.

Præveni pœnitentia, & conversione egressum animæ tuæ, ne quando, si mors advenerit, inutilis sit omnis pœnitentiæ medicina. Quoniam super terram tantum, & non in inferno, pœnitentia robur habet. Quæramus Dominum, dum tempus habemus: operemur bonum, ut a gehenna, quæ fine caret, liberemur, & cœlorum regnum gratia, & misericordia Domini consequamur. ib.

XXV.

Pœnitentia non prodest post mortem.

Quando omnino necesse est, ut vel illic, vel in hac vita ob delicta compungamur, satius

(u) 1. Petr. 1, 19. (x) Luc. 9.

eſt, ut illud hic potius, & non illic fiat; unde id conſtat? Ex propheticis verbis, & evangelicis. Nam Propheta quidam ſic ait: *In inferno autem quis confitebitur tibi* (y)? Non quod non confiteamur, ſed quod fruſtra illud faciamus. Chriſtus autem per parabolam hoc ipſum docuit. Erat enim, inquit, Lazarus quidam mendicus undique ulceribus plenus, immedicabili morbo laborans: alter autem quidam dives pauperi micas non impertiebat. Et quid opus eſt parabolam totam percurrere? quippe noſtis hiſtoriam omnem: crudelitatem divitis, quo pacto mendicum participem menſæ non faceret; egeſtatem illius, ac famem, qua perpetuo conflictabatur. At hæc in vita: poſtquam autem mortuus eſt uterque, videt illum mendicum in ſinu Abrahæ dives. Et quid ait? *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* . . . (z) *Rogo te pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* . . . (*) Vides, ut benignus, & clemens evaſerit, & miſericors? Quid igitur? Numquid illi profuit pœnitentia? Num aliquid lucri ex illa compunctione collegit? Nihil omnino: quippe quod intempeſtiva eſſet pœnitentia. Solutum erat theatrum, ſublatus locus certaminis, non amplius luctarum tempus fuit. Propterea moneo, precor, & obſecro, hic lamentari oportet, ac propter

(y) Pſal. 6, 6. (z) Luc. 16, 24.
(*) Ib. v. 27.

ter peccata lugere. Hic nos verba contristent, ne nos illic res terreant; hic nos pungat oratio, ne nos illic vermis pungat venenatus: hic nos urat reprehensio, ne nos gehennæ ignis illic urat. Eos, qui hic in deliciis degunt, & rident, nec ullo propter admissa peccata dolore tanguntur, plane illic lugere, ac lamentari, ac frendere dentibus est necesse. (*a*) Non mea sunt hæc verba, sed ipsius, qui judicium in nos tum temporis exercebit. Tom. 2. hom. *non esse ad gratiam concionandum.*

XXVI.

Satius est modo compungi, quam post mortem æternum plecti. — Erubescentia in confessione deponenda.

Beati, qui lugent, quoniam consolabuntur. (*b*) *Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis.* (*c*) Quanto igitur satius est temporariam compunctionem, & luctum cum æternis bonis, & voluptate, quæ finem non habeat, commutare, quam brevi hac, & temporaria vita ridendo transacta, illuc abire immortali supplicio plectendos. At verecundaris, & erubescis enunciare peccata? Sane quidem, si coram hominibus ea dicenda essent, & evulganda; non tamen ita pudere te oportuit: pudor enim est, & ignominia peccare, non, quæ peccaveris, confiteri; jam vero neque necessarium est, testibus præsentibus confiteri.

Apud

(*a*) Matth. 5, 5. (*b*) Matth. 5, 5.
(*c*) Luc. 6, 25.

Apud conſcientiæ rationes fiat inquiſitio delictorum; ſine teſtibus ſit judicium: Deus te confitentem ſolus audiat, Deus, qui peccata non exprobrat, ſed confeſſione peccata delet. At hoc pacto etiam pigritaris, ac detrectas? Scio equidem, conſcientiam ſuorum delictorum memoriam minime ferre. Nam ſi tantum ſubeat animum eorum, quæ deliquimus, recordatio, tanquam mulus quidam indomitus, ac frœnatu difficilis mens reſilit. Sed tu coerce illam, ac refrœna, demulce manu, cicurem illam redde. Perſuade, fore, ut niſi nunc confiteatur, illic confiteatur, ubi major pœna, ubi diffamatio major. Hic judicium fit ſine teſtibus, ac tu ipſe in te judicium exerces, qui peccaſti: at illic in medium orbis terrarum cuncta producentur, niſi prius hic fuerint a nobis deleta. Erubeſcis peccata confiteri? erubeſce peccata committere. Nos vero dum illa committimus, temere, & impudenter ea aggredimur: cum ea autem fuerint confitenda; tum nos pudet, pigetque, cum id alacriter a nobis fieri oporteret. Non enim ignominioſum eſt, incuſare peccata, ſed juſtitia, & virtus. Niſi juſtitia eſſet, ac virtus, non propoſuiſſet illi mercedem Deus. Nam confeſſionem obtinere mercedem, audi, quibus verbis Scriptura teſtetur: *narra, ſi quid habes, ut juſtificeris.* (d) Quem tandem pudebit illius operis, quo fit juſtus? quem confiteri peccata pudeat, ut peccata ſolvat? Num enim idcirco peccata jubet confiteri, ut puniat? immo ut dimittat. Tom. 2. ib.

XXVII. *Cæ-*

(d) Iſai. 43, 26.

XXVII.

Cœmeterii visitatio pios in animo excitat affectus.

Non mediocriter nobis prodest ad inserendam animis nostris modestiam, ac philosophiam spectaculum tumulorum; Animus enim, sive segnis sit, hoc aspectu commotus statim percellitur: sive diligens sit, & excitatus, diligentior redditur; sive paupertatem quis lamentetur, ex hoc statim aspectu consolationem percipit: sive divitiis intumescat, humilis fit, & contrahitur. Hic enim aspectus sepulchrorum unumquemque spectatorum cogit invitum de sua morte philosophari, utque nihil in hoc mundo stabile esse censeat, persuadet, seu molestum sit, seu jucundum: porro is, cui id persuasum fuerit, non facile peccati laqueo capietur. Propterea sapiens admonet dicens: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis:* (e) & alter quispiam his consona loquitur, dum ita consulit: *Præpara in exitum opera tua, & præpara te ad iter:* (f) (*) non quod de sensibus subjecto itinere verba faciat, sed de discessu ex hac vita. Nam si perpetuo, ac singulis diebus, quam incertus sit obitus, præmeditemur, haud facile peccata committimus; sed neque rebus hujus vitæ splendidis, atque magnificis intumescere, neque molestis deprimi poterimus, aut turbari, cum incertus sit utrarumque finis.

(e) Eccli. 7, 40. (f) Prov. 24, 27.

(*) Vulgata habet: *Præpara foris opus tuum, ut postea ædifices domum tuam.*

finis. Sæpe namque, qui hodie vivit, ne ad vesperam quidem est superstes. Tom. 2. hom. in S. Drosidem Mart.

XXVIII.

Mors somnus est, ducens ad resurrectionem vitæ æternæ.

Ego *sum*, inquit, *resurrectio*, *& vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.* (g) Manifesta est, fratres charissimi, vox divina: quia qui credit in Christo, & ejus mandata custodit, si mortuus fuerit, vivet. Hanc vocem beatus Paulus Apostolus, accipiens, & totis fidei viribus retinens, suos instruebat: *Nolo*, inquit, *vos ignorare*, *fratres*, *de dormientibus*, *ut non contristemini.* (h) O mira Apostoli pronuntiatio! uno sermone, antequam doctrinam proferat, resurrectionem commendat. Dormientes namque appellat illos, qui mortui sunt, ut, dum dormire eos dicit, resurrecturos sine dubitatione consignet. *Non*, inquit, *tristes sitis de dormientibus*, *sicut & cæteri.* Qui spem non habent, contristentur: nos autem, qui spei filii sumus, collætemur. Quæ autem nobis spes sit, ipse commemorat dicens: *Si enim credimus*, *quod Jesus mortuus est*, *& resurrexit: ita & Deus eos*, *qui dormierunt per Jesum*, *adducet cum eo.* (i) Jesus enim nobis & hic viventibus salus est, & hinc recedentibus vita

(g) Joan. 11, 25. (h) 1. Thessal. 4, 12.
(i) 1. Thessal. 4, 13.

vita eſt. *Mihi*, inquit Apoſtolus, *vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* (*k*) Lucrum plane: quia anguſtias & tribulationes, quas habet longior vita, mors accelerans lucrifacit. Tom. 6. ſerm. 1. de conſolat. mortis.

XXIX.

Mors longus ſomnus eſt.

Mors nihil aliud eſt quam longus ſomnus. Ne mihi dixeris, mortuum nec audire, nec loqui, nec videre, neque ſenſu affici: nam idipſum de dormiente dixerim. Si quod porro mirum dicere liceat, dormientis anima quodammodo dormit; mortui non item, ſed vigilat. At, inquies, mortuus putreſcit, & corrumpitur, pulviſque & cinis efficitur. Quid tum inde, dilecte! ideo maxime gaudendum. Etenim ſi quis veterem domum quaſſatam reſtaurare velit, primo habitatores ejicit, domumque diruit, & magnificentiorem exſtruit. Ejecti vero non ideo mœrent, ſed gaudent potius. Non enim demolitionem, quæ ſub aſpectum cadit, ſed futurum ædificium, quod non videtur, animo reputant. Ita facturus Deus, corpus diſſolvit, & in illo habitantem animam prius educit, ceu e domo quapiam, ut poſt in eamdem magnificentius conſtructam domum, animam cum majori gloria reducat. Ne igitur demolitionem ſpectemus, ſed futurum ſplendorem. Tom. 1. hom. 5. in illud: *de dormientibus* &c.

XXX. *Luc-*

(*k*) Philipp. 1, 21.

XXX.

Luctus erga mortuos qualis esse debeat.

Si quis statuam habet rubigine, ac tempore labefactatam, multisque partibus mutilam: ipsam contritam in fornacem injicit, ut flamma splendidiorem reddat. Quemadmodum igitur in fornace statua detrita non deletur, sed renovatur; sic morte corpora non prorsus pereunt, sed renovantur. Cum igitur videris carnem nostram ceu in fornace defluentem, & putrescentem: ne in aspectu illo steteris, sed denuo conflandam exspecta. Neque hoc tantum exempli modo contentus esto; sed ad id, quod prius est, ratiocinando procede. Statuarius enim, qui corpus æneum injecit, non auream, & immortalem tibi statuam reddit: terra autem, quæ fluxum, ac corruptibile corpus accepit, incorruptibile illud, & immortale restituit. Ne itaque intuearis eum, cujus clausi sunt oculi, & qui mutus jacet; sed eum, qui resurget, & accipiet gloriam ineffabilem, & stupendam, mirabilemque, atque a præsenti hujusmodi aspectu cogitationes transfer in spem futuram. At consuetudinem requiris, ideoque ingemiscis, ac luges? Et qui hoc non absurdum fuerit? si, cum sponso cuipiam filiam collocaveris, illeque secum eam in longinquam regionem abduxerit, ibique rem prospere gesserit, rem non molestam ducis, bene gestæ rei fama absentiæ dolorem leniente: hic vero cum non homo, non conservus, sed ipse Dominus cognatum tuum abripuit, mœreas, & crucieris? Et quomodo, inquis,

inquis, homo cum ſim, poſſim non mœrere? Neque ego id poſtulo: non mœrorem veto, ſed mœroris vehementiam. Mœrere namque naturæ eſt, ſed ultra modum mœrere, furoris, inſaniæ, muliebrisque animi eſt. Mœre, lachrymare; ſed ne ægre, moleſteque feras, ne indigneris. Gratias age ei, qui abſtulit, ut defunctum exornes, ejusque funeri hæc juſta ſplendide perſolvas, ipſique mittas. Si moleſte feras, ipſi contumelioſus es, Deum exacerbas, teque ipſum damno afficis; ſin gratias agas, illi honorem, Deo ipſum abripienti gloriam, tibi lucrum procuras. Lachrymare, ut Dominus tuus Lazarum luxit, modum nobis, regulam, terminumque doloris ponens, quem prætergredi non licet. Sic & Paulus ait: *De dormientibus autem nolo, vos ignorare, ut non contriſtemini ſicut cæteri, qui ſpem non habent.* (l) Mœre, inquit, at non ut Ethnicus, qui de reſurrectione deſperat, qui futuram vitam non non exſpectat. Tom. 1. hom. 5. in illud: *de dormientibus.*

XXXI.

De morte proborum, & improborum gaudendum; quare? Item de morte ſenum, & juvenum.

Cur, quæſo, defunctum luges? An quia improbus erat? atqui ideo gratiæ agendæ, quod ejus improbitas præciſa fuerit. At frugi, &

(l) 1. Theſſal. 4, 12.

& bonus erat ? ideo lætari convenit, quod cito abreptus sit prius, quam improbitas conscientiam ejus mutaret, abieritque in locum, ubi in tuto versatur, neque ulla mutatio est metuenda.

Sed juvenis erat ? idcirco gloriam rapienti Deo referas, quod cito illum ad meliorem sortem vocaverit. Senex erat ? Ob id gratiæ agendæ sunt : iterum rapienti Deo gloriam referas. Hunc efferendi modum erubesce. Psalmodiæ, preces, patrum conventus, fratrum multitudo tanta ; hæc, inquam, non ideo adsunt, ut fleas, mœreas, & indigneris : sed ut gratias ei agas, qui defunctum accepit. Quemadmodum enim eos, qui ad magistratum vocantur, multi cum laudibus, & acclamatione comitantur ; ita & sanctos, qui discesserunt, utpote qui ad majorem evocentur honorem, cum magnis omnes laudibus deducant. Mors quies est, & a sudoribus, curisque sæcularibus liberatio. Cum igitur ex propinguis aliquem videris abeuntem, ne indigne feras ; sed compungere, ad te ipsum redi, conscientiam scrutare : hoc considera, brevi parem tibi subeundum esse finem. ib.

AUGU-

AUGUSTUS.
DE MORTE.

I.

Mortis hora quare cuilibet incerta.

Christus accedentibus discipulis, & quærentibus ediscere diem consummationis, non indicavit; ut futurorum incertos nos assidue in timore servet, & singuli semper futurum exspectantes, & in spe Christi adventus versantes, diligentiores essent. Ideo admonet quispiam dicens: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* (m) Incerta mors est, inquit, & ideo incerta, ut semper sollicitus sis. Quapropter sicut fur in nocte, sic dies Domini veniet: non non ut furetur, sed ut nos cautiores reddat. Nam qui venturum furem prævidet, in vigiliis agit, & accensa lucerna semper vigilat. Sic & vos itaque accensa fidei, & recti vitæ instituti luce, splendidas habetote lucernas in assiduis vigiliis. Quia enim nescimus, quandonam sponsus venturus sit, semper paratos esse oportet, ut, cum venerit, nos vigilantes inveniat. Tom. 6. in illud: *Hoc scitote.*

(m) Ecclef. 5, 8.

II.

Mortis tempus utiliter ignoratur.

Ipsi diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in in nocte, ita veniet. (*n*) Non communis solum, sed etiam singulis proprius: ipse enim illum imitatur, quoniam est ipsi cognatus. Quod enim ille simul, & acervatim, hoc hic facit sigillatim. . . . Si vultis autem scire, cur ipse sit occultus, & cur tanquam fur veniat in nocte, ego dicam, ut ipsus recte se habere existimo. Nemo unquam virtutis per totam vitam curam gereret, si dies illa sciretur, nec occultus esset; sed cum sciret extremum diem, post mille patrata scelera hinc migraret. . . . *Vigilate itaque: quia nescitis diem, neque horam.* (*) Viden', quam frequenter his verbis finiat, ostendens, ignorantiam exitus ex hac vita utilem esse? Ubinam sunt illi per totam vitam desides, qui, cum incusantur a nobis, dicunt: Mortis tempus egenis relinquam? Audiant hæc verba, & emendentur. Nam in illo tempore multi id non potuerunt, subito abrepti, nec quidquam suis de suprema voluntate indicare potuere. Tom. 7. hom. 78. in Matth.

III.

Non omnes mortui, sed solum, qui in peccatis mortui sunt, lugendi.

Mors in numero rerum indifferentium est. Non mors malum est; sed post mortem pœnas

(*n*) 1. Thessal. 5, 2.
(*) Tom. 11. hom. 9. in 1. Epist. ad Thessal.

pœnas dare hoc malum eſt ; neque vero bonum eſt mors , ſed poſtquam deceſſeris , cum Chriſto eſſe, id bonum eſt; quæ poſt mortem ſunt, ea demum ſunt bona, vel mala. Igitur non generatim eos, qui moriuntur, lugeamus, neque de viventibus generatim gaudeamus. Sed quid? Lugeamus peccatores non ſolum morientes, ſed etiam viventes : de juſtis gaudeamus, non ſolum dum vivunt, verum etiam poſtquam mortui fuerint. Nam illi quidem, etiam dum vivunt, mortui ſunt : hi vero etiam, cum mortui fuerint, vivunt. Illi etiam, dum hic ſunt, omnium elicere miſericordiam debent; quoniam Deum offendunt: hi vero illuc etiam tranſlati beati ſunt, quoniam ad Chriſtum ſunt profecti. Peccatores ubi, ubi ſunt? procul a Rege ſunt: propterea lachrymis digni. Juſti autem ſive hic, ſive ibi; cum Rege ſunt; atque ibi quidem multo magis, ac propius, non per ſpeciem, non per fidem, ſed facie, inquit, ad faciem. Tom. II. in Epiſt. ad Philipp.

IV.

Mortui quomodo lugendi. — Exequiarum modus.

Non igitur omnes ploremus mortuos ; ſed eos qui in peccatis ſunt : hi lacrymis digni, hi ejulatu, hi lamentis. Quæ enim, dic mihi, ſpes eſt, una cum peccatis eo diſcedere, ubi peccata exuere non licet? donec enim hic erant, magna forſitan erat ſpes, fore, ut converterentur, ut meliores evaderent : at ſi in infernum abierint, ibi nihil lucri ex pœnitentia reportari

poteſt; *nam in inferno*, inquit, *quis confitebitur tibi?* (o)

Quomodo non lamentis digni? lugeamus eos, qui hoc modo decedunt, non id impedio; lugeamus, ſed non præter decorum, non vellentes capillos, non brachia nudantes, non lacerantes faciem, non pullas veſtes induentes; ſed ſolum in anima lachrymas amaras quiete fundamus. Etenim ſine hac etiam pompa licet amare flere, & non tantum ludere. Nam quæ a nonnullis fiunt, a puerorum luſu nihil differunt, Illi enim fletus forenſes non ex dolore, quem quidam naturæ ſenſus attulerit, proficiſcuntur, ſed ex oſtentatione, & ambitione, & vanæ gloriæ ſtudio; ideo multæ inveniuntur mulieres, quæ hujus rei artem exercent. Amare fleas, ſed domi plores, nemine vidente; id miſericordiæ fuerit: id tibi etiam profuerit. Nam, qui illum hoc modo luget, multo magis ipſe ſtudium adhibebit, ne in eadem incidat mala. Terrorem tibi poſthac peccatum incutiet. ib.

V.

Mortem Chriſtus guſtavit, ut in eam audaces eſſemus — Mors irridenda.

Sicut medicus, cum non ſit neceſſe, ut guſtet cibos ægroto paratos, propter curam illius, quam gerit, ipſe prior guſtat, ut perſuadeat ægroto, ut confidenter audeat cibum ſumere: ita Chriſtus, quoniam omnes homines mortem exti-

(o) Pſal. 6.

extimuerunt, eis persuadens, ut in eam essent audaces, ipse quoque eam gustavit, cum non esset ei necesse. *Venit*, inquit, *princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* . . . (p) Christus advenit, *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* (q)

Hic ostendit, quod est mirabile, nempe, quod, per quam vicit diabolus, per eam victus fuit, & quæ erant ei arma valida adversus orbem terræ, nempe mors, per eam Christus illum feriit. Hoc ejus, qui vicit, magnam indicat potentiam. Vides, quantum bonum mors fecerit. *Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* (r) Cur, inquit, horretis? quid timetis eam, quæ est abolita, planeque & inanis, & otiosa? Non est amplius terribilis, sed est conculcata, contempta, vilis, & abjecta, & plane nullius pretii. . . Stemus ergo fortiter, mortem irridentes. Tom. 12. hom. 4. in Epist. ad Hebr.

VI.

Mors non amplius mors, sed dormitio est.

Semel mortuus est Christus pro omnibus hominibus. Quid vero, an non adhuc morte illa morimur? Morimur quidem, sed in ea non manemus, quod nec est quidem mori. Mortis enim tyrannis & vere est illa mors, quando mortuo non est amplius concessum, ut redeat ad

(p) Joan. 14, 30.
(q) Tom. 12. hom. 4. in Epist. ad Hebr. 1. Hebr. 2, 14. (r) Ib. v. 15.

ad vitam. Quando autem vivet post mortem, atque vita meliore, hoc non est mors, sed dormitio. Quoniam ergo futurum erat, ut mors omnes detineret, propterea est mortuus, ut nos liberaret. . . . . . (s) *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.* (t) Hæc Christus dixit, hæc per opera fulgent. Quid ergo, inquies, an non mortuus est? (*) Nequaquam. Neque enim hoc dixerim esse mortem, sed somnum quemdam, & peregrinationem. Ut enim viventium multi mortui sunt, qui quasi in sepulchro cum corpore animam deposuerunt; sic ex mortuis multi vivunt, justitia fulgentes: sicut & hic beatus. Mors enim est gravissima, & vere mors ea, quæ ex peccato paritur, qua nunquam mori dicit ille eos, qui in se credunt. *Nam qui vivit, & credit in me*, inquit, *non morietur.* Tom. 12. hom. inter nondum editas 11. pag. 354. n. 1.

VII.

Mortem exoptare culpa non vacat. — Valetudini consulendum.

Ne hoc tibi ad excusandum mortis desiderium idoneum esse ducas, quod ille (**) dolorum vim, & acerbitatem non ferens, mortem exoptaret. In mentem enim tibi veniat, quonam ille tempore, quoque rerum statu eam expete-

(s) Tom. 12. hom. 17. in epist. ad Hebr cap. 10. n. 2.
(t) Joan. 11, 25.
(*) Loquitur de Theodosio Imperatore.
(**) Jobum intelligit.

petebat: hoc eſt, cum nec lex data eſſet, nec Prophetæ extitiſſent: nec gratia ita diffuſa eſſet, nec ipſe alia divinæ philoſophiæ genera percepiſſet. Nam quod a nobis plura, quam ab illis, qui tum vivebant, requirantur, majoresque nobis palæſtræ conſtitutæ ſint, audi Chriſtum dicentem: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* (u) Quam ob rem ne mortem nunc exoptare, culpa vacare exiſtimes: verum hanc Pauli vocem audias: *Diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius, permanere autem in carne, neceſſarium propter vos.* (x) Quanto enim magis ingraveſcit calamitas, tanto etiam magis exuberant coronæ: quanto magis aurum inflatur, tanto etiam purius redditur: quanto longius navigat mercator, tanto plures merces cumulat. Quocirca ne parvum nunc tibi (*) propoſitum eſſe certamen putes, verum omnium, quæ ſuſtinuiſti, altiſſimum, maximeque ſublime: de eo loquor, quod in corporis adverſa valetudine ſitum eſt. Nam & Lazaro (licet enim hoc exemplo ſæpe ad te uſus ſim, quo minus tamen nunc adhuc eo utar, nihil prohibet) ad ſalutem hoc ſatis fuit; atque in ſinum ejus, (**) qui communem omnibus prætereuntibus domum habuit, & propter Dei juſſum, atque imperium perpetuo extorris fuit, ac germanum, & unicum filium, in ſenectute acceptum obtruncavit, is, qui nihil horum fecerat, idcirco abſceſſit, quia pauper-

 tatem,

(u) Matth. 5, 20. (x) Philipp. 1, 23.
(*) Olympiadem morbo laborantem alloquitur.
(**) Sc. Abrahæ.

tatem, & morbum, ac patronorum inopiam æquo, & facili animo tulit. Tantum enim bonum est istud iis, qui forti, ac strenuo animo aliquid ferunt, ut, etiamsi hominem aliquem, qui maximis peccatis se se devinxerit, nanciscatur, gravissima peccatorum sarcina eum liberet: sin autem probum virum, ac multis muneribus perfunctum, ei non exiguum, sed perquam ingentem fiduciæ cumulum afferat. Siquidem justis splendida corona est, solisque fulgorem incredibili quodam intervallo superans: & iis, qui in peccatum lapsi sunt, maxima expiatio. . . .

Quæ cum ita sint, cave, aut mortem nunc expetas, aut corpus curare negligas. Neque enim hoc tutum fuerit. Ac propterea Paulus quoque Timotheum, ut valetudini suæ diligenter consulat, admonet. Tom. 3. Epist. ad Olymp. 4. num. 3.

VIII.

Instante morte timor impios occupat. — Avarus in hora mortis cruciatur.

Quamdiu hic sumus, anima voluptatibus delinita, quæ tristia sunt, non fert. Cum autem ex corpore exitura est, tum illam major timor excipit, utpote quæ ad ipsa judicii limina venerit. Nam latrones in carcere degentes, absque metu vivunt: quando autem ad velum sistuntur, solvuntur metu. Cum enim mortis formido instat, quasi ignis omnia amovens, animam philosophari cogit, & de futuris sollicitam esse. Nulla tunc adest cupiditas pecuniarum, nullum avaritiæ studium, nullus corporum amor. His

His itaque nubium inſtar amotis, judicium jam liberum puruṁque eſt, ſuccedente dolore, duritiemque emolliente. Nihil enim philoſophiæ contrarium eſt ut deliciæ; uti econtra ærumnæ ſunt ad philoſophiam opportunæ.

Conſideres velim, qualis tunc avarus erit: *Hora*, inquit, *afflictionis, oblivionem facit abundantis voluptatis.* Quo animo erit, cogitans eos, quorum bona diripuit, quos injuſte læſit, quorum facultates prædatus eſt? Quo animo erit, quando alios cernet avaritia ſua frui, ſe vero mox pœnas daturum? fieri enim nequit, ut incidens in morbum hæc non ſuſpicetur. Sæpe namque anima ipſa deorſum verſa, & anxia tremit. Quanta, quæſo, hinc amaritudo? hæc quippe in nobis ſingulis contingere neceſſe eſt. Si autem alios puniri videat, ſi ex hac vita diſcedere, quid non patietur? & hæc quidem in hac vita. Quæ vero illic futura ſunt, ne explicari quidem poſſunt. Quantum ſupplicium, quantæ pœnæ, quanta tormenta. Hæc nos dicimus, *qui habet, aures audiendi, audiat.* (y) Tom. 11. hom. 5. in Epiſt. ad Timoth.

IX.

Mortui precibus, miſſæ Sacrificio, aliisque bonis operibus juvandi in purgatorio.

Si peccator exceſſit, propterea etiam lætari oportet, quod interciſa ſunt peccata, & vitio nihil adjecit; & quoad ejus fieri poteſt, ei ſuccurre, non lachrymis, ſed precibus, ſupplicationibus,

(y) Luc. 8, 8.

nibus, eleemosynis, & oblationibus. Non sunt enim hæc temere excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in divinis mysteriis meminimus, & pro ipsis accedimus, rogantes agnum propositum, qui mundi peccatum tulit: sed ut inde eis aliqua sit consolatio. Neque abs re is, qui adstat altari, dum veneranda peraguntur mysteria, clamat: *Pro omnibus, qui in Christo dormierunt, & iis, qui pro ipsis celebrant memorias.* Nam si pro ipsis non fierent commemorationes, ne hæc quidem dicta essent. Non sunt enim res nostræ ludi scenici, absit: hæc enim fiunt ordinatione Spiritus sancti. Eis ergo opem feramus, & commemorationem eorum peragamus. Si enim Jobi filios expiabat patris sacrificium: quid dubitas, an nobis pro eis, qui excesserunt, offerentibus, ipsis detur aliqua consolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari. Et hoc ostendebat Paulus dicens: *Ut in multis personis, ejus, quæ in nobis est, donationis per multos gratiæ agantur pro vobis.* (z) Ne nos pigeat opem ferre iis, qui excesserunt, & pro eis offerre preces: est enim propositum orbis terræ commune piaculum. Propterea fidenter pro orbe terræ rogamus, & cum martyribus eos vocamus, cum Confessoribus, cum Sacerdotibus. Etenim unum corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splendidiora: & fieri potest, ut veniam eis omni ex parte conciliemus, a precibus, a donis, quæ pro eis offeruntur, ab iis, qui cum ipsis vocantur. Tom. 10. hom. 41. in Epist. 1. ad Cor. pag. 393. n. 4.

DE

(z) 2. Cor. 1, 11.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

X.

Resurrectio quomodo fiat, non est quaerendum. — Resurrectionis possibilitas, & veritas probantur.

Credimus, quod is, qui *suscitavit Jesum, & nos cum Jesu suscitabit, & constituet vobiscum* in cœlesti gloria. (*a*) Neque vero mihi illud objicias, quo possit modo resurgere corpus, fierique corruptionis immune? Cum enim Dei potentia operatur, illud, *quomodo*, non est addendum. Sed quid de Deo loquor? teipsum fecit Deus, ut resurrectionis esses opifex, id quod patet in seminibus, artibus, materiisque metallorum. Etenim semina, nisi prius moriantur, & putrescant, & corrumpantur, non pariunt spicam.

Sicut igitur qui vides ibi granum, quod corrumpitur, & dissolvitur, non dubitas de resurrectione, sed certissimam demonstrationem facis: etenim si ita maneret, & non corrumperetur, vel dissolveretur, certum, quod nunquam resurgeret: sic cogita, & de corpore tuo, cum vides corruptionem, tunc potissimum de resurrectione philosophare. Nam mors nihil aliud est, quam plena corruptionis consumptio. Neque enim mors simpliciter corpus, sed corruptionem corporis absumit. Hoc etiam in metallorum materiis vides evenire. Terram enim aureis ramentis

(*a*) 2. Cor. 4, 14.

tis plenam accipiunt ejus artis periti, & in conflationem mittentes faciunt aurum: & ex arena, aliaque materia purum vitrum conficiunt. Jam si tantum potest ignis vis, cur, quæso, non & divina gratia? Cogita, quomodo te a principio fecit, nec erit, quod de resurrectione ambigas. Quid operosius? an formari e terra carnem, & venas, & cutem, & ossa, & fibras, & nervos, & arterias, & instrumentalia, & simplicia corpora, oculos, aures, nares, pedes, manus, & ubique horum tam propriam, quam communem indui operationem? an corruptibilia facta, efficere incorruptibilia? Tom. 2. hom. de resurrect. mort.

XI.

Omnes quidem resurgent; sed non omnes ad gloriam. — Infernus æternus.

Quia ergo communis est omnibus resurrectio, & piis, & impiis, & malis, & bonis hominibus, ut ne ideo putes judicium quoddam fieri injustum, neque dicas apud te ipsum: quidnam hoc est? ego qui multo studio, & labore, & in miseria vixi, resurgo, & græcus, & impius, & idololatra, & qui ignorat Christum, etiam ipse resurgit, & simili honore mecum fruitur? Ut ne talia dicens conturberis, audi, quid dicit: *Scimus enim, quoniam terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvetur, quod ædificationem ex Deo habemus: domum non manufactam, æternam in cælis . . . si tamen vestiti, non nudi inveniamur.* (b) Et quomodo dicit eum, qui indutus est incorruptio-

(b) 2. Cor. 5. v. 1. & 3.

ruptionem, & immortalitatem, inveniri nudum? Videlicet si gloria privamur, & fiducia ad Deum destituimur. Etenim peccatorum quoque corpora incorruptibilia resurgunt, & immortalia: sed hic honor fomentum, & viaticum ipsis erat suppliciorum, & ultionis: incorruptibilia enim resurgunt, ut semper urantur.

Nam cum ille ignis sit inextinguibilis, opus est illis corporibus, quæ & ipsa nunquam consumantur. Ea propter dicit: *Si tamen vestiti, non nudi inveniamur.* Non enim hoc solum est, ut resurgamus, & immortalitatem induamus; sed cum resurrexerimus, indutique fuerimus immortalitatem, non inveniamur nudi a gloria, fiduciaque erga Deum, neve illi igni tradamur, & ob hoc dicit: *Si tamen vestiti, non nudi inveniamur* .... Ne igitur dubitemus de futuris, præsertim cum talia acceperimus pignora; sed undequaque de resurrectione sermonem solidum colligentes, vitam tantis dogmatis dignam exhibeamus, ut & assequamur hic bona immobilia, quæ sermonem, ac mentem humanam transcendunt. Quæ nos omnes assequi contingat gratia, & benignitate Domini nostri Jesu Christi, Amen. Ibidem.

XII.

Resurrectio credenda, quia Deus hanc pronunciavit.

Dei sapientiam scrutari non oportet, vel rationes ab illa expetere. Primo quidem, quia fide dignus est is, qui pronunciavit: secundo, quia res ipsæ ratiociniorum perscrutationem non admit-

admittunt. Non enim adeo egenus est Deus, ut ea solum operetur, quæ a ratiociniorum tuorum imbecillitate possunt comprehendi. Si enim fabri opus non comprehendis, multo minus Dei præstantissimi artificis. Ne fidem ergo negetis resurrectioni, nam a spe futurorum longe aberitis. Sed quænam est sapientia contradicentium, immo ingens stultitia? Et quomodo, inquiunt, quando corpus terræ commixtum est, & factum est terra, & hæc rursum alio translata fuerit, resurget tamen illud? Hoc tibi dubium videtur esse, sed non insomni illi oculo: ipsi enim manifesta omnia sunt. Et tu quidem non vides divisionem, quæ est in confusione, ille vero omnia novit. Quandoquidem tu ignoras, quæ in corde proximi sunt; ille vero omnia novit. Si ergo ignoras, quomodo resuscitat Deus, non credis, quod resuscitet, non credes etiam, quod ea, quæ in mente sunt, noscat: nam neque illa apparent. Atqui in corpore materia quidem est visibilis, etsi dissolvatur. Illæ vero cogitationes invisibiles sunt. Qui ergo invisibilia cum omni accuratione novit, visibilia non videbit, nec facile corpus dividet? Est cuivis perspicuum. Ne igitur resurrectioni fidem neges: est quippe dogma diabolicum. Hoc diabolus curat, non modo ut resurrectioni non credatur, sed & ut virtutis opera dissolvantur. Homo enim, qui non exspectat se resurrecturum, & operum suorum rationem redditurum, non cito virtutem adibit; virtuti vero non dans operam, rursus non credet se resurrecturum. Ambo enim alterum ab altero probantur, nequitia ab incredulitate, & incredulitas a nequitia. Conscientia

enim

enim multis plena malis, timens, ac tremens futuram ultionem, quia non vult a mutatione ad meliora consolationem assequi, ab incredulitate vult quietem adipisci. Te enim nec resurrectionem dicente, nec judicium, illud quoque dices: ergo neque ego scelerum rationem dabo. Sed quid dicit Christus? *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* (c) Tom. 10. hom. 18. in Epist. 1. ad Cor.

XIII.

Resurrectio Mortuorum ex operibus Dei probatur. — Cornices, & elephanti diutius vivunt, quam homines. — Datur altera vita. — Status innocentiæ. — Status naturæ lapsæ. — Corpus non est impedimentum ad virtutem.

Tam multa Deus non esset operatus, nisi nos resuscitaturus esset, sed dissoluturus, & in nihilum redacturus. Non tantum cœlum extendisset, non terram stravisset, non cætera omnia pro hac solum vita fecisset. Si autem hæc fecit pro præsenti, quid non faciet pro futura? Si vero nulla sit futura, iis, quæ pro nobis facta sunt, longe sumus viliores. Nam cœlum, terra, mare, & flumina sunt nobis stabiliora, nec non bruta quædam.

Nam & cornix, & elephantorum genus, & multa alia diuturniore vita præsenti fruuntur. Nobis autem, & brevis, & laboriosa est vita. Sed non illis: nam longa eorum vita est, ac mœroribus, curisque vacua.

Quid

(c) Matth. 22, 29.

Quid ergo, dic mihi, servosne melioris conditionis fecit, quam dominos? Ne, quæso, ne talia existimes: neque sis mente inops, o homo! neve ignores divitias Dei, cum talem habeas Dominum.

Nam ab initio Deus te immortalem facere voluit; sed tu noluisti. Immortalitatis enim ænigmata erant illa, colloquium cum Deo, vita non laboriosa, liberum esse a dolore, cura, atque laboribus, aliisque temporaneis. Neque enim veste opus habebat Adam, non tecto, non alio quovis simili apparatu; sed magis angelis similis erat, multa futura præsciebat, & sapientia erat multa plenus. Et quod latenter Deus fecit, id ille cognovit, circa mulierem scilicet; ideo dicebat: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* (d) Labor autem postea ortus est, deinde sudor, postea pudor, & timor, & libere loquendi difficultas.

Tunc enim non mœror, non dolor, non gemitus. Sed in dignitate illa non mansit. Quid ergo, inquies, faciam ego? propter illum ne peream? Non sane propter illum. Neque enim tu sine peccato mansisti. Sed si non idipsum peccatum, aliud utique admisisti. (*) Alioquin autem a punitione non damnum accepisti, sed lucratus es; nam si debuisses semper mortalis manere,

(d) Gen. 2, 23.

(*) S. Pater hic alloquitur baptizatum, recteque asserit, talem non ideo perire, quia in Adam peccavit, cum ab ejus peccato per baptismum jam mundatus sit; sed propter peccata actualia, voluntate propria post baptismum commissa, quæ opitulante gratia vitare poterat.

manere, aliquam forte rationem haberet id, quod dictum est. Nunc aut immortalis es; & si velis, plusquam sol ipse splendere poteris. Sed nisi mortale corpus accepissem, inquies, non peccassem. Quid ergo an ille, quæso, mortale corpus habens peccavit? Nequaquam. Nam si mortale fuisset, non postea supplicii loco mortem passum esset.

Quod autem mortale corpus non sit impedimentum ad virtutem; sed & temperantem reddat, & multum conferat, hinc palam est. Si enim immortalitatis exspectatio solum Adamum tantum extulit, si revera immortalis mansisset, in quantam arrogantiam non processisset? Et nunc quidem post peccatum potes peccata solvere, cum corpus sit humile, abjectum, & dissolutum; hæ quippe rationes possunt temperantem reddere. Si autem peccasses in immortali, stabiliora fuissent peccata. Non ergo mortalis natura causa peccati est, nec accuses eam; sed malum voluntatis propositum est radix malorum. Cur enim Abelem corpus non læsit? sed cur nihil profuit dæmonibus, quod essent incorporei? Nemo itaque habenas culpet; sed se ipsum, & corruptum animum. Nam in nobis auriga est ratio: habenæ corpus, quæ equos cum auriga conjungunt. Si ergo illæ rectæ positæ sunt, nihil grave patieris; sin illas dimittas, omnia abolevisti, & perdidisti. Temperantes ergo simus, & ne accusemus corpus, sed malum animum. Ibidem.

DE UNIVERSALI JUDICIO.

XIV.

Judicium est futurum: duo Christi adventus.

Duo sunt Christi adventus: qui jam fuit, & qui futurus est: sed non iisdem de causis ambo; sed prior fuit, non ut facinora nostra examinet, sed ut dimittat; secundus erit, non ut dimittat, sed ut examinet. Ideo de priore quidem dicit: *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* (e) De secundo autem: *Cum autem venerit filius hominis in majestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis: & statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris.* (f) *Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.* (g) Tom. 8. hom. 28. in Joan.

XV.

Veritas judicii universalis probatur argumento morali.

Tribunali Christi adstabimus, omniumque accuratum erit examen. Si quis vero futurum judicium non credit, respiciat illa, quæ hic geruntur, videat eos, qui in carcere, qui in metallis, qui in stercore; respiciat dæmoniacos, infa-

(e) Joan. 3, 17. (f) Matth. 25, 31.
(g) Ibidem v. 46.

insanos, incurabilibus morbis laborantes, cum perpetua paupertate pugnantes, inedia vexatos, ingenti luctu obrutos, captivos. Neque enim illi hæc paterentur, nisi alios, qui eadem peccavere, ultio, & supplicium exspectaret. Si vero cæteri nihil hic passi sunt, hoc tibi signum esse debet, aliquid aliud superesse post profectionem ex hac vita. Neque enim ille, cum sit universorum Deus, alios ultus esset; alios vero, qui eadem, vel etiam graviora peccata admiserant, impune esse reliquisset, nisi quoddam ibi irrogaturus esset. Tom. 7. hom. 76. in Matth. pag. 739.

XVI.

Judicium futurum quam timendum ob revelationem peccatorum, & subsequens æternum supplicium.

Fugiamus nequitiam, diligamus virtutem, ut ex rebus ipsis ostendamus, nos libero uti ad ea, quæ placent, arbitrio, ne confundamur illo die, quo singulorum opera revelabuntur. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi*, ut ait Paulus, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* (*h*) Tribunal, quæso, illud nobiscum reputemus, quasi jam adesset, judexque sederet, & omnia revelarentur, in mediumque adducerentur. Non modo enim nos adstare oportet, sed etiam manifestari. An non erubescitis? an non perhorrescitis? an non sæpe mori potius optamus, quam occultum scelus venerabilibus

 amicis

(*h*) 2. Cor. 5, 10.

amicis nostris detegi? quo tunc sensu afficiemur, cum peccata nostra coram omnibus angelis, hominibusque detegentur, & ante oculos sistentur? *Arguam te,* inquit, *& statuam contra faciem tuam* peccata tua. Quod si re nondum præsente, sed tantum supposita, sermoneque descripta, conscientia urgente obruimur; quid faciemus, cum tempus aderit? cum totus orbis præsens erit? cum Angeli, & Archangeli, cum Principatus, & Potestates, cum tubæ frequentes clangent? cum justi rapientur in nubibus, & ingens erit peccatorum fletus? Quis tunc terror apprehendet eos, qui in terra manebunt? Nam *unus*, inquit, *assumetur, & unus relinquetur.* (*i*) Quo erunt illi animo, quando videbunt illos magno cum honore assumi, se vero cum multa turpitudine relinqui? Non potest, non, inquam, potest, credite mihi, verbo declarari doloris magnitudo. Tom. 6. hom. contra ludos, & theatra.

XVII.

A regno cælesti excludi quantum supplicium. — *Damnatorum pœnæ.*

Vidistis sæpe eos, qui ad mortem adducuntur, quo illos animo putatis esse, dum ad ostium pergunt? Quid non agere, quid non pati optarent, ut a tanta caligine eriperentur? Audivi ego multos eorum, qui, postquam abducti fuerant, ex Imperatorum clementia revocati, dicerent, se animo ita perturbato, ita perculso fuisse, ut neque homines, quasi homines viderent. Verum quid de abductis loquor? circumstabat mul-

(*i*) Matth. 24, 40.

multitudo hominum, quorum magna pars abductos non noverat: si quis singulorum animos explorasset; nullum reperisset, tam immanem, tam ferocem, tam strenuum, qui nec terrore, nec angore, nec demisso animo esset. Quod si dum alii, ipsis nullo necessitudinis vinculo juncti, morte mulctantur, ita affecti sunt; quando nos in graviora incidemus, quo erimus animo, a gaudio illo ineffabili ejecti, & in sempiternum missi supplicium? Etenim etsi nulla esset gehenna; a tanto splendore ejici, & sine honore recedere, quantum esset supplicium? Nam si hodieque Imperatorem ingredientem multi cernentes, suamque paupertatem considerantes, non tantam percipiunt ex hoc spectaculo voluptatem, quantum mœrorem ex eo, quod nullius horum sint consortes bonorum, neque inter clientes imperantis connumerentur, quid tunc erit?

Num parvum esse putatis supplicium, in choro illo non accenseri? ineffabili gloria non dignari? ab illo cætu, & inenarrabilibus bonis procul abjici? At cum præter hæc erunt tenebræ, stridor dentium, vincula insolubilia, vermis, qui non moritur, ignis, qui non extinguitur, animi mœror, angustia, linguæ adustæ, ut illa divitis; tum plorabimus, & nemo erit, qui audiat, tum ingemiscemus, & frememus ex doloribus, & nemo attendet: undique respiciemus, & nemo aderit, qui consoletur; quo in loco locabimus eos, qui in hujusmedi statu versantur? quid hujusmodi animabus miserabilius? Ibid.

XVIII.

Damnatorum pœnis neque ſanguine juncti ad commiſerationem moventur.

Si porro in carceres ingreſſi, dum ſquallidos illos videmus, qui catenis ferreis vincti ſunt, alios vero in tenebris concluſos, frangimur, horreſcimus, nihilque non agimus, ne in tantam calamitatem incidamus; cum abducemur vincti in gehennæ tormenta, quo erimus animo? Quid faciemus? Non enim ex ferro cuſa ſunt illa vincula, ſed ex igne, qui nunquam extinguitur, nec æquales nobis ſunt illi, qui nobis præficiuntur, quos ſæpe demulcere liceat; ſed Angeli terribiles, & immiſericordes, quos nec reſpicere quidem poſſimus, quique ob contumeliam in Dominum irrogatam, vehementer ſæviunt. Non videre eſt, ut hic, alios argento, alios cibo, alios ſuadela ſibi conſolationem parare; ſed omnia ibi venia carent. Etiamſi Noë fuerit, vel Job, vel Daniel, qui ſuos viderit ſupplicio affectos, non audent illis adſtare, & manum porrigere. Naturæ quippe commiſerationem aufferri contingit, ipſique cum Domino contra propria viſcera indignantur, Etenim ſi nunc, cum vident quidam filios ſuos improbos, ipſos exhæreditant, & a familia ſua abſcindunt, id multo magis in judicio eveniet. Nemo igitur, qui bona non operatur, aliquid boni ſperet, etiamſi ſexcentos juſtos progenitores habeat: *Referet unusquisque*, inquit, *propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* (*k*) Ibidem.

XIX.

(*k*) 2. Cor. 5, 10.

XIX.

Adventus Christi in judicio universali.

Cogitationem, o homo! transfer ad superna, diemque terribilem cogita, qua Christus adveniet . . . *nam virtutes cœlorum*, inquit, *commovebuntur*. (l) Tunc cœlum totum aperietur; descendet vero unigenitus Dei filius, non viginti, non centum satellitibus stipatus, sed millenis, & decies millies millenis Angelis, & Archangelis; omniaque erunt timore, & terrore plena, discissa terra, omnibusque hominibus ab Adam usque ad illum diem, ex terra surgentibus, & abreptis; ipso cum tanta gloria fulgente, ut solis, & lunæ totam lucem occultent, radiis illis ipsam superantibus. Sed, heu! nos quantus stupor ille, cum talia exspectantes bona præsentibus inhiamus, nec cogitamus diaboli vafritiem, qui per res illas exiguas magnis nos privat bonis; dat lutum, ut abripiat cœlum, umbram exhibet, ut expellat veritatem, atque in somniis vanam ostendit pompam; hoc enim sunt præsentes divitiæ, ut adveniente luce nos omnium pauperrimos exhibeat. Quæ cum sciamus, dilecti, ejus dolum fugiamus, id vitare curemus, ne cum illo damnemur, ne nobis judex dicat: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus*, (m) Tom. 6. de perfecta charitate.

(l) Matth. 24, 29. (m) Matth. 25, 41.

XX.

Ea, quæ dicuntur de judicio, & inferno, non tantum minæ sunt, sed certo eventura impœnitentibus.

At benignus est Deus, id non accidet, inquies. Ergone frustra scriptum est? Nequaquam, ajes; sed ad comminationem solum, ut resipiscamus. Si ergo non resipiscamus, sed improbi maneamus, nonne, dic mihi, supplicium inferet? Ergo neque bonis mercedem retribuet? Retribuet, inquies: id enim ipsum decet, etiam supra meritum beneficia conferre. Hæc itaque vera sunt, & prorsus evenient: quæ autem ad supplicia attinent, nequaquam? O multam diaboli vafritiem! ipsius enim est hæc cogitatio, ut gratiam conferat inutilem, & segniores reddat. Quia novit enim supplicii metum, ceu quoddam frænum, id præstare, ut animis angamur, & a vitiis retrahamur, nihil non agit, & molitur, ut illud radicitus evellat, quo demum sine timore per præcipitia feramur. Quomodo ergo illum superabimus? Quæcunque ex Scripturis proferemus, dicent ii, qui contradicunt, comminationis causa scripta esse. Verum id de futuris forte dicere possint, etsi admodum impie; de præteritis vero, deque iis, quæ jam contigerunt, non item. Interrogemus igitur eos: Audistisne de diluvio, deque pernicie illa universali? Num etiam comminationis causa dictum fuerat? an non contigit, & in exitum deductum est? Nonne id testificantur Armeniæ montes, ubi Arca consedit? An non reliquiæ ejus illic hactenus servan-

servantur ad nostram admonitionem? Similia tum multi dicebant, ac per centum annos: dum Arca construeretur, ligna aptarentur, justusque clamaret, nemo erat, qui crederet. Sed quia non crediderunt comminationi verborum, ultionem repente, ac re ipsa subierunt. Atqui is, qui tantum ipsis supplicium intulit, an non multo majus nobis inferet? Tunc illicitis coitibus operam dabant: nam *videntes*, inquit, *filii Dei, filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant:* nunc autem nullum est genus peccati, quod retro relinquatur. Ibidem.

XXI.

Sodomæ, & Gomorrhæ incendium futuri judicii, & supplicii indicium.

Verum si placet, ad alia supplicii genera sermonem convertamus, ut ex præteritis futura credantur. Num quis vestrum unquam in Palæstinam peregrinatus est? Mihi quidem videtur. Vos ergo dictorum testimonium ferte. Nam ultra Ascalonem, & Gazam ad ipsum postremum Jordanis fluvii terminum, erat quædam regio magna, & feracissima, quæ cum paradiso Dei concertare posset: nam *elevatis*, inquit, *tot oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor.* (n) Verum hæc nunc est omnium desertorum desertissima. Stant enim arbores, & fructum habent: at fructus

(n) Sap. 10, 6.

ctus ille iræ divinæ monimentum eſt. Stant mala granata ſplendida facie, ſpem bonam ignorantibus præbentia, manibus autem accepta, & fracta, fructum quidem nullum, ſed pulverem, cineremque multum intus poſitum exhibent. Talis eſt terra, tales lapides, talis ipſe aër. Omnia incenſa ſunt, omnia in cinerem redacta, præterquam iræ monimenta, futuri ſupplicii indicia. Num & hæc ſunt verborum comminationes? Num & hæc ſermonum ſtrepitus? Si quis non credit gehennam, Sodomam cogitet, Gomorrham ſecum reputet, ſupplicium ſcilicet jam ſumptum, & hactenus manens. Id quod divina Scriptura enarrans in Libro Sapientiæ, ſic loquitur: *Hæc juſtum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, deſcendente igne in Pentapolim.* Hæc etiam nunc *in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores.* Neceſſe autem eſt, & cauſam dicere, ob quam talia paſſi ſunt. Unum erat eorum ſcelus grave quidem, & execrandum; attamen unum. Inſano in pueros amore ferebantur, ideoque ignea pluvia combuſti ſunt: nunc autem ſexcenta paria, & graviora perpetrantur, neque tale incendium immittitur. Quare? quia alius ignis præparatus eſt, nunquam extinguendus. Quomodo enim, qui pro uno peccato tantam iram intulit, neque Abrahami ſupplicationem ſuſcepit, neque inhabitantem Lotum reveritus eſt, tot admiſſis facinoribus nobis parcat? Non ita erit, non ita certe. Ibidem.

XXII. *Alia*

XXII.

Alia futuri judicii, ac gehennæ indicia. — Peccatores, qui in hac vita nihil patiuntur, in futurum puniendi reservantur.

Verum ne hic gradum sistamus; sed age, alios in medium adducamus supplicio affectos, ut pluribus demonstrationibus ea, quæ diximus, confirmentur. De Pharaone omnes audistis Ægyptiorum Rege: nostis certe, quas ille dedit pœnas, quomodo cum curribus, & equis, omnique pariter exercitu in rubrum mare demersus sit. Ut autem Judæorum quoque supplicia discatis, audi te Paulum dicentem: *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* (o)

Quod si & illi talia passi sunt, quid non patiemur nos? At nunc nihil grave patimur: ideoque maxime timere oportet. Non enim, ut non pœnas demus, servamur; sed ut graviores demus, nisi convertamur. Illi enim non noverant gehennam, & suppliciis his traditi sunt: nos autem, quandocunque peccamus, si nihil in præsenti vita patiamur, in futura omnia perpetiemur. Nonne cum ratione pugnaret, si illis, qui rudiores, & imperitiores erant, talia passis, nos, qui perfectioribus fruimur Disciplinis, & longe graviora, quam illi, perpetramus, supplicium effugeremus? Ibidem.

XXIII.

(o) 1. Cor. 10, 8. 9. & 10.

XXIII.

Reliquæ Judæorum calamitates, queis futurum judicium, & supplicium indicatur. — Jerosolymæ excidium.

Vultis reliquas etiam illorum audire calamitates, quas passi sunt in Palæstina a Babyloniis, Assyriis, & Macedonibus? Quoties famem, pestem, bella passi sunt, & captivitates sub Tito, & Vespasiano?

Josephi librum legite, quem de Jerosolymorum excidio scripsit, & acerbam illam tragœdiam discetis. Cum aliis quippe calamitatibus in tantam famem inciderunt, ut balteos etiam suos, & calceos ederent, iisque etiam horribiliora: omnia quippe dentibus subigebat necessitas, ut prædictus Scriptor ait. Ac neque in his steterunt, quin etiam proprios filios degustarunt. Quomodo ergo, cum illi tales dederint pœnas, nos, qui graviora his perpetramus, effugiemus? Nam si tunc illi plexi sunt, cur nos jam non plectimur? An non cæco manifestum est, ideo sic agi, ut sæpe dixi, quod nobis supplicium in futurum reservetur? Ibidem.

XXIV.

Veritas futuri judicii, & gehennæ ex communi nationum sensu demonstratur.

Ad hæc vero consideranda sunt, ea, quæ nunc in hoc mundo geruntur, & gehennæ fidem non negabimus. Nam si justus est Deus, nec personas accipit, ut certe verum est, cur hic alii

non

non plexi moriuntur? Quot sepulchrorum effossores pœnam vitarunt? quot fures? quot avari? quot raptores? Si ergo gehenna non esset, ubinam illi pœnas dabunt? Num contradicentibus persuademus, quæ de illa narrantur, non esse fabulam? Ita enim vera sunt, ut non nos tantum, sed etiam Poëtæ, Philosophi, & fabularum Scriptores de futura pro merito sorte philosophati sint, & improbos inferno cruciari dixerint. Nam etiamsi hæc vere, ut sunt, enarrare non potuerunt, utpote qui ex ratiocinio tantum, exque nostra doctrina male accepta ad id permoti fuerint, attamen illi imaginem quamdam judicii adepti fuerant. Cocytos enim memorant, Pyriphlegethontas fluvios, & stygis aquam, & Tartarum tantum a terra distantem, quantum ipsa a cœlo, multos quoque alios ultionis modos: rursumque Elysium campum, & fortunatorum insulas, prata florida, fragrantiam multam, auram tenuem, & choros illic versantes, albo indutos amictu, quasdam modulantes cantilenas: in summa; bonis, & malis, post exitum ex hac vita paratam sortem promeritam. Ne itaque gehennæ fidem negemus, ne in illam incidamus: nam qui non credit, segnior efficitur; qui segnis est, in illam procul dubio ibit. Immo credamus sine dubitatione, deque illa frequenter colloquamur, & non facile peccabimus. Hujusmodi namque sermonum commemoratio, quasi acerbum quoddam remedium, nequitiam omnem abstergere poterit, si nostris perpetuo animis insideat. Hoc itaque remedio utamur, ut probe expurgati, digni simus, qui Deum videamus, ut ab omnibus videri potest, & futuris fruamur bonis; gratia, & beni-

benignitate Domini nostri Jesu Christi. Ipsi gloria in saecula saeculorum, Amen. Tom. 6. hom. de perfect. Charit.

XXV.

Judicium futurum semper cogitandum, & timendum.

Pater meus, non *judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, uti honorificant Patrem.* (p) Multa nobis opus est in omnibus diligentia, dilecti; accuratam quippe rationem dabimus, & verborum, & operum. Res enim nostrae non sunt vitae limitibus circumscriptae, sed alia nos exceptura est conditio vitae, tremendoque judicio sistemur. *Omnes enim nos;* inquit Paulus, *manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* (q) Hoc tribunal semper cogitemus, & sic semper virtuti incumbere poterimus. Nam sicut is, qui illam diem ab animo ejicit, quasi equus excusso fraeno in praecipitia ruit: *Inquinatae* enim *sunt*, inquit, *viae illius omni tempore;* & causam afferens, ait: *auferuntur judicia tua a facie ejus;* (r) ita qui semper hoc timore tenetur, temperanter incedet: nam *memorare,* inquit, *novissima tua, & in aeternum non peccabis.* (s) Qui enim nunc dimittit nobis peccata, is tunc judex sedebit; qui mortuus est pro nobis; hic universam naturam judicans apparebit. Quam ob rem hoc loco dicit:

(p) Joan. 5, 22. & 23. (q) 2. Cor. 10.
(r) Psal. 10, 5. (s) Eccli. 7, 40.

cit: Pater meus non *judicat quemquam* &c. Cur ergo hæc frequentius versat, nempe judicium, vitam, resurrectionem? Quoniam hæc maxime sunt, quæ vel obstinatum auditorem flectere possunt. Qui enim credit, se resurrecturum esse, & scelerum pœnas daturum; etsi non aliud viderit signum, hoc accepto accurret haud dubie, ut propitium sibi judicem reddat. Tom. 8. hom. in Joann. 39. pag. 225.

XXVI.

A divite accepti, & expensi ratio Deo reddenda; immo etiam a paupere. — Etiam pauper eleemosynam dare potest.

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi. (t) Quod si dives sis, cogita, quod rationem dabis, utrum in meretrices, an in pauperes pecuniam insumpseris: utrum in parasitos, & assentatores, an in egentes: utrum in libidinem, an in humanitatem: utrum in delicias, prodigalitatem, ebrietatem, an in afflictorum subsidium. Non de expensis solummodo, sed & de acquisitionis modo rationem postulaberis: utrum justis laboribus, an rapinis, & avaritia pecuniam collegeris: utrum sit vera patrimonii hæreditas, an id coactum sit ex pupillorum eversis domibus, & spoliationibus viduarum. Quemadmodum nos non solum a servis nostris rationem elatæ pecuniæ, sed etiam illatæ exposcimus, excutientes unde unde pecunias, a quibus, & quomodo, & quantas acceperint: ita & Deus non solum expensi, sed

(t) 2. Cor. 5, 10.

ſed etiam accepti, & acquiſiti rationes poſtulat. Non ſolum vero dives, ſed & pauper rationes, vel ipſius paupertatis ſubit: an generoſo, & grato animo paupertatem tulerit, an non ægre tulerit, an non indignatus fuerit, an non incuſaverit Dei providentiam, cum videret alium in voluptatibus deliciantem, ſe autem in egeſtate verſari. Ut enim a divite eleemoſynæ, ita a paupere tolerantiæ requiritur ratio: immo non ſolum tolerantiæ, ſed etiam ipſius eleemoſynæ.

Non enim habet impedimentum ad eleemoſynam paupertas: teſtis eſt vidua, quæ duo minuta in gazophylacium dejecit, & eos, qui plurima dederant, magno intervallo ſuperavit, idque tam minuta oblatiuncula. (u) Tom. 3. hom. de decem mill. talent. debitore.

XXVII.

Ratio a Judicibus ſæcularibus, & Præſulibus eccleſiaſticis reddenda. — A Concionatoribus. — Ab Epiſcopis.

Non ſolum autem divites, & pauperes, ſed præſides, & judices cum multa diligentia examinantur, an non jus corruperint, an non ad gratiam, vel odium calculos in litibus deprompſerint, an non molliti adulatione, contra, quam par erat, ſententiam dederint, an non memores offenſarum eos vexaverint, qui nihil peccarent. Non ſolum autem ſæculares magiſtratus, ſed & illi, qui Eccleſiis præſunt, ſuæ præfecturæ rationes dabunt, & præcipue iſti ſunt, qui majo-

(u) Marc. 12, 42.

majores, acerbiores, & graviores pœnas sustinebunt.

Cui autem verbi administratio commissa est, diligenter ibi examinabitur, an non segnitie, aut invidia aliquid omiserit eorum, quæ dicenda erant, & ea per opera exhibuerit: an omnia explicuerit, nihilque ab illo occultatum sit, quod dictu operæ pretium erat.

Rursus, qui Episcopatum adeptus est, quanto ad majorem verticem ascendit, tanto majoribus obnoxius erit rationibus, non solum de doctrina, & pauperum patrocinio, sed etiam de examinatione ordinandorum, aliisque sexcentis. Et hæc declarans Paulus ad Timotheum scripsit: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis:* (x) & ad Hebræos scribens de iisdem præfectis, alia ratione eos terrefacit: *Obedite*, inquit, *præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* (y) Ibidem.

XXVIII.

Ratio etiam dictorum, & auditorum reddenda. — Turpiloquium summe nocivum.

Tum vero non factorum solum, sed & verborum rationes subibimus. Quemadmodum enim nos, cum pecunias servis concredimus, omnium reposcimus rationes, ita quoque Deus de verbis nobis concreditis requiret, quomodo illa expen-

(x) 1. Tim. 5, 22. (y) Hebr. 13, 17.

expenderimus. Repoſcimur enim, & examinamur perquam diligenter, num temere, num fruſtra ea inſumſerimus : non enim nummus temere expoſitus ita lædit, ut verba temere, & fruſtra elata, cum nihil opus erat.

Nummus enim fruſtra inſumptus, pecuniæ aliquando damnum affert, ſermo aut imprudenter enunciatus, integras domos evertit, & animam perdit : pecuniarum quidem damnum reſarcire licet, verbum vero, quod exſilierit ſemel, revocare non licet. Cæterum ut diſcas, nos verborum pœnas luituros eſſe, audi, quid Chriſtus dicat : *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii ; ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* (z)

Non ſolum autem dictorum rationem reddemus, ſed etiam auditorum quoque, veluti ſi admiſeris falſam criminationem, contra fratrem calumnioſe inſtitutam : *Non ſuſcipies*, inquit Scriptura, *vocem mendacii :* (a) quod ſi illi, qui recipiunt vocem mendacii, veniam non habent, qui calumniantur, & criminantur, quamnam habebunt excuſationem ? Ibidem.

XXIX.

Cogitationum quoque ratio reddenda. — Aſpectus mulierum. — Confeſſio diſtincta peccatorum.

At quid dico de verbis, & auditu, ubi etiam cogitationum pœnas ſuſtinebimus ? & hoc ipſum

(z) Matth. 12, 26. (a) Exod. 23, 1.

ipsum Paulus declarans dixit : *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus : qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium:* (b) ille quoque psalmorum cantor ait : *cogitatio hominis confitebitur tibi.* (c) Veluti si cum dolo, & mala mente fratrem alloquaris: si ore illum, & lingua celebres, mente autem male cogites, eique invideas. Illud enim ipsum Christus subindicans, nos non solum factorum, sed & cogitationum pœnam luere dixit : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.* (d)

Atqui non erupit in opus ipsum peccatum, sed hactenus in solo animo consistit : verum ne ita quidem inculpatus manere potest, qui ideo contemplatur, formas mulierum, ut incendat fornicationis concupiscentiam. Cum igitur audiveris eum cum servis suis rationem conferre, ne mihi negligenter prætereas illam dictionem; sed hoc intellige de omni ordine, omni ætate, utroque sexu, & virorum, & fœminarum.

Cogita, quale illud judicium sit, revolve perpetuo tua peccata : nam etsi ipse oblitus fueris tuorum delictorum, Deus nunquam obliviscetur, & omnia ante oculos constituet, nisi jam mature ea extinxerimus per pœnitentiam, & confessionem, & per oblivionem offensarum. Qua vero de causa rationem repetit? non quidem ut inscius, quomodo enim inscius, cui omnia cognita sunt, antequam fiant? sed ut tibi servo

 per-

(b) 1. Cor. 4, 5. (c) Psal. 75, 11.
(d) Matth. 5, 28.

ſed etiam accepti, & acquiſiti rationes poſtulat. Non ſolum vero dives, ſed & pauper rationes, vel ipſius paupertatis ſubit: an generoſo, & grato animo paupertatem tulerit, an non ægre tulerit, an non indignatus fuerit, an non incuſaverit Dei providentiam, cum videret alium in voluptatibus deliciantem, ſe autem in egeſtate verſari. Ut enim a divite eleemoſynæ, ita a paupere tolerantiæ requiritur ratio: immo non ſolum tolerantiæ, ſed etiam ipſius eleemoſynæ.

Non enim habet impedimentum ad eleemoſynam paupertas: teſtis eſt vidua, quæ duo minuta in gazophylacium dejecit, & eos, qui plurima dederant, magno intervallo ſuperavit, idque tam minuta oblatiuncula. (*u*) Tom. 3. hom. de decem mill. talent. debitore.

XXVII.

Ratio a Judicibus ſæcularibus, & Præſulibus eccleſiaſticis reddenda. — A Concionatoribus. — Ab Epiſcopis.

Non ſolum autem divites, & pauperes, ſed præſides, & judices cum multa diligentia examinantur, an non jus corruperint, an non ad gratiam, vel odium calculos in litibus depromſerint, an non molliti adulatione, contra, quam par erat, ſententiam dederint, an non memores offenſarum eos vexaverint, qui nihil peccarent. Non ſolum autem ſæculares magiſtratus, ſed & illi, qui Eccleſiis præſunt, ſuæ præfecturæ rationes dabunt, & præcipue iſti ſunt, qui majo-

(*u*) Marc. 12, 42.

majores, acerbiores, & graviores pœnas sustinebunt.

Cui autem verbi administratio commissa est, diligenter ibi examinabitur, an non segnitie, aut invidia aliquid omiserit eorum, quæ dicenda erant, & ea per opera exhibuerit: an omnia explicuerit, nihilque ab illo occultatum sit, quod dictu operæ pretium erat.

Rursus, qui Episcopatum adeptus est, quanto ad majorem verticem ascendit, tanto majoribus obnoxius erit rationibus, non solum de doctrina, & pauperum patrocinio, sed etiam de examinatione ordinandorum, aliisque sexcentis. Et hæc declarans Paulus ad Timotheum scripsit: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*: (x) & ad Hebræos scribens de iisdem præfectis, alia ratione eos terrefacit: *Obedite*, inquit, *præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* (y) Ibidem.

XXVIII.

Ratio etiam dictorum, & auditorum reddenda. — Turpiloquium summe nocivum.

Tum vero non factorum solum, sed & verborum rationes subibimus. Quemadmodum enim nos, cum pecunias servis concredimus, omnium reposcimus rationes, ita quoque Deus de verbis nobis concreditis requiret, quomodo illa

T 2 expen-

(x) 1. Tim. 5, 22. (y) Hebr. 13, 17.

expenderimus. Reposcimur enim, & examinamur perquam diligenter, num temere, num frustra ea insumserimus: non enim nummus temere expositus ita lædit, ut verba temere, & frustra elata, cum nihil opus erat.

Nummus enim frustra insumptus, pecuniæ aliquando damnum affert, sermo aut imprudenter enunciatus, integras domos evertit, & animam perdit: pecuniarum quidem damnum resarcire licet, verbum vero, quod exsilierit semel, revocare non licet. Cæterum ut discas, nos verborum pœnas luituros esse, audi, quid Christus dicat: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii; ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* (z)

Non solum autem dictorum rationem reddemus, sed etiam auditorum quoque, veluti si admiseris falsam criminationem, contra fratrem calumniose institutam: *Non suscipies*, inquit Scriptura, *vocem mendacii:* (a) quod si illi, qui recipiunt vocem mendacii, veniam non habent, qui calumniantur, & criminantur, quamnam habebunt excusationem? Ibidem.

XXIX.

Cogitationum quoque ratio reddenda. — Aspectus mulierum. — Confessio distincta peccatorum.

At quid dico de verbis, & auditu, ubi etiam cogitationum pœnas sustinebimus? & hoc ipsum

(z) Matth. 12, 26. (a) Exod. 23, 1.

ipsum Paulus declarans dixit : *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus : qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium:* (b) ille quoque psalmorum cantor ait : *cogitatio hominis confitebitur tibi.* (c) Veluti si cum dolo, & mala mente fratrem alloquaris : si ore illum, & lingua celebres, mente autem male cogites, eique invideas. Illud enim ipsum Christus subindicans, nos non solum factorum, sed & cogitationum pœnam luere dixit : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.* (d)

Atqui non erupit in opus ipsum peccatum, sed hactenus in solo animo consistit : verum ne ita quidem inculpatus manere potest, qui ideo contemplatur, formas mulierum, ut incendat fornicationis concupiscentiam. Cum igitur audiveris eum cum servis suis rationem conferre, ne mihi negligenter prætereas illam dictionem; sed hoc intellige de omni ordine, omni ætate, utroque sexu, & virorum, & fœminarum.

Cogita, quale illud judicium sit, revolve perpetuo tua peccata : nam etsi ipse oblitus fueris tuorum delictorum, Deus nunquam obliviscetur, & omnia ante oculos constituet, nisi jam mature ea extinxerimus per pœnitentiam, & confessionem, & per oblivionem offensarum. Qua vero de causa rationem repetit? non quidem ut inscius, quomodo enim inscius, cui omnia cognita sunt, antequam fiant ? sed ut tibi servo

T 3 per-

(b) 1. Cor. 4, 5. (c) Psal. 75, 11.
(d) Matth. 5, 28.

persuadeat, jure te debere quodcunque debes; immo potius, ut non solum discas, sed ut abstergas: quandoquidem & Prophetæ ea de causa mandavit peccata Judæorum enarrare. *Clama*, inquit, *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum*: non ut audiant solum, sed ut corrigantur. Ibidem.

XXX.

Qui majore imbutus fuit doctrina &c. majori supplicio dignus erit. — Stabit homo solus cum operibus suis.

Qui majore imbutus fuerit doctrina, majori supplicio dignus erit, si inique agat. Itaque quanto prudentiores, potentioresque sumus, tanto magis puniemur, si peccemus. Etenim si dives es, plures a te exigentur pecuniæ, quam a paupere; si prudentior, major obedientia: si potentia valeas, illustriora opera. In aliis omnibus pari ratione pro virili, & pro modulo conferes. *Tom. 9. hom. 5. in Epist. ad Hom.*

Quid tum dices, quæso, cum supplicia intolerabilia, cum cruciatus illi aderunt, cum minæ, & terribiles potestates, cum fluvius ignis cum strepitu fervebit, cum tribunal illud terribile, cum judicium incorruptum, cum natura illa, quæ principio caret, cum humanarum rerum cessatio, cum neque pater, neque mater, neque vicinus, neque rex, neque viator, neque hospes te juvare poterunt? Sed stabit solus homo cum operibus suis, quorum causa vel damnabi-

nabitur, vel coronabitur. Quid tum dices? Tom. 5. Exposit. in Psal. 48. pag. 514.

XXXI.

Ninivitæ exurgent, & condemnabunt ad pœnitentiam segnes Christianos.

Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quia pœnitêntiam egerunt in prædicatione Jonæ: & ecce plusquam Jonas hic: quasi diceret, barbari, quorum nulla cura est habita, qui Prophetarum doctrinam non audierunt, qui signa non viderunt, qui miracula non spectarunt: sed auditis tantum unius hominis in naufragio servati verbis, quæ eos, magnam desperationem afferendo, consilii inopes facere poterant, ita ut etiam contemnerent, quæ docebantur: non solum, non despexerunt Prophetæ verba, sed & in trium dierum angustia deprehensi, tam diligentem, & studiosam fecere pœnitentiam, ut & sententiam Domini revocarent. Hi igitur, inquit, condemnabunt generationem hanc, circa quam tanta cura fuit adhibita, quæ Prophetarum libris enutrita est, quæ signa, & miracula quotidie spectavit. Tom. 4. hom. 25. in cap. 7. Genes. pag. 231.

SEPTEMBER.

DE JUDICIO UNIVERSALI. ANTE JUDICIUM POENITENTIA AGENDA.

I.

Impœnitentia pejor peccato.

Non dolere de peccato magis ad indignationem, & iram Deum provocat, quam ipsum peccatum. Quapropter in ipsam terram sese detrudere oporteret, nec solem aspicere, vel respirare, quando tam placabilem Dominum habentes, illum irritamus, & irritantes pœnitentiam non agimus: etiamsi ille neque cum iratus est, nos odio habeat, vel aversetur; sed iratus sit, ut nos vel sic ad se pertrahat. Nam si vel contumelia affectus perpetuo beneficia conferret, ipsum magis despiceres. Ne autem id eveniat, ad tempus avertit faciem, ut te semper secum habeat. Ejus itaque benignitati fidamus, & pœnitentiam sollicite exhibeamus, priusquam dies ille veniat, in quo nihil, nihil nobis pœnitentia proderit. Nunc enim in nobis tota res sita est; tunc vero judex solus erit judicii, & calculi ferendi Dominus. *Præoccupemus igitur faciem ejus in confessione,* (g) fleamus, lugeamus. Si enim poterimus ante definitam illam

(g) Psal. 94, 2.

lam diem placare judicem, ut nobis peccata remittat, non ultra introitu nobis opus erit: ut e converso, si non hoc ita fiat, toto orbe praesente, quisque nostrum ad tribunal adducetur, & nulla nobis ultra spes veniae superest. Nullus enim eorum, qui adsunt, qui peccata sua non abluerit, cum illuc advenerit, poterit poenas iis debitas effugere. Sed quemadmodum, illi qui ex carceribus his ad tribunal catenis onusti adducuntur; sic & animae omnes, cum hic abierint, variis peccatorum suorum constrictae catenis, ad terribile illud tribunal adducentur. Tom. 7. hom. in Matth. 15. pag. 183.

II.

Suspicatur S. Chrysostomus, finem mundi adventare. — Etsi communis ille consummationis dies adhuc longe absit; quilibet tamen ad mortem semper paratus sit oportet.

Ad fores res ipsae sunt, nec scimus, num forte in hac generatione omnia nostra finem habitura sint, & dies ille tremendus sit adventurus, horrendum illud, & nullam personarum acceptionem habens tribunal ostensurus. Nam pleraque signa jam perfecta sunt, ac demum Evangelium per totum orbem praedicatum fuit, ac bella, terrae motus, & fames evenerunt, nec magnum jam intervallum est. Sed signa non vides? Et hoc ipsum magnum signum est. Neque enim, qui Noe tempore erant, prooemia generalis interitus viderunt; sed interim ludentes, edentes, uxores ducentes, consuetaque omnia agentes, sic a terribili illa ultione deprehensi

 sunt.

funt. Similiter in Sodomis deliciis operam dantes, nihilque eorum, quæ postea facta sunt, suspicantes, ab immissis fulminibus combusti sunt. Quæ omnia cogitantes, ad profectionem hinc parandam nos convertamus.

Etiamsi enim communis ille consummationis non instet dies; uniuscujusque tamen finis in januis est, sive senex, sive juvenis sit: neque tunc oleum emere licebit, neque petentes impetrare veniam, etsi Abraham precetur, etsi Noë, etsi Job, etsi Daniel. Donec igitur tempus habemus, multam nobis paremus fiduciam, oleum nobis copiosum comparemus, omnia transferamus in cœlum, ut in opportuno tempore, quo maxime his egemus, omnibus fruamur. Tom. 7. hom. 20. in Matth. pag. 267.

III.

Ante Judicium nosmetipsos judicemus. — *Compunctio, seu contritio vera debet esse universalis respectu peccatorum mortalium.*

Terribile illud judicium est, & inevitabile supplicium, intolerabilesque pœnæ. Quod si nolis hic pœnas dare, de te ipso judica, a te ipso rationes expete. Audi Paulum dicentem: *Quoniam si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur.* (h) Si id feceris, paulatim progrediens, ad coronam venies. Et quomodo, inquies, de nobis judicabimus, & a nobis rationes expetemus? Luge, acerbe ingemisce, te ipsum humilia, & afflige, recordare peccatorum tuorum

(h) 1. Cor. 11, 31.

rum speciatim. Non parvus est hic cruciatus animi. Si quis in compunctione fuit; novit animum hac maxime ratione cruciari. Si quis peccata in memoriam revocavit, novit dolorem, qui inde concipitur. Quapropter hujusmodi pœnitentiæ Deus justitiam in præmium constituit, dicens: *Dic tu prior peccata tua, ut justificeris.* (i) (*) Non enim est, non est utique parva ad emendationem ratio, si peccata omnia secundum speciem collecta in animo verses, & volvas.

Nam qui hoc facit, ita compungetur, ut ne vita quidem se dignum existimet. Qui autem hoc existimat, cera mollior evadet. Ne mihi solum dixeris fornicationes, vel adulteria, & similia, neque alia, quæ gravia esse apud omnes in confesso est; verum etiam latentes insidias, calumnias, maledicta, vanam gloriam, invidiam, cæteraque omnia collige. Hæc quippe non parvo supplicio plectentur: nam convitiator in gehennam incidet, ebriosusque nihil commune habet cum regno, & qui non amat proximum, sic offendit Deum, ut neque martyrio juvetur. Et qui propinguos negligit, fidem negat, & qui pauperes despicit, in ignem mittitur. Ne parva ergo illa putes, sed omnia collige, & quasi in libro scribe. Nam si tu scripseris, Deus delebit; contra si tu non scripseris, Deus illa describet, pœnasque repetet. Longe porro melius est, ut & hæc a nobis scribantur, & in cœlis deleantur, quam si nobis occultantibus Deus in illo die ante

(i) Isai. 43, 26.

(*) Vulgat. *Narra, si quid habes, ut justificeris.*

te oculos noſtros ea deferat. Ne igitur hoc accidat, accurate omnia colligamus, & nos multorum reos deprehendemus. Ibidem hom. in Matth. 41. pag. 449.

IV.

Quomodo nosmetipſos judicemus.

Quis ab avaritia mundus eſt? Ne mihi enim dixeris te mediocriter avarum eſſe: nam pro modico etiam pœnas dabimus. Hæc cogita, & age pœnitentiam. Quis non reus illatæ contumeliæ? & hoc etiam in gehennam conjicit. Quis non occulte de proximo male dixit? & hoc etiam a regno excludit. Quis ſuperbia non intumuit? hic vero omnium immundiſſimus eſt. Quis non impudicis oculis aſpexit? hic porro mœchus omnino eſt. Quis non ſine cauſa fratri ſuo iratus eſt? hic vero reus eſt concilio. Quis non juravit? hoc autem malum eſt. Quis non pejeravit? hoc vero plusquam malum eſt. Quis non ſervivit Mammonæ? hic vero a ſincera Chriſti ſervitute excidit. Alia his majora proferre poſſem. Sed hæc ſatis ſunt, & poſſent ad compunctionem deducere, niſi quis lapideus ſit, & omni prorſus ſenſu careat. Si enim eorum ſingula in gehennam conjiciunt, quid non facient omnia ſimul conjuncta? Quomodo igitur, inquies, ſalutem conſequi poſſumus? Si oppoſita his remedia adhibeamus, eleemoſynam, preces, compunctionem, pœnitentiam, humilitatem, cor contritum, rerum præſentium contemptum. Sexcentas enim ſalutis vias Deus aperuit, ſi attendere velimus. Animum adhibeamus

mus ergo, & per hæc omnia curemus vulnera, eleemosynam erogantes, iram in eos, qui nos læserunt, reprimentes, pro omnibus Deo gratias agentes, pro viribus jejunantes, sincero corde precantes, amicos nobis facientes ex Mammona iniquitatis. Sic enim poterimus, & veniam peccatorum, & promissa consequi bona, queis utinam nos omnes dignemur, gratia, & benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria, & imperium in sæcula sæculorum, Amen. Tom. 7. hom. in Matth. 41. pag. f. 449.

V.

Quando nosmetipsos judicemus. — Cura minimorum. — Ante somnum omnia sæcularia e mente ejicienda.

Quemadmodum judices pone velum sedentes judicant; sic & tu pro velo tempus, & locum quietis quære. Cum post cœnam surgis, & lectum petiturus es, hoc judicium ineas: hoc tempus idoneum est: locus vero lectus est, & thalamus. Illud & Propheta jussit dicens: *quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* (k)

Parvarum etiam rerum magnas rationes exige, ne unquam ad magnas res accedas. Si hoc quotidie feceris, cum fiducia stabis ante tribunal illud terribile. Sic Paulus purus effectus est; ideo dicebat: *Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur.* (l) Sic Job filios suos purgabat. Nam qui pro occultis sacrificia offerebat, multo magis

(k) Psal. 4, 5. (l) 1. Cor. 11, 31.

magis pro manifeftis rationes expetebat. At nos non ita facimus; fed omnino fecus.

Simul enim atque decumbimus, fæcularia omnia in mente verfamus; & alii quidem impuras cogitationes introducunt; alii fœnora, pacta, & curas fluxas. Cum filiam virginem habemus, eam accurate fervamus: animam vero nobis filia pretiofiorem, finimus fornicari, & pollui, multas illi malas cogitationes immittentes: ac five avaritiæ amor, five deliciarum, five formoforum corporum, five iræ, five alius quivis amor intrare voluerit, apertis januis illum excipimus, & advocamus, & libere cum illa mifceri finimus. Quo quid magis barbarum, omnium pretiofiffimam animam tot mœchis fœdatam negligere, & tamdiu coeuntem, donec illi exfatiati fuerint? id quod tamen nunquam erit.

Idcirco ubi fomnus invadit, tunc tantum abfcedunt; immo ne tunc quidem: nam fomnia eadem ipfi fimulacra offerunt. Quapropter illucefcente die, quæ illa imaginata eft anima, in opus fæpe illarum imaginum ope deducta eft. Tu vero in pupillam oculi ne minimum quidem pulveris ingredi finis, animam vero tantam malorum congeriem contrahere negligenter pateris? Quandonam igitur fordes illas, quas quotidie ingerimus, prorfus deponere poterimus? . . . . an non vides, quam vilis, quam incerta fit hæc vita. Tom. 7. hom. in Matth. 43.

VI. *Ju-*

VI.

Judicis ira ante judicii tempus per eleemosynam placanda. — Eleemosyna Deum placat.

Bona eſt triſtitia vere pœnitentibus; convenit peccantibus luctus pro peccato: *Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur:* (*m*) Luge peccatum, ut non lugeas ſupplicium: purga te apud judicem, antequam ad tribunal venias. An ignoras, quot quot judicem mitigare volunt, eos non in ipſo examine cauſæ, ſed antequam in judicium ingrediantur, ipſum ſibi benevolum parare, ſive per amicos, ſive per patronos, ſive alio quovis modo? Igitur & apud Deum judicii tempore non eſt, quod judicem flectas: ſed ante judicii tempus poteſt judex mitigari. Quemadmodum dicebat David: *Prœoccupemus faciem ejus in confeſſione.* (*n*) Illic magnum judicem non circumvenit ars rhetorum, non potentia flectit; dignitati non ille morem gerit, perſonam non veretur, pecuniis non corrumpitur: ſed tremendum, & implacabile eſt juſtum judicium.

Hic itaque judicem exoremus, & placemus, huic omni robore ſupplicemus: non pecuniis, immo ut verius dicam, pecuniis placatur benignus ille, non ipſe recipiens, ſed per pauperes. Da inopi pecuniam, & judicem placaſti. Hæc autem dico vobis quaſi familiaribus; quia pœnitentia ſine eleemoſyna mortua eſt, alisque caret: nequit pœnitentia volare, ſine ala eleemoſynæ, ideo probe pœnitenti Cornelio ala ad pietatem

---

(*m*) Matth. 5, 5. (*n*) Pſal. 94, 2.

tatem fuit eleemosyna: *Eleemosynæ tuæ*, inquit, *ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*: (*o*) ita ut si non habuisset alam eleemosynæ ejus pœnitentia, nequaquam in cœlum pervenisset. Tom. 2. hom. 7. de Pœnit.

VII.

Divites, & avari in illa terribili die judicem corrumpere, aut decipere non poterunt.

O pecuniarum tyrannis, quæ multos fratrum nostrorum ab hoc ovili (*) amovet! nihil enim aliud eos hinc amovet, quam gravis ille morbus, & nunquam extincta fornax. Hæc domina, plusquam barbara, quavis bellua ferocior, & ipsis dæmonibus acrior, captivos suos assumens, illos nunc per forum circumfert, gravia dans præcepta, nec sinit eos vel tantillum respirare a perniciosis laboribus. Sed quid facient, cum dies ille terribilis adveniet, judicium incorruptum, & judex, qui decipi non potest; cum vela cœlorum trahentur, & Angelorum populus cum judice descendet: cum omnia nuda, & aperta erunt. Neque enim tunc rhetorum eloquentia, nec vis pecuniæ, neque aliud quidvis justitiam corrumpere poterit. Ille enim incorruptus judex, qui omnia clare novit, ipsa peccata ante oculos statuet, quasi in imagine descripta. Tunc nec rex, nec idiota comparent; non pauper, non dives; non sapiens, non indoctus: sed illæ omnes larvæ aufferuntur; atque gesto-

(*o*) Act. 10, 4.

(*) Sc. ab Ecclesia, & concionum auditione.

gestorum conspectu omnes ibi visuntur. Non ibi conspicitur diademate cinctu, non purpura amictus, non curru vectus, qui mille lictores habeat, in foro turbas arcentes. Sed isthæc omnia sublata sunt, & nudi singuli inducentur, ex gestis aut perniciei, aut salutis causam habentes; ut enim singula gesta exhibentur, sic calculus fertur. Tom. 12. hom. 11. inter hactenus non edit. pag. 348. n. 1.

VIII.

Judicium non est contra Bonitatem Dei; immo Deus bonus non esset, nec vita humana stare posset, si futurum non esset judicium. — Quia bonus est Deus, ideo gehennam præparavit.

Quærebatur, quomodo bonus Deus sit, quomodo clemens, si supplicio plectat; & respondit quidam Marcionista, si peccatorum rationem non expeteret, id bonitatis fore: si expetat, id jam bonitatis non esse. Verum ille jam non adest. Age vero, quæ tunc diximus, nunc referamus, & illis plura. Ego enim ex abundanti ostendam, illum, nisi rationem expetat, non esse bonum, & quia expetit, ideo bonum esse. Dic enim mihi, nisi rationem a nobis expeteret, num humana vita stare posset? Si enim imminentibus timore, pœnis, & tribunalibus, alter alterum devorantes, pisces ipsos superavimus, & leones, atque lupos transgressi sumus, aliena rapientes; nisi rationes ille exposceret, & id persuasum haberemus, quantis turbis impleretur vita humana? Quis labyrinthus

in fabula allatus, cum perverſo mundi ordine comparari poſſet? An non videres mille abſurditates, & iniquitates? Quis patrem jam veremetur? quis matri parceret? quis omne voluptatis, omne vitii genus omitteret? Et quod res ita ſe habeat, ab una tantum domo tibi perſuadere conabor. Quomodo? ſi ſervis alicujus veſtrum, qui hæc interrogatis, declarem, & ſuadeam, quod etiamſi dominationem excutiant, & corpora dominorum contumeliis impetant, omnia aufferant, & ſus deque vertant, & inimicorum inſtar agant, non minæ intentabuntur, non punientur, nec ſupplicio tradentur, nec verba quidem moleſta audient; an hoc bonitatis eſſet? At ego oſtendam id extremæ immanitatis eſſe; non modo quod per hanc importunam benignitatem, & uxor, & filii prodantur, ſed etiam quod & illi ipſi ante hos perituri ſint. Etenim ebrioſi, impudici, laſcivi, contumelioſi, & feris omnibus irrationabiliores erunt. An hoc, quæſo, bonitatis eſt, nobilitatem animæ conculcare, & ſeipſos mutuo perdere? Viden' quod rationes expetere, id ſit benignitatis multæ opus? Et quid ſervos dico, qui ad ejusmodi ſcelera promptius accedunt? Si quis filios habeat, omniaque illis permittat, neque caſtiget: quo non mancipio pejores illi erunt? Ergo in hominibus caſtigare, & punire bonitatis fuerit, non punire autem crudelitatis; apud Deum vero non item? * .

Itaque quia bonus eſt, ideo gehennam præparavit. Tom. 11. hom. 3. in epiſt. ad Philemon. n. 3. p. 789.

IX. *Alia*

IX.

Alia Dei bonitas ex eodem judicio.

Vultis aliam quoque Dei bonitatem ostendam? Neque hoc solum, sed & quod non sinat bonos fieri malos. Nam si eadem ipsa consecuturi essent, omnes mali fierent. Nunc autem hos bonos non parum consolatur. Audi namque Prophetam dicentem: *lætabitur justus, cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Non gaudens, absit, sed timens, ne eadem ipsa patiatur, vitam suam puriorem reddet. Multæ ergo providentiæ illud fuerit. Etiam, inquies; sed comminari solum oportebat, non supplicium inferre. Si, cum ille puniat, tu dicis, id comminationem tantum esse, ideoque negligentior efficeris; si vere comminatio tantum esset, an non magis supinus evaderes? Ninivitæ, si scivissent comminationem esse tantum, pœnitentiam non egissent: quia vero pœnitentiam egerunt, minas in verbis tantum sisti curavere. Vis tu tantum comminationem esse? In tua potestate id situm est. Melior evade, & comminatio sistitur. Si vero, quod absit, minas spreveris, in experimentum venies. Qui diluvii tempore erant, si minas timuissent, rem non experturi erant. Et nos, si minas timeamus, experimentum non habebimus; quod utinam non habeamus. Sed concedat nobis benignus Deus, ut omnes hic ad sanam mentem reducti ineffabilia illa consequamur bona, queis utinam omnes dignemur gratia, & benignitate Domini nostri Jesu Christi. Tom. II. hom. 3. in epist. ad Philemon. n. 3.

X.

Pœna maxima damnatorum, si post judicium viderint alios ingredi in regnum cælorum.

O quantum ingemiſces, cum tunc audieris, eos, qui bona egerunt, vocari in regnum, & honore affici? Quando videris ex ſervis, & humili loco natis eos, qui parum hic laborarunt, throni regii eſſe participes? An non ea erunt tibi pejora punitione? Nam ſi nunc quosdam videns proſpere agentes, etiamſi nihil mali patiaris, hoc omni ſupplicio gravius putas, diſcruciaris, teipſum luges, & lachrymaris, & te mortibus mille dignum eſſe cenſes, quid tunc patieris? nam ſi non eſſet gehenna, ipſa de regno cogitatio an non ſufficeret ad perdendum, & ad offerendum interitum? Quod autem res ita ſit ſe habitura, ſatis diſci poteſt, ex rerum experientia. Ne nos ergo temere oblectemur &c. Tom. 11. hom. 4. in epiſt. ad Theſſal. cap. 2. num. 4. in fine.

XI.

In judicio peccata, quæ nunc reticentur, manifeſta erunt omnibus.

Quam multa bona oriuntur ex memoria peccatorum! hæc ergo noſtris animis inſcribamus. Scio, quod memoriam tam acerbam non patitur anima: ſed eam cogamus, & vim ei afferamus. Melius eſt, ut nunc peccatorum mordeatur memoria, quam cruciatu, qui futurus eſt in illo tempore. Nunc ſi eorum memineris, & ea aſſidue Deo offeras, & pro eis roges, ci-

to

to ea delebis. Sin autem nunc eorum sis oblitus, tunc vel invitus eorum recordaberis, cum in medium proferentur, & tanquam in pompam producentur coram omnibus, & amicis, & inimicis, & Angelis. Non enim soli dicebat Davidi: *Tu . . fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis:* (p) sed etiam nobis omnibus. Homines, inquit, timuisti, & eos magis reveritus es, quam Deum: & Deo vidente non curasti, sed videntibus hominibus pudore es affectus. Oculus enim, inquit, hominum est eorum timor. Propterea eo ipso dabis pœnas: te enim arguam, tua peccata oculis omnium subjiciens. Nam quod hoc sit verum, & illo die omnium nostrum peccata tanquam in pompam producantur, nisi nunc ea assidua recordatione deleamus, audi quomodo in pompam producitur crudelitas, & inhumanitas eorum, qui hic non miserti sunt. *Esurivi,* inquit, *& non dedistis mihi manducare.* (q) Quandonam hæc dicuntur? Nunquid in angulo? nunquid in occulto? Nequaquam. Sed quando? Quando venerit filius hominis in gloria sua, & congregaverit omnes gentes, quando hos, & illos separaverit, tunc omnibus audientibus dicet, & statuet a dextris, & a sinistris: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare. . .* Simul enim erit omnium resurrectio, peccatorum, & justorum. Simul aderit omnes judicans. Cogita ergo quales erunt, qui erunt in luctu, & in mœrore, aut qui trahentur in ignem, dum coronantur alii. *Venite*, inquit, *benedicti patris*

(p) 2. Reg. 12, 12. (q) Matth. 25, 42.

mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. (r) Et rursus: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Tom. 12. hom. 31. in epist. ad Hebr. cap. 12. n. 4.

XII.

Nemo in judicio sceleratos juvare poterit.

Discedite, inquit, *a me maledicti in ignem æternum &c.* Non solum verba audiamus, sed oculis etiam descripta subjiciamus, & existimemus eum nunc adesse, & hæc dicere, & nos in illum ignem abducere. Qualem tunc habebimus animam? qualem consolationem? Quid vero quando in duas partes dividemur? Quid vero quando de rapina accusabimur? quamnam poterimus afferre excusationem? quamnam probabilem, & specie non inhonestam orationem? Nullam. Sed necesse erit ut vincti, & deorsum incurvati trahamur ad ostia caminorum, ad fluvium ignis, in tenebras, ad supplicia immortalia, & neminem ad nos liberandum rogare poterimus. Non potest enim, inquit, non potest hinc illuc transiri, est enim inter nos, & illos magnum chaos: & nec volentibus licet transire, & manum præbere, sed necesse est perpetuo ardere, nemine nobis opem ferente, sive sit pater, sive mater, sive quilibet, etiamsi multam habeat ad Deum confidentiam. Ibidem.

XIII. *In*

(r) Ibid. v. 34.

XIII.

In Judicio nemo in alio spem salutis ponere potest, quam in seipso. — Contritio post patratum peccatum elicienda. — Eleemosynam quilibet dare potest, & debet.

Frater, inquit, *non redimit*, *redimet homo.* (s) Cum ergo non liceat in alio spem habere salutis, quam in seipso, post Dei benignitatem, & clementiam, rogo, omnia faciamus, ut vita sit nobis munda, recteque instituta, & nec ab initio ullam suscipiamus maculam.

Sin minus, post susceptam quidem maculam ne dormiamus, sed perseveremus semper sordes abluere per pœnitentiam, per lachrymas, per eleemosynam. Quid vero, inquit, si non habeam unde faciam, eleemosynam? Sed habes poculum aquæ frigidæ, quantumcunque sis pauper. Sed duo minuta habes: pedes habes, ut visites ægrotos, ut ingrediaris carcerem; sed tectum habes, ut excipias hospites.

Non est enim, non est venia iis, qui non faciunt eleemosynam, nec utuntur misericordia. Hæc nos vobis assidue dicimus, ut vel ex assiduitate parum quid efficiamus. Hæc dicimus, non tam eorum, quibus bene fit, quam vestri curam gerentes. Nam illis quidem ea, quæ hic sunt, datis: cælestia autem accipitis. Ibid.

(s) Psal. 48, 7.

XIV.

Regno cœlorum privari pœna maxima.

Intolerabilis res eſt gehenna, fateor, & valde quidem intolerabilis: attamen intolerabilius mihi videtur de regno decidiſſe. Cedo enim, ſi quis rex, vel regis filius domo profectus multis bellis egregie confectis, magnaque ſui admiratione commota, univerſo comitatus exercitu in civitatem aliquam ingrederetur cum vehiculo, cum trophæis, cum ſexcentis militum ordinibus auro onuſtorum, cum ſatellitibus omnibus aureos clypeos geſtantibus, univerſa autem civitas coronata eſſet, omnesque orbis principes cum ipſo, a tergo autem ipſum ſequeretur, omnis quoque ætas externarum nationum captiva, cum præfectis, ſatrapis, conſulibus, tyrannis, principibus: deinde in præclara illa pompa obviam ſibi prodeuntes cives amplexetur, oſculetur, manum porrigat, omnem det loquendi libertatem, atque in omnium conſpectu cum ipſis ut cum amicis colloquatur, totumque illud iter ipſorum ſibi cauſa ſuſceptum dicat, atque hos quidem in regiam ſuam perducat, alios vero derelinquat; quantum id omni ſupplicio majus eſt, etiam ſi illi ſupplicio non afficiantur? Quod ſi apud hominem adeo amarum eſt de gloria illa decidiſſe, multo magis apud Deum, cum ſuperæ poteſtates unacum rege adſunt, cum dæmones vincti, atque incurvi, diabolus ipſe manibus revinctis agitur, omneque adverſariorum robur; cum virtutes cœlorum, cum ipſe in nubibus advenit? Credite mihi, præ dolore, qui animum meum

meum ex hac narratione occupavit, orationem ad exitum perducere non possum. Cogitemus, quanta privemur gloria, cum in nobis situm sit non privari. Hoc enim est, quod maxime angit, hæc pati, cum in nostra potestate sit, ea non pati. . . . Studium igitur adhibeamus, quamdiu tempus est, nostramque salutem sollicite curemus. Tom. 11. hom. 13. ad Philipp. cap. 4.

XV.

Pœnitentia ante judicium nunc agenda.

Multum interest hic afflictari, & ibi. Nam hic quidem ad breve afflictaris tempus, potius autem ne sensum quidem afflictionis capis, exploratum habens, afflictari te, ut bene tibi sit. Ibi vero longe durior afflictio; nulla enim spe recreatur, neque exitum invenit, sed infinita, & perpetua est. Utinam vero hinc liberati requiem illam consequamur. Sed quoniam ne peccemus, cum assiduo studio, tum assiduis precibus opus est, studeamus, quæso, requiem illam consequi. Nam si studeamus, & precemur, consequemur. Si assidue precabimur, dabit Deus. Sin autem neque ab ipso petamus, nec quidquam ejusmodi præstemus, omninoque nihil agamus; qui fieri unquam potest, ut dormientes consequamur? plane non potest. Satis enim bene nobiscum agetur, si currentes, nosque ipsos extendentes, & conformes facti morti ejus, ut Paulus dicebat, consequi potuerimus; minime vero si dormiamus. *Si quo modo*, inquit, *occurram.* (t) Quod si Paulus dicebat,

(t) Philipp. 3, 11.

cebat, *si quo modo occurram*, quid nos dicemus? dormientibus enim neque mundana unquam negotia conficiuntur, nedum spiritualia. Dormientes ne ab amicis quidem quidquam accipiunt, nedum a Deo. Dormientes ne patres quidem in honore habent, nedum Deum. Paululum laboremus, ut in omne ævum requiescamus. Omnino ærumnis angamur necesse est: quod si hic minime angamur; id nos ibi manet. Cur non malumus hic vexari, ut ibi requiescamus? utinam vero nos omnes digne Christo vitam degentes, & conformes facti ipsius morti, bona illa, quæ oratio assequi non potest, consequamur. Ibidem.

XVI.

Cur Deus nobis non manifestavit tempus judicii futuri.

De temporibus autem, & momentis, fratres, non indigetis, ut scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. (u) . . . Multa quidem jam discere, & comprehendere contendit mens nostra, maxime autem tempus consummationis. Et quid mirum si nobis accidat? Nam, & ipsis illis sanctis Apostolis hoc omnium maxime accidit. Et ante Christi quidem perpessionem accedentes dicunt Christo: *Dic nobis quando hæc erunt? & quod est signum adventus tui, & consummationis sæculi?* . . . Sed non sic postea. Nam quando sancto Spiritu digni sunt habiti, ipsi non solum non interrogant, neque ægre ferunt ignorantiam,

(u) 1. Thessal. 5, 1. & 2.

tiam, sed eos etiam reprimunt, qui hac laborant intempestiva curiositate . . . . Quid enim, dic, quæso, hinc lucri accedat? Ponamus fore consummationem post viginti annos, post triginta, post centum; quid hoc ad nos? Nonne uniuscujusque consummatio est finis vitæ suæ? quid de communi fine curiose es sollicitus, & veluti parturis? Sed quod in aliis, in hoc quoque nobis accidit. Sicut enim in aliis, propriis dimissis, curamus communia, dicentes: Ille est scortator, hic est adulter, ille rapuit, alius fecit injuriam; rerum autem suarum nemo ullam habet rationem, sed omnia curat magis, quam sua: ita hic quoque mittentes unusquisque suum finem curare, volumus communem scire dissolutionem. Quid enim tibi est cum illa commune? Si te ad hunc finem recte præparaveris, ab illo fine tibi grave nihil accidet. Sit longe, sit prope hoc nihil ad nos. Si vultis autem scire, cur ipse sit occultus, & cur tanquam fur veniat in nocte, ego dicam, ut ipse recte se habere existimo. Nemo unquam per totam vitam curam gesserit, si dies ille sciretur, nec occultus esset; sed cum sciret extremum diem, nihil recusaret facere, & mille scelera patraret. Tom. 11. hom. 9. in epist. 1. Thessal. cap. 5.

XVII.

Judicium extremum brevi futurum putabat S. Chrysostomus.

Dixit Christus, cum prædicatum fuerit Evangelium omnibus gentibus, tunc finem esse ventu-

(x) Ibid. c. 5.

venturum. Ecce ad finem jam pervenimus. Fuit enim prædicatum majori parti orbis terræ. De cætero ergo instat finis. Horreamus, o dilecti! Quid vero, dic mihi? de fine tu es sollicitus? ipse quidem jam prope adest. Uniuscujusque autem vita, & mors est propinguior. *Dies* enim, inquit, *nostrorum annorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potentatibus, octoginta anni.* (y) Prope est dies judicii, timeamus, *Frater non redimit, redimet homo?* (z) Multum pœnitebit nos illic; sed in morte nullus confitebitur ipsi. Propterea dicit: *Præveniemus faciem ejus in confessione:* (a) hoc est ejus adventum. Nam hic quidem id, quod fecerimus, vim habet: illic autem nequaquam. Dic, quæso, si quis nos in ardenti ignis fornace parvo tempore statuerit, an non omnia sustinebimus pro liberatione, etiamsi pecunias oporteat profundere, etiamsi servitutem subire? quam multi in graves morbos lapsi, parati erant dare omnia ad valetudinem, si proponeretur eis optio? Si ergo morbus brevi durans tempore ita nos vexat, & molestia afficit, quid illic faciemus, quando nullus erit usus pœnitentiæ? Quam multis nunc pleni sumus malis, & non sentimus? alter alterum mordemus, alter alterum odimus, injuriam facientes, accusantes, calumniantes, proximorum gloriam ægre ferentes . . . Si vitam nostram componamus, si nos ipsos condemnemus, non multa forte peccata admittemus: multa autem bona, & præclara faciemus, si mites

(y) Psal. 89, 10. (z) Psal. 40, 7.
(a) Psal. 6, 6.

tes sumus, & modesti, & fruemur omnibus, quæ sunt promissa iis, qui Deum diligunt. Tom. 12. hom. 21. in epist. ad Hebr. cap. 11. p. 198. num. 3.

XVIII.

Judicium frequenter, in memoriam revocandum.

Si tibi sit lis apud Judicem, sæpe verbis tenus, non noctu, non interdiu, non aliquo temporis momento, non hora aliqua aliquid aliud loqueris, sed perpetuo de illa re; de tota autem vita tua rationem redditurus, & judicium subiturus, ne eos quidem toleras, qui hoc judicium tibi in mentem revocarit. Propterea ergo omnia perierunt, & sunt perdita, ac profligata, quod ad humanum tribunal sistendi, pro rebus, quæ ad hanc vitam pertinent, omnia moveamus; quemlibet rogemus, assidue de eo simus solliciti, omnia pro illa re agamus: ad Christi autem tribunal non multo post venturi, nihil nec per nos, nec per alios agamus. Judicem non rogamus, quamvis nobis longum det temporis spatium, & nos non rapiat in mediis peccatis: sed permittat, ut ea exuamus, & nihil non eorum, quæ ad ipsum pertinent, permittat illa bonitas, & benignitas. Sed nihil amplius efficitur; propterea majus est supplicium. Sed absit, ut ita fiat. Propterea rogo, ut nunc saltem resipiscamus: gehennam ante oculos habeamus, cogitemus illam inevitabiliter reddendam rationem: ut hæc reputantes, & vitium fugiamus, & virtutem eligamus, & possimus assequi bona promissa iis,

qui

qui ipsum diligunt. Tom. 11. hom. 2. in epist. 2. ad Thessal. cap. 1. pag. 521.

XIX.

Amissio regni cœlestis gravior æternis cruciatibus.

Multi sane sunt, qui absurdo judicio usi, a gehenna solum liberari peroptant; ego vero gehenna multo graviorem esse pœnam puto, non assecutum esse gloriam illam, indeque excidisse: nec opinor adeo lugendum esse de gehennæ malis, ut de ommisso cœlorum regno: hic enim est cruciatus omnium acerbissimus. Nunc certe cum Regem videmus frequenti cum satellitio regiam adeuntem: clientes ejus, sermonis, consilii, & gloriæ participes, beatos prædicamus, nosque miseros, etsi infinitis bonis abundemus, quorum sensum non percipimus, eorum gloriam intuentes; etiamsi compertum sit nobis, hunc splendorem fallacem esse, minimeque certum, tum ob bella, tum ob insidias, invidiamque, tum etiam, quod iis omnibus sepositis, ipse per se pro nihilo habendus sit: at ubi agitur de Rege universorum, qui non partem, sed gyrum totum terræ possidet, immo qui totam illam pugno complectitur, & palmo cœlos, qui portat omnia verbo virtutis suæ, cui omnes gentes, quasi nihil, & quasi saliva computantur, an non putabimus extremum esse supplicium, si in choro ipsi circumposito non constituamur? An sat nobis esse credemus, si gehennam effugerimus? Quid anima sic affecta miserius? Rex enim ille non in jugo alborum mulorum,

lorum, non aureo curru vectus, non purpura nec corona ornatus, non sic, inquam, judicaturus terram veniet. Quomodo igitur? . . . *Videbam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniens erat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & coram eo oblatus est. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna, quæ non aufferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur* . . . (b) Noune quavis gehenna acerbius, vel id solum quod a tantis excidissent bonis, abjectorum animas cruciaret? illud vero quantum sit malum, nunc quidem sermone declarari nequit; tunc vero ex re ipsa manifeste cognoscemus. Tom. I. in Adhort. ad Theod. lapsum.

XX.

Nunc splendorem regni cœlestis videre non valemus.

Nunc quemadmodum in utero infans, sic in hoc mundo angustiis conclusi degimus, nec possumus futuri sæculi splendorem, & libertatem contueri: at ubi partus tempus advenerit, omnesque homines, quos susceperat, hic mundus ad diem judicii protulerit; abortivi quidem e tenebris in tenebras ingredientur, & ex angustiis in angustias graviores: maturi autem fœtus, qui regiæ imaginis formam, & notas servarunt, Regi sistentur, illudque ministerium capessent, quod Angeli, & Archangeli universorum Deo perhibent. Ibid.

XXI. *Ju-*

(b) Daniel. 7, 13.

XXI.

Judicium futurum negans, etiam Deum esse negat.

Qui ſpem non habet judicii illic futuri, nullam ſpem habet, neque Deum eſſe novit; neque ſcit eum res humanas ſua regere providentia, neque divinam quamdam juſtitiam hæc omnia inſpicere. Qui autem hæc neque intelligit, neque ſecum reputat, fera quavis ſtolidior eſt, qui leges, judicia, jura, bonaque omnia ex animo ſuo eliminavit. Qui enim non exſpectat, ſe facinorum ſuorum rationem redditurum, virtutem prorſus deſeret, nequitiamque omnem ſectabitur. Tom. 1. hom. in illud: *De Dormientibus &c.*

XXII.

Quid agendum, ut cum gaudio ſecundum Chriſti adventum exſpectare valeamus.

In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex: non ſolum autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus . . . (c) Quomodo autem, inquies, quis diligat adventum Chriſti? Si de ejus præſentia gaudeat; qui autem de præſentia illius gaudet, quæ hoc gaudio digna ſunt, facit: facultates ſuas, ſi opus ſit, & animam ipſam ponet, ut futura bona conſequatur, ut dignus habeatur, qui ſecundum adventum cum decenti habitu videat, cum fiducia, cum gloria, cum claritate. Hoc eſt diligere adventum ejus. Qui diligit

(c) 2. Tim. 4, 8.

diligit adventum ejus. Omnia faciet, ut ante universalem illum singularis sibi fiat Christi adventus.

DE INFERNO.

XXIII.

Infernum comminatur Deus, non ut in illum nos injiciat, sed ut ab eo nos liberet.

Deus etiam se odientes amavit, & amare perseverat. *Etenim solem suum super malos, & bonos oriri facit, & pluit super justos, & injustos* (*d*). Tu ergo te amantem ama; te quippe amat. Et quomodo, inquies, ille, qui amat, gehennam, pœnam, & supplicium comminatus est? Ex eo ipso quod amet. Nam malitiam rescindens, & timore tanquam fræno tuum coercens ad pejora impetum, nihil non agit, ut per bona, & molesta pronum tuum ad infima animum retineat, & ad se reducat, & abducat ab omni nequitia, quæ est gehenna gravior. Tom. 2. hom. 3. de Pœnit. Gehennam comminatur Deus, non ut in gehennam injiciat, sed ut a gehenna liberet. Si enim punire vellet, non ante minatus esset, ut caute minas vitaremus. Comminatur supplicium, ut supplicii experimentum fugiamus: terret verbo, ut non puniat opere. Tom. 2. hom. 3. de Pœnit. pag. 339.

XXIV.

Infernus a Deo benigno ad salutem hominum præparatus est.

Deus, cum nullis sit affectibus obnoxius, sive bene faciat, sive puniat, similiter est bonus: nec

(*d*) Matth. 5.

nec vero minus gehennæ comminatio ipsius bonitatem demonstrat: &, quo pacto id fiat, ego dicam. Nisi gehennam minatus fuisset, nisi pœnam præparasset, non multi regnum assequi potuissent. Non enim ita bonorum promissio ad virtutem multos evocat, ut malorum intentatio timore compellit, & ad animæ curam excitat. Itaque etsi cœlorum regno gehenna contraria est, ad unum tamen ambo finem respiciunt, hominum salutem: illud quidem ad se alliciens, hæc autem ad illud compellens, & negligentiores timore corrigens. Tom. 2. hom. 7. ad Pop. Antioch. pag. 87.

XXV.

Inferni memoria est contra peccata remedium optimum.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Audiamus, quæso, & resipiscamus. Si pravæ concupiscentiæ igne ardeas, cogita illius supplicii ignem, & hic ignis extinguetur. Si volueris quid absonum loqui, tecum reputa stridorem dentium, & metus tibi fræni loco erit. Si alienum rapere volueris, audi judicem dicentem: *Ligatis manibus, & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores* (e), & hanc abjicies concupiscentiam. Si crudelis, & immisericors fueris, recordare virginum illarum, quæ extinctis lampadibus suis, cum non haberent oleum, ex sponsi Thalamo exclusæ sunt; ac cito benignus evades. Si ebrietati,

(e) Matth. 22, 13.

tati, & comessationibus operam dare cupias, audi divitem dicentem: *Mitte Lazarum*, qui summo digito refrigeret istam linguam: neque optatum consecutus est; & statim ab hoc cupiditatis morbo averteris. Cætera quoque omnia virtutis officia sic exequeris. Tom. 6. hom. de perfect. Charitat. pag. 29. & 94.

XXVI.

Inferni timor regni coronam affert.

Nisi bonus esset timor, filiis patres pædagogos non præponerent, non legislatores civitatibus ullos magistratus. Quid gehenna gravius? sed hujus metu nil utilius: gehennæ namque timor regni nobis affert coronam. Ubi timor est, livor non est: ubi timor est, pecuniarum amor non vexat: ubi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis passio exterminata. Et sicut in domo stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere propius audebit: sic & metu animas nostras occupante, illiberalium nulla perturbationum facile nobis subrepit, sed omnes fugiunt, & pelluntur, timoris imperio undique exactæ. Nec hoc solum est, quod ex timore lucramur, verum & aliud hoc multo majus. Non enim improbas tantum nostras expellit passiones, sed & omnem cum multa facilitate virtutem inducit. Ubi timor est, ibi & eleemosynæ studium, & orationis intentio, & lacrymæ ferventes, ac continuæ, gemitus multam habentes compunctionem. Nihil enim tantum peccata consumit, vir-

tutemque crefcere facit, & germinare, quantum affidui timoris natura. Propterea, qui non vivit in timore, recte illum agere, non eft poffibile: ficut viciffim cum timore viventem, eft impoffibile peccare. Tom. 2. hom. ad Pop. Antioch. 15. pag. 152.

XXVII.

Pœna damni in inferno omnium graviffima.

Ideo advenit Dominus nofter Jefus Chriftus, non folum, ut hic ejus gloriam (*), fed etiam ut futuram videamus. Propterea dixit: *Vado; ut ubi fum ego, & illi fint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedifti mihi* (*f*). Quod fi hæc gloria tam fplendida, tam confpicua fuit (**), quid de illa dixerimus? Non enim in terra corruptioni obnoxia videbitur, non nobis in fluxo corpore manentibus, fed in immortali, & perpetua creatura, & cum tanto fplendore, ut nullo poffit explicari fermone. O beati, ter beati, fæpiusque beati, qui gloriæ illius fpectatores effe dignabuntur! De hoc Propheta dicit: *Mifereamur impio, & non difcet juftitiam: in terra Sanctorum iniqua geffit, & non videbit gloriam Domini* (g). Sed abfit, ut aliquis noftrum tollatur, ne illam unquam videat. Nifi enim illam confecuturi effemus, opportune a nobis diceretur: bonum erat nobis, fi nati non fuiffemus. Nam

(*) Quam oftendebat miraculis a fe patratis.

(*f*) Joan. 17, 24.

(**) Ut beatus Joannes hæc fc. miracula cogitans exclamaverit: *vidimus gloriam ejus, gloriam quafi unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis,* Joan. 26, 10.

(g) Ifai. 26, 10.

Nam cur vivimus? cur respiramus? quid sumus, si illo privemur aspectu? si Dominum nostrum nemo concedat videre? Nam si qui solarem lucem non vident, morte miseriorem vitam degunt; quid eos perpeti credas, qui tali luce privantur? Hic enim damnum in hoc uno constat; illic vero non item: quamvis si illud solum adesset mali, non par cruciatus esset, sed tanto gravior, quanto sol ille hoc nostro præstantior est. Tom. 8. hom. 12. alias 11. in Joan.

XXVIII.

Præter pœnam damni datur in inferno etiam pœna sensus, & quidem æterna.

Verum aliud quoque supplicium exspectandum est. Nam is, qui lucem illam non aspicit, non in tenebras tantum abducendus est, sed perpetuo comburendus, ita ut tabescat, dentibus strideat, innumerisque aliis tormentis excrucietur. Ne itaque salutem nostram ita contemnamus, ut per brevissimi temporis negligentiam, atque desidiam, in æternum conjiciamur supplicium; sed vigilemus, sobrii simus, nihil non agamus, & operemur, ut illis fruamur bonis, ac procul simus ab illo fluvio igneo, qui cum multo fragore fluet ante tribunal horrendum. Qui semel in illum inciderit, ibi perpetuo maneat, oportet; nemo erit, qui a supplicio eripiat, non pater, non mater, non frater. Hoc Propheta clamat, dum dicit: *Frater non redimit, redimet homo* (*h*)? Ezechiel vero quidpiam amplius

(*h*) Psal. 48, 8.

plius affert his verbis: *Si steterit Noe, & Job & Daniel, filios suos, & filias non eripient* (*). Unum enim ibi tantum juvat, nempe operum patrocinium, quo qui caruerint, alio modo servari non poterunt. Hæc itaque perpetuo versantes, & nobiscum reputantes, vitam expurgemus, & conspicuam reddamus, ut cum fiducia videamus Dominum, & promissa consequamur bona. Ibid.

XXIX.

Pœna sensus in inferno quam acerbus sit.

Cogitemus, quantum sit malum uri perpetuò, & esse in tenebris, & innumerabiles emittere ejulatus, & stridere dentibus, & ne audiri quidem. Si enim cum quis ex iis, qui liberaliter sunt educati, hic in carcèrem injectus, fœtorem solum, & jacere in tenebris, & in vinculis esse cum homicidis, quavis morte dicit esse gravius; cogita, quid sit, quando urimur cum hujus orbis terræ homicidis, & neque videmus, nec videmur, sed in tanta multitudine solos esse nos existimamus. Nam tenebræ, & lucis defectus non permittit, ut vel eos, qui prope sunt, discernamus; sed unusquisque ita erit affectus, tanquam solus hoc patiens. Si autem nostros animos per se premunt, & conturbant tenebræ, quid erit, quando cum tenebris tam multi fuerint dolores, & conflagrationes? Quamobrem rogo, ut hæc apud nos perpetuo versemus, & quæ

(*) Vulgata habet: *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel, & Job: ipsi justitia sua liberabunt animas suas . . . nec filias liberabunt.*

quæ a verbis affertur, moleſtiam toleremus, ne, qui per res ipſas ſuſcipitur, cruciatum patiamur. Omnino enim erunt hæc omnia, & eos, qui injuſta admiſerunt, nullus illic eximet, non pater, non mater, non frater; etiamſi multam fiduciam habeat, & magna poſſit apud Deum. *Frater non redimit, redimet homo* (i)? Ipſe enim eſt, qui reddit unicuique ſecundum opera ſua, & ex iis licet, & ſervari, & puniri. Tom. 12. hom. 1. in Epiſt. ad Hebr. cap. 1. pag. 11.

XXX.

Infernus eleemoſyna extinguitur. — Pauperrimus & eleemoſynam dare poteſt, & debet.

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis (k). Obſequamur ergo: dominicum enim mandatum eſt. Superfluas pecunias in egenos ſpargamus: faciamus eleemoſynam, donec poſſumus; hoc eſt enim amicos facere ex mammona iniquitatis. Pecunias in egenos effundamus, ut illum ignem exinaniamus, ut ipſum extinguamus, ut illic habeamus fiduciam. Etenim illic non iſti, qui nos ſuſcipiunt, ſed noſtrum opus ſalvabit. Quod enim non abſolute, quod nobis ſint amici, id nos poſſit ſervare, diſce ex additamento. Cur enim non dixit? facite vobis amicos, ut vos excipiant in æternis ſuis tabernaculis, ſed modum etiam adjecit. Cum dixiſſet; ex mammona iniquitatis, oſtendit, quod ex pecuniis convenit eos facere amicos, ſignificans, quod ſola nos non defendet amicitia, niſi habeamus bona opera, niſi injuſte collectas divitias juſte effundamus.

 Hoc

(i) Pſal. 48, 8. (k) Luc. 16, 9.

Hoc autem, quod de eleemosyna dicimus, non solum convenit divitibus, sed etiam pauperibus. Et si quis sit, qui mendicando alatur, ad eum quoque hæc dirigitur oratio. Nemo est enim adeo pauper, etsi sit valde pauper, qui non habeat duo minuta. Licet ergo vel ex paucis pauca danti, superare eos, qui plura possident plura dantes, sicut illa vidua. Non enim ex eorum, quæ dantur, mensura, sed ex vi, & potestate, & eorum, qui dant, instituto, & prompta voluntate, judicatur magnitudo eleemosynæ. Ubique enim instituto opus est, & libera, promptaque voluntate: ubique in Deum charitate. Si ea omnia agamus, etiamsi pauca habentes pauca dederimus: faciem suam Deus non avertet, sed accipiet tanquam magna, & admiranda. Attendit enim liberam, & promptam animi voluntatem, non ea, quæ dantur: & si illam viderit esse magnam, ei suum fert suffragium & judicium, & æternorum bonorum facit participes. Ibid.

XXXI.

Pœnæ inferni æternæ: at has evitare possumus, si modo ad breve tempus pro regno cœlesti laboremus.

Deus justus est judex, & fortis, & longanimis: nec per singulos dies iram inducit. Quod si ipsius longanimitate abutamur, erit tempus, cum jam ne tantillo quidem tempore longanimitatem adhibebit, verum statim pœnam inferet. Ne itaque, dum ad unicum momentum (momenti enim instar est hæc vita) deliciis indulgere volumus, infinitorum sæculorum pœnam nobis

nobis accersamus: verum ad momentum potius laboremus, ut perpetuis coronis cingamur. An non cernitis in hujusce quoque vitæ negotiis bonam hominum partem id facere, ac brevem laborem diuturnæ quietis causa suscipere, tametsi sæpe res evenit aliter, quam sperabant? Hic enim laborum, ac quæstus æqua est portio: sæpe etiam infinitus est labor, fructus autem tenuis quidem. At vero, cum de cœlesti regno agitur, contraria est ratio: parvum enim laborem magna, atque infinita jucunditas excipit. Perpende autem. Agricola totum annum laborat: & in fine spe, & diuturnorum laborum fructu sæpe excidit. Rursus navis gubernator, & miles ad extremam usque ætatem in bellis, & laboribus versati, sæpe ita hinc excidunt, ut & ille mercium suarum opibus labatur, & hic vitam una cum victoria amittat. Ecquam ergo, te rogo, excusationem habituri sumus, qui cum in rebus fluxis ea, quæ cum labore conjuncta sunt, præferimus, ut parum conquiescamus, vel ne parum quidem; dubia quippe hæc spes est; in spiritualibus contrario omnino modo faciemus, ac propter exiguam ignaviam summos cruciatus, qui nullis verbis explicari possint, nobis attrahamus? quocirca vos omnes oro, ut tandem aliquando ex hoc stupore vos ipsos recipiatis. Nemo enim tum erit, qui nos e pœnis eximat, non pater, non filius, non amicus, non vicinus, non quisquam alius: sed, si nos opera nostra prodiderint, omnia pessum ibunt, ac prorsus de nobis actum erit. Quantos dives ille luctus emisit, quantis precibus a Patriarcha contendit, ut Lazarum ad se mitteret? Verum audi, quid responsi ab Abrahamo tulerit:

Inter nos, & vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare (*l*). Quam obnixis precibus virgines illæ cum æqualibus suis egerunt, ut parum olei acciperent? Verum audi quid ipsæ dicant: *Ne forte non sufficiat nobis, & vobis* (*m*). Nec potuit quisquam eas in Thalamum introducere. Hæc itaque animis nostris reputantes, nos quoque vitæ nostræ curam geramus; hic jam vitam in melius commutemus, ut ad Christi tribunal cum omni fiducia sistamur. Tom. 10. hom. 9. in Epist. 2. ad Cor. pag. 503. n. 4.

OCTOBER.

I.

Datur gehenna, & vita altera.

Justus est Deus, omnes fatemur, & Græci, & Judæi, & Hæretici, & Christiani. At hinc multi, qui peccarunt, abierunt impune: multi, qui cum virtute vixerant, tum demum abierunt, cum sexcentas subiissent calamitates. Ergo si justus Deus: ubinam his quidem præmia, illis vero supplicia tribuet, si non est gehenna? si non est resurrectio? Hanc igitur rationem & illis, & vobis ipsis semper canite, nec sinet vos de resurrectione non credere. Qui vero de resurrectione non dubitat, is sedulo, atque attente vitam

(*l*) Luc. 16, 26.
(*m*) Matth. 25.

vitam suam curabit, ut sempiterna bona consequatur. Tom. 11. hom. 6. in Epist. ad Philipp. cap. 2. n. 6.

II.

Deus etiam, dum infernum minatur, bonus est.

Terribiles sunt illæ pœnæ; magua, & multa clementia opus habemus, ut non audiamus dictum illud tremendum: *Nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem* (n); ut non audiamus rursum illud tremendum: *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus* (o); ut non audiamus illud chaos: *Inter nos, & vos chaos magnum firmatum est* (p); ut non audiamus illud horrore plenum: *Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium* (q); ut non audiamus illud, multum incutiens timorem: *Serve nequam, & piger* (r). Horrendum quippe, & terribile est tribunal illud. Atqui Deus mitis est, & mansuetus. Deus enim misericordiarum, & Deus consolationis vocatur, & ita bonus est, ut nemo alius par sit, benignus, clemens; multæ misericordiæ est, nec vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Unde ergo, unde fit, ut dies illa tanto sit plena terrore? Fluvius igneus ante thronum ejus trahitur; libri operum nostrorum aperti sunt, dies ille ut clibanus ardens est: Angeli circumcurrunt, fornaces appo-

(n) Matth. 7, 23.
(o) Ibid. 25, 41.
(p) Luc. 16, 26.
(q) Matth. 22, 13.
(r) Ibid. 25, 30. & 18, 32.

appositae sunt multae. Quomodo ergo clemens est? Quomodo misericors? quomodo bonus? attamen & sic ille hinc clemens erga homines esse monstratur, & clementiae ejus magnitudo ostenditur. Ideo namque tantum nobis incutit timorem, ut his compulsi ad regni desiderium excitemur. *Tom.* 11. *hom.* 3. *in* 2. *Epist. ad Tim. cap.* 1. *n.* 2. *&* 3. Hoc est Deum esse misericordem. Vides, quanta divinae misericordiae sit potentia. Haec omnia fecit, haec mundum condidit, haec Angelos fecit; per solam, inquam, bonitatem. Propterea enim gehennam minatus est, ut regnum assequamur: regnum vero consequimur per misericordiam. Ibid. hom. 4. in Epist. ad Philipp. cap. 1. sub finem.

III.

In inferno non easdem pœnas dabimus omnes.

Deus est benignus? sed est etiam justus judex: condonat peccata? sed etiam reddit unicuique secundum opera sua; transilit iniquitates, & tollit peccata? sed ea quoque examinat. Quomodo ergo non sunt haec contraria? Non sunt contraria, si temporibus ea diviserimus. Tollit hic peccata per lavacrum, & pœnitentiam: facta illic examinat per ignem, & tormenta. Si ergo, inquies, cum & mala fecero pauca, propter unum ejiciar, & a regno excidam, cur mala omnia non operor? Ingrati servi est oratio: sed tamen hanc quoque dissolvemus orationem. Ne mala opereris, ut tibi prosis. Nam a regno quidem omnes similiter excidemus: in gehenna autem non easdem poenas dabimus omnes; sed hic quidem majores, ille vero mitiores. Nam si tu qui-

quidem & ille æque Deum despexeritis, & qui in multis, & qui in paucis peccat, similiter e regno excidetis. Si autem non similiter despexeritis, sed alius quidem magis, alius vero minus, in gehenna sentietis differentiam. Cur ergo minatur iis, qui non dederunt eleemosynam, eos omnes abituros in ignem; neque solum in ignem, sed qui paratus est diabolo, & angelis ejus? cur, & qua de causa? Deum nihil æque irritat, ac si amici ejus injuste lædantur. Nam si oportet diligere inimicos, qui etiam amicos aversatur, & est in hoc deterior gentibus, quod non merebitur supplicium? quamobrem hic magnitudo peccati jure fecit eum abire cum diabolo. Væ enim illi, qui non facit eleemosynam. Tom. 11. hom. 4. in Epist. ad Ephes. cap. 2. n. 4. p. 30.

IV.

In inferno nullum solatium ex multitudine sociorum.

Dicitur a multis: si ego, & ille iisdem tenemur, non est parva consolatio. Quid dicemus? certe non erit idem tuum, & illius supplicium; alioquin autem nec hoc est consolatio. Tunc enim malorum societas habet consolationem, quando mala, quæ patimur, fuerint proportione paria: quando aut exsuperarint, &, ut mente excedamus, effecerint, non amplius sinunt ullam habere consolationem. Dic enim ei, qui male mulctatus est, vel in ignem injectus: hic, aut ille hoc patitur; ne sentiet quidem consolationem. Nonne omnes simul perierunt Israelitæ, quamnam hoc eis attulit consolationem? An

non

non hoc ipſum eos majori afficiebat dolore? Et ideo dicebant, periimus, interiimus, conſumpti ſumus. Quænam eſt ergo hæc conſolatio? fruſtra nos hac ſpe conſolamur. Una ſola eſt conſolatio, in illum, qui extingui non poteſt, ignem non incidere; eis autem, qui inciderunt, non licet aſſequi conſolationem: ubi eſt ſtridor dentium, ubi fletus, ubi vermis, qui non moritur, ubi ignis, qui non extinguitur. Omninone ſenties ullam, dic, quæſo, conſolationem, cum ſis in afflictione, & anguſtia? de cætero enim eris apud te ſolus. Ne, quæſo, ne nos hisce temere decipiamus, aut his verbis conſolemur, ſed ea faciamus, quæ nos poterunt ſervare. Cum Chriſto conſeſſus eſt tibi propoſitus, & tu de his curioſe ſcrutaris? ſi nullum eſſet aliud peccatum, pro his verbis quantum nos oporteret ſubire ſupplicium? quod ſimus adeo ignari, miſeri, & ſocordes, ut tanto etiam propoſito pretio hæc dicamus? O quantum ingemiſces, cum tunc audieris eos, qui bona egerunt vocari in regnum, & honore affici? quando videris ex ſervis, & humili loco natis eos, qui parum hic laborarunt, throni regii eſſe participes? an non ea erunt tibi pejora punitione? Tom. 11. hom. 4. in Epiſt. ad Theſſal. c. 2. n. 4. p. 30.

V.

Peccatoribus ſolatium unicum eſt, modo agere peccatorum pœnitentiam.

Vix pars orbis minima ſervatur. Sed qui pereunt, gaudent audientes, ſe non ſolos id paſſuros eſſe, ſed cum multis aliis. Ecqua illa gaudii

gaudii causa? nam pro hujusmodi gaudio dabunt pœnas. Ne putes enim: quia hic solatium est socios habere miseriæ, ita & illic fore. Undenam id probatur? Ego tibi ostendam. Dic enim mihi: si quis jussus igne perire, filium suum postea loco sui uri videret, nidoremque a carnibus ascendentem, an non moreretur? Haud dubie; quomodo autem ego dicam. Si enim, qui nihil patiuntur, hæc videntes obtorpent, & animo deficiunt, multo magis, qui torquentur, id patientur. Et ne mireris; audi enim sapientem quemdam dicentem: *Et tu vulneratus es sicut & nos, & nostri similis effectus es* (s). Humana enim natura ad commiserationem prona est, & aliorum calamitatibus frangimur. Dic autem mihi: Pater videns filium in eadem pœna versari, consolationemne, an augmentum doloris accipiet? quid si vir uxorem sic viderit? quid si homo hominem? an non tunc magis frangimur? Etiam inquies. Sed illic non tales pœnæ. Ego quoque scio; sed aliæ his longe graviores. Fletus enim erit tunc inconsolabilis, omnibus se mutuo respicientibus in cruciatibus. Qui in fame versantur, dic mihi, an solatium accipiunt in malis ex aliorum consortio? Quid si filius, quid si pater, quid si uxor, & nepotes in eadem pœna fuerint? Quid si amicos videamus, an consolationem accipimus? Non certe, imo magis dolor augetur. Præter hæc autem mala sunt alia, quæ, etsi communia, consolationem non habent, ob exuberantiam: exempli causa; sit quis in igne jacens, & alius item. Quo-

---

(s) Isai. 14, 10.

non hoc ipsum eos majori afficiebat dolore? Et ideo dicebant, periimus, interiimus, consumpti sumus. Quænam est ergo hæc consolatio? frustra nos hac spe consolamur. Una sola est consolatio, in illum, qui extingui non potest, ignem non incidere; eis autem, qui inciderunt, non licet assequi consolationem: ubi est stridor dentium, ubi fletus, ubi vermis, qui non moritur, ubi ignis, qui non extinguitur. Omninone senties ullam, dic, quæso, consolationem, cum sis in afflictione, & angustia? de cætero enim eris apud te solus. Ne, quæso, ne nos hisce temere decipiamus, aut his verbis consolemur, sed ea faciamus, quæ nos poterunt servare. Cum Christo consessus est tibi propositus, & tu de his curiose scrutaris? si nullum esset aliud peccatum, pro his verbis quantum nos oporteret subire supplicium? quod simus adeo ignari, miseri, & socordes, ut tanto etiam proposito pretio hæc dicamus? O quantum ingemisces, cum tunc audieris eos, qui bona egerunt vocari in regnum, & honore affici? quando videris ex servis, & humili loco natis eos, qui parum hic laborarunt, throni regii esse participes? an non ea erunt tibi pejora punitione? Tom. 11. hom. 4. in Epist. ad Thessal. c. 2. n. 4. p. 30.

V.

Peccatoribus solatium unicum est, modo agere peccatorum pœnitentiam.

Vix pars orbis minima servatur. Sed qui pereunt, gaudent audientes, se non solos id passuros esse, sed cum multis aliis. Ecqua illa gaudii

gaudii causa? nam pro hujusmodi gaudio dabunt pœnas. Ne putes enim: quia hic solatium est socios habere miseriæ, ita & illic fore. Undenam id probatur? Ego tibi ostendam. Dic enim mihi: si quis jussus igne perire, filium suum postea loco sui uri videret, nidoremque a carnibus ascendentem, an non moreretur? Haud dubie; quomodo autem ego dicam. Si enim, qui nihil patiuntur, hæc videntes obtorpent, & animo deficiunt, multo magis, qui torquentur, id patientur. Et ne mireris; audi enim sapientem quemdam dicentem: *Et tu vulneratus es sicut & nos, & nostri similis effectus es* (s). Humana enim natura ad commiserationem prona est, & aliorum calamitatibus frangimur. Dic autem mihi: Pater videns filium in eadem pœna versari, consolationemne, an augmentum doloris accipiet? quid si vir, uxorem sic viderit? quid si homo hominem? an non tunc magis frangimur? Etiam inquies. Sed illic non tales pœnæ. Ego quoque scio; sed aliæ his longe graviores. Fletus enim erit tunc inconsolabilis, omnibus se mutuo respicientibus in cruciatibus. Qui in fame versantur, dic mihi, an solatium accipiunt in malis ex aliorum consortio? Quid si filius, quid si pater, quid si uxor, & nepotes in eadem pœna fuerint? Quid si amicos videamus, an consolationem accipimus? Non certe, imo magis dolor augetur. Præter hæc autem mala sunt alia, quæ, etsi communia, consolationem non habent, ob exuberantiam: exempli causa; sit quis in igne jacens, & alius item. Quo-

(s) Isai. 14, 10.

Quomodo ſeſe illi mutuo conſolabuntur? dic mihi, quæſo; ſi quando febri ardenti laboravimus; an non omnis conſolatio nobis deficit? Jure quidem. Cum enim mala prævalent, nullum ultra modum conſolationis habet anima. An non vides eas, quæ viros ſuos amiſerunt, nempe quod alias numerare poſſint, id ipſum paſſas, neque tam harum luctus minuitur? Ne itaque tali ſpe alamur; ſed unam inveniamus conſolationem, peccatorum pœnitentiam agendo, & bonam conſequendo vitam ad cœlum ducentem, ut regnum cœlorum conſequamur. Tom. 11. hom. 10. in 1. Epiſt. ad Timoth. cap. 2. pag. 603.

VI.

Peccator, ſeu ſeductor alios ſecum non trahat ad infernum.

Eſtne judicium? O miſer, & infelix! ſcio, undenam venias ad hæc dicenda (*). A te multa admiſſa ſunt peccata; offendiſti multos, nec eſt tibi dicendi libertas, & fiducia: exiſtimas rerum naturam tuis eſſe verbis conſequentem. Interim, inquis, non cruciabo animam gehennæ exſpectatione, & ſi ſit, ei, quod non ſit, perſuadebo: interim hic me dedam deliciis. Cur peccatis addis peccata? ſi cum peccatis tuis credideris eſſe gehennam, abibis luens pœnam peccatorum; ſin autem hoc quoque addideris impium, & impietatis, & hujus cogitationis ultimum feres ſupplicium, & quæ tibi brevis, & frigida fuerit conſolatio, erit tibi argumentum perpetui ſupplicii. Eſto, peccaſti. Quid alios quoque hortaris ad pec-

(*) Scilicet quod non ſit.

peccandum, dicens, non esse gehennam? quid decipis simpliciores? cur populi manus dissolvis, & enervas? quantum quidem in te est, omnia sunt eversa. Neque viri probi erunt meliores, sed ignari, ac desides: neque mali desistent a vitio. Num, si alios corrumpamus, habemus veniam peccatorum? Non vidisti, quomodo diabolus aggressus sit prosternere, & dejicere Adamum? an ei data est venia? Major quidem certe hinc fuit occasio supplicii. Ut enim non pro nostris tantum, sed etiam pro alienis peccatis puniamur, omnia machinatur. Ne ergo existimemus, quod alios convertamus ad eumdem nobis paratum interitum, nos nobis mitius facere judicium. Hoc ipsum quidem certe faciet gravius, & asperius. Quid nos ipsos protrudimus, & perdimus? Hoc totum est satanicum. Tom. 11. hom. 2. in Epist. ad Coloss. c. 1. p. 340. n. 5.

VII.

Peccator, ut Judicem flectat, pœnitentiam agere, aliosque a malo retrahere debet.

Homo peccasti? Benignum, & clementem habes Dominum: roga, supplica, lacrymare, ingemisce, & alios terre, & pete, ne in eadem incidant. Si quis servus eorum, qui dominum offenderunt, dicat filio suo, fili, ego offendi dominum: tu da operam, ut ei placeas, ne eadem tibi accidant; non aliquam, quæso te, assequetur veniam? non franget, & flectet dominum? Si autem his missis verbis illud dicat: Dominum non pro meritis singulis redditurum esse, omnia tum bona, tum mala misceri, & confusa esse, nul-

Iamque in hac domo haberi gratiam. Quid existimas, dominum de illo sentire? an non ille peccatorum suorum majores dabit pœnas? merito certe. Nam illic quidem excusabit animi motus, & perturbatio, etsi debiliter; hic autem nihil. Si ergo nullum alium, eum quidem certe imitare divitem, qui in gehenna dicebat: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum in domum patris mei* (t). *Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum:* quoniam ipse abire non poterat; ne in illa ipsa incident. Ibid.

VIII.

Inferni timor salubris.

Gehenna non minus, quam regnum providentiam Dei ostendit. Gehenna quippe cum regno operatur, dum homines ad virtutem compellit. Neque eam rem immanitatis, & crudelitatis esse putemus; sed misericordiæ, benignitatis multæ, providentiæ, & amoris erga nos. Nisi tempore Jonæ eversionis minæ intentatæ fuissent, eversio impedita non fuisset: nisi dixisset, Ninive subvertetur; Ninive non substitisset. Nisi gehennæ minæ instarent, omnes in gehennam incideremus. Nisi ignis comminatio esset, nemo ignem effugeret. Contraria voluntati suæ se facturum dicit, ut, quod vult, faciat. Non vult, sed dicit mortem peccatoris, ut ne illum in mortem injiciat. Non verba solum protulit; sed etiam re ostendit, ut fugiamus. Tom. 11. hom. 15. in epist. ad Timoth. cap. 5.

IX.

(t) Luc. 16.

IX.

Quæ de inferno dicuntur, non tantum minæ sunt. — Mortis nos omnia admonent. — In mundo omnia transitoria.

Ne quis autem exiſtimaret, minas eſſe tantum, ſed rem omnino futuram eſſe, ab iis, quæ hic facta ſunt, id planum, & manifeſtum fecit. An non tibi videtur diluvium eſſe gehennæ ſymbolum? an non univerſa per aquam pernicies ſupplicium per ignem futurum confirmat? Quemadmodum enim, inquit, in diebus Nöë nubebant, & ad nuptias trahebant, ita & nunc. Prædixerat tunc ante multum tempus, & nunc quoque prædicit ante annos quadringentos, aut plures; ſed nemo attendit. Omnes rem illam pro fabulis habent, omnes rident: nemo timore corripitur, nemo lachrymatur, nemo pectus tundit. Fluvius igneus fervet, flamma ſuccenditur, & nos ridemus, & deliciamur, ac ſine metu peccamus. Nemo unquam diem illum in mentem revocat; nemo cogitat præſentia tranſire, hæc temporanea eſſe: licet rebus quotidie clamantibus, & vocem emittentibus.

Immaturæ mortes, rerum mutationes, quæ nobis viventibus accidunt, non nos ad frugem revocant, ut nec morbi, nec reliquæ infirmitates. Neque in corporibus ſolum noſtris mutationes, ſed etiam in ipſis elementis videre eſt, atque in ætatibus ſingulis mortem quotidie meditari poſſumus, & in omnibus inſtabilitas ubique per res ipſas ſignificatur.

Nunquam hiems perſtat, nec æſtas, nec ver, nec autumnus; ſed omnia currunt, evolant, & effluunt. Sed quid dicam flores? quid Dignitates? quid Reges, qui nunc ſunt, & cras eſſe deſinunt? an dicam divites? an ædificia ſplendida? an noctem, & diem? an non ſol ipſe vel deficit, vel obſcuratur, vel a nube tegitur? an quid viſibile perpetuo manet? Nihil: ſed anima ſolum noſtra, & hanc negligimus. Eorum, quæ mutantur, quaſi manentium magnam curam habemus: eam vero, quæ ſemper manet, quaſi tranſitura eſſet, nihili facimus. Ibid.

X.

Quia in mundo omnia tranſeunt, Deum ſincere diligamus, non timore inferni, ſed deſiderio regni.

Magnificavi opera mea, inquit Salomon, qui præſentium rerum periculum fecerat, *ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos, & pomaria, & conſevi ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piſcinas aquarum, ut irrigarem ſilvam lignorum germinantium; poſſedi ſervos & ancillas, multamque familiam habui: armenta quoque, & magnos ovium greges, ultra omnes, qui fuerunt ante me in Jeruſalem; coacervavi mihi argentum, & aurum, & ſubſtantias regum, ac provinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, greges & armenta* (u). Nullus fuit ita deliciis deditus, nullus ita glorioſus, nullus ita ſapiens, nullus ita imperans, nullus, cui res ita ex voto ſuccederent. Quid ergo? Hæc nihil illi profuere. Sed

(u) Eccl. 2, 4. & ſeq.

Sed poſt hæc omnia quid dicit? *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas* (x). Non ſolum vanitas; ſed exſuperanter. Credamus illi, & res ſectemur, in queis non ſit vanitas; ubi ſit veritas, ubi omnia firma, & ſolida, ubi omnia ſint ædificata ſupra petram: ubi non ſit ſenectus, nec tranſitus, ubi omnia floreant, omnia vigeant, ubi nullum ſenium, ubi nihil ad deſtructionem vergat. Diligamus, quæſo, ſincere Deum, non metu gehennæ, ſed deſiderio regni. Quid enim, dic mihi, viſioni Chriſti par fuerit? Nihil. Quid ſic optandum, ac æternis illis bonis frui? Nihil utique. Neque enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe (y). Illa conſequi ſtudeamus, hæc deſpiciamus. Tom. 11. hom. 15. in 1. epiſt. ad Timoth.

XI.

Inferni memoria remedium optimum contra peccatum. — Amor benevolentiæ, & deſſintreſſatus poſſibilis.

Non eſt parum lucri, de gehenna certam habere perſuaſionem. Horum enim verborum memoria tanquam acre aliquod medicamentum omne vitium poterit abſtergere, menti noſtræ aſſidue inſidens. Ergo utamur illo, ut inde mundum cor habentes digni habeamur, qui videamus, quæ neque oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis aſcenderunt. *Tom. 11. hom. 8. in 1. epiſt. ad Theſſ. cap. 4.*

(x) Ibid. 1, 2.
(y) 1. Cor. 6, 9.

Qui est bonus, ac virtute valde præditus, neque a timore, neque a regno inducitur ad virtutem, sed propter ipsum Christum, sicut faciebat Paulus. Sed nos cogitemus bona, quæ sunt in regno, & mala, quæ sunt in gehenna, sic nos componamus, & erudiamus: sic nos ipsos inducamus ad ea, quæ sunt agenda. Quando videris aliquid bonum, & magnum in præsenti vita, cogita regnum, & id nihil esse existimabis: quando terribile, cogita gehennam, & irridebis. Quando te invaserit cupiditas corporalis, reputa ignem, reputa & ipsius peccati voluptatem: quod nullius sit pretii, quod ne habeat quidem voluptatem. Si enim legum, quæ hic sunt latæ, metus tantam vim habet, ut nos a pravis abducat actionibus: multo magis futurorum memoria, supplicium immortale, pœna sempiterna. Tom. 11. hom. 2. in 2. epist. ad Thess. c. 1. n. 3.

XII.

De inferno frequenter sermo instituendus.

Si gehennam semper cogitemus, non cito in eam incidemus. Propterea supplicium minatus est Deus. Si illud cogitare non magnum aliquod haberet lucrum, non jam minatus esset Deus: sed quoniam ejus recordatio valet ad res magnas recte gerendas, propterea tanquam salutare aliquod medicamentum, ejus minas nostris insevit animis. Ne despiciamus tantum lucrum, quod inde nascitur, sed etiam assidue versemus, in prandiis, in cœnis. Nam de rebus quidem jucundis sermo nihil juvat animam, sed eam reddit imbecilliorem. Sermo autem de rebus tristi-

tristibus, & molestis amputat, quid quid diffunditur, & diffluit, eamque dissolutam convertit, & contrahit. Qui de Theatris, & mimis disputat, nihil ei prodest, sed magis incendit, magisque temerarium reddit, & petulantiorem. Qui aliena curat, & scrutatur, sæpe illum talis curiositas in pericula conjicit. At, qui de gehenna loquitur, nulli obnoxius erit periculo, & sapientiorem reddet animam. At verborum times importunitatem? Num si sileas, gehennam exstinxeris? Num si dixeris, accenderis? seu dixeris, seu non dixeris, exardescet ignis. De ea dicatur assidue, ut nunquam in eam incidas. Fieri enim non potest, ut anima de gehenna sollicita cito peccet. Audi enim optimam admonitionem: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* (z) Ibidem.

XIII.

Metus supplicii quantum vim habeat. — Minas negligere malum magnum.

Regni non ita meminerimus, ut gehennæ. Metus enim majorem vim habet, quam promissio: & scio, quod multi bona despicati essent innumerabilia, si liberati essent a supplicio: cum nunc quoque mihi sufficiat, non esse punitum, non esse castigatum. Nullus ex iis, qui gehennam habent ante oculos, incidet in gehennam. Nullus ex iis, qui gehennam despiciunt, effugiet gehennam. Sicut enim apud nos, qui timent quidem judicia, non comprehenduntur a judi-

(z) Eccl. 28, 9.

judiciis; qui autem illa despiciunt, ii sunt, qui in ea maxime incidunt: ita hic quoque. Si non eversionem timuissent Ninivitæ, fuissent eversi. Quoniam vero timuerunt, non fuerunt eversi. Si temporibus Noë timuissent diluvium, non fuissent obruti diluvio: & si timuissent Sodomitæ, non fuissent exusti.

Magnum est malum, minas negligere: qui despicit minas, per res ipsas cito sentiet experientiam. Nihil est æque utile atque de gehenna differere. Quovis argento puriores nobis efficit animas. Audi enim Prophetam dicentem: *Omnia judicia ejus in conspectu meo: & justitias ejus non repuli a me.* (a) Christus quoque de ea sæpe differit. Nam etsi molestia afficit auditorem, ei tamen prodest maxime. Talia enim sunt omnia, quæ prosunt: neque mireris. Nam & medicamenta, & cibi ægroto sunt prius molesti, & tunc afferunt utilitatem. Ibid.

XIV.

Colloquia bona, etsi sint terribilia, & de inferno, prosunt animæ. — Anima nostra ex natura sua nec bona, nec mala est.

Ex sermonibus qualitatem suscipit anima. *Corrumpunt* enim *mores bonos colloquia mala.* (b) Juvant ergo colloquia bona; modestos, & temperantes reddunt colloquia terribilia: est enim anima veluti quædam cera. Nam si frigidas quidem induxeris collocutiones, callum obduxeris, & induraveris; sin autem ignitas, molliveris:

(a) Psal. 17, 23. (b) 1. Cor. 15, 33.

veris: mollitam, ad quodcunque vis, formaveris, & effinxeris, & regiam imaginem insculpseris. Obstruamus ergo aures ad temerarios sermones. Non est parvum malum, ex quo nascuntur mala omnia. Si meditata esset mens nostra, attendere divinis sermonibus, non attenderet aliis: non attendens autem aliis, neque res malas aggrederetur. Ad facta enim via est sermo. Primum cogitamus; deinde loquimur: deinde agimus. Multi sæpe etiam frugi, & moderati, a turpibus verbis venerunt ad turpes actiones.

Non enim anima nostra natura est bona, nec mala: sed ex libero arbitrio, & hoc fit, & illud. Sicut ergo velum, quocumque spiraverit ventus, illuc defert navem, vel potius sicut clavus transfert navem, si ventus sit secundus; ita etiam cogitatio, si bona verba secundo vento ferantur, navigabit absque periculo: si autem contraria, sæpe etiam submergent cogitationem. Quod enim navigiis sunt spirantes venti, hoc animis sunt verba. Quocunque vis, ipsam traducis, & convertis. Tom. 11. hom. 2. in 2. epist. ad Thessal. cap. 1. n. 3.

XV.

Infantes ab ineunte ætate de supplicio, & inferno imbuendi sunt.

In *sensu*, dicit quidam admonens, *sit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio in præceptis altissimi*, Eccli. 9. 20. Propterea rogo, a nutrice acceptos infantes ne græcis fabulis assuefaciamus, sed ab ineunte ætate discant, quod sit judicium;

quod sit supplicium, etiam infigatur animis. Hic metus, si radices egerit, magna bona facit. Anima enim, quæ ab ineunte ætate didicerit ea exspectatione concuti, hunc metum non cito amovebit. Sed sicut equus quidam, qui frœno facile regitur, ita habens insidentem gehennæ cogitationem, ordinate ingrediens, & loquetur, & dicet utilia: & neque juventus, neque divitiæ, neque orbitas, neque quidquam aliud ei nocere poterit, cum adeo validam habeat rationem, & quæ possit omnibus resistere. His verbis, & nos ipsos componamus, & uxores, & servos, & filios, & amicos, &, si fieri potest, etiam inimicos. Cum his enim verbis possumus multa peccata resecare, & melius versari in rebus molestis, quam in jucundis . . . Ne fugiamus sermones de gehenna, ut gehennam fugiamus. Si dives ille ignem istum cogitasset, non peccasset. Quoniam autem ejus nunquam meminit; ideo in eum incidit. Dic mihi, o homo, cum sistendus sis ad tribunal Christi, de quavis potius re, quam de ea loqueris? Ibid. n. 4.

XVI.

Nullum est peccatum, cui remedium afferri non possit. — Gehennæ ignis dæmonibus, regnum cælorum nobis deputatur. — Post mortem nullus pœnitentiæ locus.

Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. (c) Et iterum: *qui in lege justificamini; a gratia excidistis.* (d) Attamen post hujusmodi lapsum, ipsos

(c) Galat. 5, 2. (d) Ibid. v. 4.

ſos recipit dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*, (e) oſtendens, etiam poſt extremam corruptionem poſſe rurſus Chriſtum divinitus efformari in nobis. *Non enim vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.* (f) Convertamur itaque . . . & voluntatem Dei perficiamus.

Ideo quippe nos creavit, & produxit, ut cœleſtium bonorum conſortes faceret, ut regnum cœlorum tribueret, non ut in gehennam conjiceret, ignique traderet. Hic enim ignis non propter nos, ſed diabolum conſtitutus eſt. Utrumque vero ſubindicat, cum dicit iis quidem, qui a dextris ſunt: *Venite benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi;* (g) iis vero, qui a ſiniſtris: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt;* non utique vobis, ſed *diabolo, & angelis ejus.* Non igitur nobis parata eſt gehenna, ſed diabolo, & angelis ejus. Regnum autem a conſtitutione mundi nobis adornatum eſt. Ne itaque nos Thalami ingreſſu indignos reddamus. Quamdiu enim hic ſumus, etiamſi millies peccemus, omnia licet eluere, peccatorum pœnitentiam exhibentibus.

Cum autem illuc abducti fuerimus, etiamſi ingentem pœnitentiam exhibeamus, nihil nobis proderit. Sed quantumvis dentibus frendamus, quantumvis obſecremus, ne extremo quidem digito quiſpiam nobis aliquid refrigerii diſtillabit. Sed

(e) Ibid. 4. v. 19. (f) Ezech. 33.
(g) Matth. 25, 34.

Sed ea ipſa audiemus, quæ dives olim ille, nempe, *Magnum chaos inter nos, & vos firmatum eſt.* (*h*) Reſipiſcamus itaque, obſecro, dum hic degimus, & Dominum agnoſcamus, ut agnoſcere oportet. Tunc enim ſolum de pœnitentia deſperandum erit, cum in inferno conſtituti erimus. Ibi namque ſolum hoc remedium infirmum, inutileque eſt: dum autem hic verſamur, etiamſi in ipſa ſenectute adhibeatur, vim habet maximam. Tom. I. in Paræneſi ad Theod. lapſ.

XVII.

Quilibet peccator infernum per pœnitentiam evitare poteſt. — Pœnitentia initio gravis, & ardua.

Diabolus nihil non machinatur, ut deſperationis radicem in nobis ponat: novit enim, ſi vel tantillum reſipuerimus, id non ſine mercede futurum eſſe. Sed ſicut is, qui calicem aquæ frigidæ porrexerit, depoſitam habet retributionem, ſic is, quem de admiſſis a ſe facinoribus pœnitet, licet dignam pœnitentiam non exhibeat, ejusdem tunc retributionem accipiet: nihil enim bonorum, quantumvis exiguum ſit, a juſto judice deſpicietur. Nam ſi peccata cum tanta accuratione disquiruntur, ut etiam de verbis, & cogitationibus pœnas demus; quanto magis bona opera, ſeu magna, ſeu parva fuerint, nobis illo tempore computabuntur. Quare licet ad priſtinam illam diligentiam redire non valeas, ſed quovis tandem modo a præſenti morbo, & luxuria te abduces, ne hoc quidem tibi

(*h*) Luc. 16, 16.

tibi infructuosum erit. Fac, ineas opus, & aditum ad certamina aperias: quamdiu enim extra manebis, jure tibi difficile, arduumque videbitur.

Nam, antequam periculum fiat, quantumvis faciles, & expeditae res fuerint, magnam tunc difficultatis speciem prae se ferre solent. Cum autem eas strenuo, audacique animo adivimus, magna pars laboris evolat; ac fiducia loco tremoris, desperationisque subingressa, metum minuit, facilitatem auget, bonamque spem roborat. Ideo malignus ille Judam ex hac vita abduxit, ne initio resipiscendi facto, per poenitentiam ad locum, unde exciderat, rediret. Ego enim, etsi supra fidem loqui videar, neque illud (Judae) peccatum majus esse duxerim, quam auxilium, quod nobis a poenitentia offertur. Quam ob rem rogo, & obsecro, omni depulsa satanica cogitatione ab anima tua, ad hanc salutem redeas. Ibidem.

XVIII.

Peccator gehennae poenas frequenter in memoriam revocet, & poenitentiam non differat.

Quid cunctaris? cur refugis, & ad posteriora (*) te retrahis? An non vidisti quosdam, qui in deliciis, & in ebrietatibus, & in reliquo hujus vitae ludibrio mortui sunt? Ubi nunc sunt, qui tumidi superbia cum multis sequacibus per forum incedebant? qui sericis induti vestibus, & unguentum olentes, parasitosque

(*) Peccata.

que olentes, ſcenæ ſemper affixi erant? Ubi tunc oſtentatio illa, & pompa? Abiit cœnarum ſumptus, muſicorum turba, aſſentantium clientela, riſus immodicus, animi remiſſio, mentis effuſio, vita mollis, otioſa, lux perdita. Quo nunc evolarunt omnia? Quid factum eſt de corpore, quod pridem tanto famulitio, tanta munditia abundabat? Perge nunc ad ſepulchrum; contemplare pulverem, cineres, vermes, loci deformitatem intuere, & amare ſuſpira. Atque utinam ad cineres damnum ſiſteret. Jam autem a ſepulchro, & a vermibus cogitatum transfer ad immortalem illum vermem, ad ignem inextinguibilem, ad fremitum dentium, ad tenebras exteriores, ad afflictionem, & anguſtiam, ad parabolam Lazari, & divitis, qui tot pecuniis inſtructus, purpuraque indutus, ne ſtillam quidem aquæ poſtea in poteſtate habuit, in tanta calamitate conſtitutus . . . Hæc cogita, & ignem illum conferens cum eo, quo nunc detineris, cupiditatum incendio, tandem a fornace illa te expedi. Nam qui hanc hic probe reſtinxit, nec illam aliam experietur: ſi quis vero hanc non ſuperaverit, vehementius hinc profectus in illa tunc cruciabitur. Ibid.

XIX.

Momentaneum, quod delectat, æternum, quod cruciat.

Quanto tempore vis tibi præſentis vitæ uſuram extendi? Equidem non puto, tibi plus quinquaginta annis vitæ ſupereſſe, ut ad extremam ſenectutem venias; immo ne hoc quidem certum

certum nobis est; nam, qui ne usque ad vesperam de vita securi sumus, quomodo tot fore vitæ annos affirmare possumus? Neque id tantum latet; sed etiam futura rerum mutatio. Persæpe enim, licet vita in longum tempus producatur, non pari gradu procedunt voluptates: sed statim atque affuerunt, dilabuntur. Verum per me licet, pone, si vis, te tot annos victurum esse, nec ullam fore in rebus tuis mutationem: quid hoc est ad infinita sæcula, quid hoc ad acerbos illos, & intolerabiles cruciatus? Hic enim tam bona, quam mala finem habent, & quidem celerrimum; illic vero utraque immortalibus sæculis æquantur: nec dici potest, quantum differant a præsentibus. Tom. I. in Parœnesi ad Theodor. lapsum.

XX.

Ignis inferni nostro haud similis.

Cum ignem audis, cave, putes esse huic igni similem: hic enim quidquid corripit, devorat, & absumit; ille vero, quos semel apprehendit, perpetuo comburit, nec unquam desistit; ideoque inextinguibilis dicitur. Siquidem etiam peccatores oportet induere immortalitatem, non ad honorem; sed ut perpetuum sit illius supplicii viaticum. Id vero quam sit horrendum, nullo unquam potest sermone declarari; sed a minimarum rerum experimento, tenuem magnarum possumus conjecturam capere. Si quando fueris in balneo nimium effervescente, tunc de gehenna ignis cogita: etsi quando acriori febre arseris, ad flammam illam mentem traducito;

& tunc

& tunc poteris probe diſtinguere. Nam ſi balneum, & febris nos adeo cruciant, & conturbant, cum in fluvium ignis illic inciderimus, fluentem ante horrendum illud tribunal, quo animo futuri ſumus? Sane dentibus ſtridebimus, oppreſſi laboribus, & intolerandis cruciatibus, & nemo ſuppetias feret; ſed ingemiſcemus graviter, flamma nobis vehementius inſtante. Neminem videbimus præter cruciatuum conſortes, & immanem ſolitudinem. Quis enarraverit terrores a tenebris illis injectos animis noſtris? Quemadmodum enim ignis ille non conſumit, ita neque lucet: alioquin non eſſent tenebræ. Perturbationem itaque nobis immiſſam, tremorem, reſolutionem, ſtuporem, illud ſolum tempus declarare poteſt. Multa quippe illic, variaque tormenta, cruciatuumque ingens procella undique immittitur in animam . . . Idque tunc damnatorum animas cruciabit, quando cogitabunt, ſe, cum poſſent per paucos iſtos dies omnia emendare, negligentia uſos, immortalibus ſe ſe malis tradidiſſe. Quod ne patiamur, ſurgamus, donec tempus acceptabile, donec dies ſalutis adeſt, donec vis magna eſt pœnitentiæ. Neque enim prædicta ſolum mala nos ſegniter agentes excipient, immo, & alia illis multo graviora. Ibidem.

DE

DE REGNO COELORUM.

XXI.

Datur cœlum. — Regni cœlorum felicitas.

Juravi in ira mea : si introibunt in requiem meam. (i) Juravi, inquit, eos non ingreſſuros in requiem, & non ingreſſi ſunt. Deinde poſt illos longo tempore loquens cum Judæis, dicit, Nolite indurare corda veſtra, ſicut Patres veſtri. Unde perſpicuum eſt, quod ſit alia requies. Nam de Palæſtina non poſſumus dicere : eam quippe habebant. De ſeptimo die autem dici non poteſt : non enim de eo loquebatur, qui olim fuit. Aliam ergo innuit, quæ vere eſt requies.

Re vera enim eſt illa requies, ubi auffugit dolor, triſtitia, & gemitus : ubi neque curæ, neque labores, neque angor, neque metus animam percellens, & quatiens, ſed ſolus Dei metus plenus voluptate. Non illic audietur : In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, neque ſpinas, neque tribulos germinabit tibi. Non eſt amplius : In doloribus paries filios tuos, & ad virum tuum converſio tua, & ipſe tibi dominabitur. Omnia ibi ſunt pax, gaudium, lætitia, voluptas, bonitas, manſuetudo, æquitas, charitas. Non eſt illic æmulatio, & invidia, non morbus, non hæc mors corporis, non illa mors animæ; non ſunt tenebræ, neque nox. Omnia ſunt

(i) Hebr. 3, 11.

ſunt dies : omnia lux : omnia quies. Non eſt illic defatigatio, non ſatietas. Semper erimus in perpetuo bonorum deſiderio. Tom. 12. hom. 6. in epiſt. ad Hebr. cap. 6. n. 4.

XXII.

Imago quædam Status, qui in cælo eſt.

Vultisne diem etiam aliquam imaginem ejus, qui illic eſt, ſtatus ? Fieri non poteſt : verumtamen quoad ejus fieri poterit, imaginem vobis aliquam tentabo oſtendere. Suſpiciamus cœlum, quando nulla nube interturbante ſuam oſtendit coronam. Deinde cum longo tempore immorati fuerimus in pulchritudine ejus aſpectus, conſideremus, quod ſolum quoque habebimus, non quale ſolemus, ſed quod eſt tanto pulchrius, quanto tectis luteis eſt aurum pulchrius, & poſt illud, tectum rurſus ſuperius. Deinde Angelos, Archangelos, infinitos populos incorporearum Poteſtatum, ipſam Dei Regiam, thronum paternum. Sed non poteſt, ut dixi, oratio univerſum præſentare, & explicare. Opus eſt experientia, & cognitione, quæ eſt per experientiam. Quomodo, dic mihi, exiſtimatis Adamum fuiſſe in Paradiſo ? tanto melior quam illa eſt hæc vitæ degendæ ratio, quanto cœlum eſt terra melius. Ibidem.

XXIII.

Felicitas animæ in cælum aſſumptæ.

Cogita, quantum ſit, animam, cum illuc abierit, non amplius exſpectare finem illorum bonorum, nec mutationem, ſed incrementum, & vitam,

tam, quæ non habet finem, ab omni quidem periculo liberam, & ab omni animi ægritudine, & sollicitudine, plenam animo, gaudio, & bonis innumeris. Si enim in campum exeuntes, ubi videmus militum tabernacula tapetibus confixa, & lanceas, & galeas, & clypeorum umbones resplendentes, stupentes, & suspensos nos tenet admiratio; si autem contigerit videre regem in medio currentem; aut etiam cum armis aureis equum agentem, nihil nobis deesse existimamus? Quid putas, quando viderimus æterna Sanctorum tabernacula fixa in cœlis: *Recipiant* enim, inquit, *vos in æterna tabernacula*; (*k*) quando videris unumquemque resplendentem plusquam radii solis, non ex ære, & ferro, sed ex illa gloria, cujus fulgores non potest videre humanus oculus? Et hæc quidem in hominibus. Quid vero dixeris multa Angelorum millia, Archangelorum, Cherubim, Seraphim, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, quorum pulchritudo omnem superat intelligentiam? Sed enim quousque non desistam ea persequi, quæ non possunt comprehendi? Neque enim oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ Deus præparavit iis, qui ipsum diligunt. Nihil ergo est miserabilius iis, qui non assequuntur, neque beatius iis, qui assequuntur. Simus ergo nos ex beatis, ut æterna consequamur bona in Christo Jesu Domino nostro. Tom. 12. hom. 6. in epist. ad Hebr. cap. 6. num. 4.

(*k*) Luc. 16, 9.

XXIV.

Gloria cœlestis inamissibilis. — Gloria vera quænam.

Volo, inquit, *ut, ubi ego sum, & illi sint, ut videant gloriam meam, quam dedisti mihi.* (*l*) (*) Discamus ergo, quinam hi sunt, & beatos illos prædicemus, cogitantes, quantis illi fruituri sint bonis; quantæ gloriæ, quantæ lucis participes futuri sint. Præsens quippe gloria nullius pretii est, & instabilis. Si maneat, ad mortem usque tantum manet, ac deinde protinus extinguitur: *Neque* enim *descendet cum eo gloria ejus*, (*m*) inquit. Plurimos autem hic neque ad finem usque comitatur. De illa vero gloria nihil tale suspicari licet. Sed manebit illa, nec unquam finem habebit. Talia autem erunt illa, quæ Dei sunt, firma, nec mutationi, nec fini obnoxia. Non enim illa gloria ab exterioribus, sed ab interioribus manat; verbi gratia, non a curribus gloria illa erit. Sed absque illis vis gloriæ circumfluet. Nunc enim, si hæc absint, gloria vacuus erit, illic vero secus. In balneis nudos videmus claros simul, & nullius pretii viros, immo etiam malos; in foro autem sæpe divites multi periclitati sunt, cum casu quopiam servi ipsos deseruissent. Illic autem quivis gloriam suam secum habet ubique: ac sicut Angeli,

---

(*l*) Joan. 17, 24.

(*) Vulgata habet: *Volo, ut, ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.*

(*m*) Psal. 48, 18.

li, ubicunque apparuerint, secum gloriam habent: ita etiam Sancti. Immo vero sicut sol non opus habet vestimento, nec alia re quapiam; sed statim atque apparet, gloriam fulgoris sui emittit: ita etiam tunc erit. Tom. 11. hom. 2. in 1. epist. ad Timoth. cap. 1. n. 2.

XXV.

In vestium amictu nemo glorietur.

Persequamur ergo gloriam illam, qua nihil venerabilius; relinquamus hanc, qua nihil abjectius. *In vestitu ne glorieris unquam*, (*n*) inquit. Hæc pridem prædicebantur infantibus. Nam saltator, meretrix, & scenicus gratiosiora te, & perniciosiora vestimenta circumferunt. Præterea vero de re gloriaris, quam si tineæ invadant, ejus te voluptate privabunt. Vides, quam incerta res sit hujus vitæ gloria? gloriaris in re, quam vermes pariunt, & perdunt. Tom. 2. Ibid.

XXVI.

Datur cœlum, & in eo Ecclesia triumphans.

Quod & superne sit civitas, Ecclesia, ac celebritas, audi Paulum dicentem: *Accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis &c.* (*o*) Non solum autem ob multitudinem virtutum cœlestium, verum etiam

(*n*) Eccli. 11, 4. (*o*) Hebr. 12, 22. & 23.

etiam ob abundantiam bonorum, ac juge gaudium, & lætitiam, panegyrim, hoc est, frequentiam appellat totam illam vitam. Nec enim aliud panegyrim facere solet, quam multitudinis coetus, mercium venalium copia, cum triticum, hordeum, & omnigenæ frugum species, ovium greges, boum armenta, vestes, aliaque id genus plurima importantur, aliis quidem vendentibus, aliis vero ementibus. Sed quid, inquis, horum rerum est in cœlis? Horum quidem nihil, sed sunt his multo præclariora. Non enim illic sunt triticum, hordeum, ac frugum variæ species, sed illic ubique fructus Spiritus, charitas, gaudium, bonitas, pax, ac mansuetudo summa exuberat copia. Non ovium greges, non boum armenta, sed Spiritus Justorum perfectorum . . . hic Angelorum infinita millia, illic multa millia Archangelorum, alibi sodalitia Prophetarum, alibi Martyrum Chori, Apostolorum ordines, cunei Justorum, omniumque, qui Deo placuerunt, varii cœtus . . . Et nostræ quidem celebritates sub meridiem plerumque solvuntur, illa vero non item. Neque enim mensium in orbem recursus, neque annorum circuitus, neque dierum numerum exspectat: sed stat perpetuo, illiusque bona nullo termino clauduntur, finem non habent, nec senescere, nec marcescere possunt, sed sunt tum senii, tum mortis expertia. Nullus illic tumultus, quemadmodum hic, nulla turbatio, sed ingens omnium cum ordine compositio, haud secus atque in cithara quapiam, modulatissimum concentum, & quavis musica suaviorem reddentium utriusque creaturæ Domino, dum anima illic velut

in

in ſacris adytis, divinisque myſteriis, divinorum arcanorum celebritatem peragit. Tom. 1. hom. 6. de B. Philog.

XXVII.

Non terrena ſed cæleſtia appetenda. — Ædificia ſplendida quid ſint in contemplatione cæli.

Scena quædam eſt vita præſens, & ſomnium. Sicut enim in ſcena, ſublato ſcenæ apparatu, varietates aliæ ſolvuntur, & ſomnia adveniente ſolari radio omnia avolant; ita cum conſummatio advenerit, & communis illa, & ſingulorum, omnia ſolvuntur, & evaneſcunt. Et arbor quidem, quam plantaſti, permanet, atque domus, quam ædificaſti; artifex autem, & agricola abducuntur, & pereunt: & cum hæc ita fiant, neque ſic veremur; ſed quaſi immortales hæc omnia apparamus, deliciantes, & voluptati operam dantes. Audi, quid dicat Salomon, qui præſentium rerum periculum fecerat: *Ædificavi mihi domos*, inquit, *plantavi hortos, atque pomaria, vineas, & piſcinas aquarum, argentum, & aurum fuit mihi: feci mihi cantores, & cantatrices, greges, & armenta* . . (*p*) (*) Quid ergo? Hæc nihil illi profuere. Sed poſt hæc omnia, quid dixit? *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas* . . . Credamus illi, & res ſectemur, in queis non ſit vanitas . . . Quid ſic optandum, ut æternis illis bonis frui? Nihil utique. Neque enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcen-

(*p*) Eccl. 2, 4. (*) Videatur Vulgata.

ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. (q) Illa consequi studeamus, hæc despiciamus. Nonne sæpissime hæc respuentes dicimus, nihil esse vitam humanam? quid de nihilo curas? Quid pro nihilo labores suscipis?

Sed vides splendida ædificia; & eorum te fallit aspectus. Sed statim respice in cœlum: a lapidibus, & columnis te avertens, illam pulchritudinem contemplare: & videbis esse ista ceu formicarum, & culicum opera. Aspectu illo te ad philosophiam referas. Ascende ad cœlestia. Inde disce, quid sint ædificia splendida; & videbis ista esse nulla alia, quam puellarum crepundia . . . . Quousque his affixi erimus? quosque in terram infigemur, & sicut vermes in luto volutabimur? Corpus nobis dedit Deus ex terra, ut illud in cœlum inducamus, non ut per ipsum animam in terram trahamus. Tom. 11. hom. 15. in epist. ad Timoth. cap. 6.

XXVIII.

Regnum cœlorum vim patitur.

Rapere bonum est, at non peritura, sed regnum cœlorum; nam *violenti*, inquit, *rapiunt illud*. (r) Non igitur desides possumus illud consequi, sed cum diligentia, & studio. Sed quid sibi vult *violenti*? Violentia multa est opus. Nam angusta est via, & strenuo opus est animo. Qui rapiunt, omnes volunt antevertere. Nihil respiciunt, non damnationem, non supplicium, sed unum tantum, id rapere, quod appetunt,

(q) 1. Cor. 6, 9. (r) Matth. 11, 12.

tunt: omnes, qui ante sunt, antevertere studenti Rapiamus ergo regnum cœlorum. Non est culpa id rapere, sed laudi datur, culpa vero est non rapere. Hic divitiæ nostræ non in alterius detrimentum vertuntur. Studeamus ergo illud rapere. Si ira, si concupiscentia instent, naturæ vim inferamus, mansuetiores simus, paululum laboremus, ut perpetuo quiescamus. Ne rapias aurum; sed illas rape divitias, quæ te aurum pro luto habere suadeant. Dic mihi, si plumbum, & aurum prostarent, quid raperes? Nonne aurum? Tu vero ubi is, qui rapit, punitur, quod majus est, honoras; ubi autem raptor honoratur, quod majus est prodis. Quodsi utrinque punitio esset, an non ad hoc magis venisses? Hic autem nihil tale est, sed beatitudo. Et quomodo, inquies, rapi potest? Projicere ea, quæ pro manibus habes. Donec enim hæc tenueris, illa rapere non potes. Cogita virum argento plenas manus habentem; num poterit hoc retento aurum rapere, nisi illud prius projiciat, & expeditus sit? Raptorem enim expeditum esse oportet, ne retineatur. Nam sunt quædam adversariæ potestates, quæ nos invadunt, ut illud auferant. Sed fugiamus illas, fugiamus, nullam relinquamus foris ansam. Funes incidamus, nudi rebus sæcularibus simus . . . ut promissa consequamur bona. Tom. 8. hom. in Joan. 54. alias 53.

XXIX.

Non sufficit tantum velle, sed velle, ut oportet salvari.

Si volueritis, & me audieritis, bona terræ comedetis. Isai. 1, 19. At fortasse dicet quispiam, volo; & nemo ita stultus est, ut nolit: sed non sufficit mihi velle. Atqui sufficit, si velis, ut oportet, & ea facias, quæ volentis sunt. Nunc autem non admodum vis: & hoc in aliis exploremus, si placet. Dic enim mihi, qui vult uxorem ducere, satisne habet, quod velit? Nequaquam; sed etiam pronubas quærit, & amicos rogat, ut secum vigilent, pecuniasque colligit. Rursus mercator, non domi sedens satis habet, quod velit; sed navem conducit, & nautas, remigesque colligit, pecuniam dat fœnori, & de locis, deque rerum venalium pretio curiose inquirit. Quomodo igitur non absurdum fuerit in terrenis tantam adhibere curam; cœlum autem emere volentes, sola voluntate contentos esse? imo vero ne hoc ipsum cum congruenti diligentia præstare? Nam qui vult, ut oportet, res quoque aggreditur, quæ ad rem expeditam ducunt. Nam quia esuries necessitatem affert cibi, non exspectas, ut alimenta sponte sua ad te veniant, sed nihil non agis, ut escam colligas. Et in siti, & in frigore, in aliisque rebus gnavus es, & ad curam corporis paratus. Hoc ergo circa regnum cœlorum facito, & omnino ipsum consequeris. Ideo namque libero arbitrio te præditum fecit Deus, ut ne postea accuses eum quasi necessitate colligatus. Tom. 10. hom. 14. in epist. 1. ad Cor.

XXX.

Refutantur dicentes, viam virtutis, quæ ad cœlum ducit, esse nimis asperam.

Sed virtus, inquies, onerosa est, & molesta: cum vitio autem multum commiscetur voluptatis; & hoc quidem latum est, & spatiosum, virtus autem arcta, & angusta. Num, quæso, semper ab initio ambo ejusmodi fuerunt? De virtute enim invitus dicis ea, quæ dicis; ita potens est veritas. Nam si duæ essent viæ, quarum alia ad fornacem, alia ad paradisum duceret, & lata quidem ad fornacem, arcta vero ad paradisum; utram eligeres viam? Etiamsi enim nunc disputans contradicas, quantumvis impudens fueris, iis, quæ in confesso sunt, non poteris contradicere . . . Non hoc, inquies, dico; sed cur virtus non viam latam habet? Atqui si velimus, admodum facilis erit. Quid enim, quæso, facilius est, murumne perforare, & aliorum bonis direptis in carcerem conjici; an suis contentum, omni metu esse liberum? atqui non dixi totum. Quid enim facilius, dic mihi, an cum omnia bona subripueris, & ex paucis breve tempus in deliciis egeris, immortaliter torqueri, & flagris cædi, an cum in justa paupertate vixeris parvo tempore, perpetuo postea in deliciis agere? Nondum examinemus, quid sit fructuosius, sed interim, quid sit facilius. Quid jucundius gratum videre somnium, & vere supplicio affici; aut molestum somnium vidisse, & vere deliciari? an non palam est hoc jucundius esse? Quomodo igitur, dic mihi, asperam dicis virtutem? Aspera enim est, si cum negligentia

gentia nostra comparetur. Quod enim sit facilis, & suavis, audi, quid dicat Christus: *Jugum meum suave est, & onus meum leve* (*s*). Si autem non sentis levitatem, perspicuum est, te non robustum habere animum. Sicut enim, cum talem habes, onerosa levia sunt; sic, cum non habes, levia sunt operosa. Quid enim, quæso, suavius erat, quam mensa ex manna, quid paratu facilius? Sed ægre ferebant Judæi talibus fruentes deliciis. Quid fame acerbius, nec non aliis laboriosis, quæ passus est Paulus? At ille exultabat, delectabatur ac dicebat: *Nunc gaudeo in passionibus meis* (*t*). Quæ ergo est causa? Animi differentia. Si igitur animum, ut oportet, adornaveris, virtutis facilitatem videbis. Tom. 10. hom. 14. in epist. 1. ad Cor.

XXXI.

Cœlum non pecuniis emitur; secus pauperes æternum excluderentur.

Non desperet quispiam: non sunt cœlestia pecuniis proposita venalia: non illa pecuniæ emunt, sed electio, atque animus hominis pecunias projicientis; sed philosophia, sæcularium rerum despectus, humanitas, misericordia. Cæteroqui, si argento emerentur, quæ duo minuta projecit, nihil sane magnum accepisset (*u*): nunc quoniam non argentum, sed electio hanc vim habet, omnem illa animi propensionem afferens,

(*s*) Matth. 11, 30.
(*t*) Col. 1, 24.
(*u*) Luc. 21.

ferens, omnia accepit. Itaque ne dicamus, pecuniis regnum emi; non pecuniis, sed electione, quæ per pecunias exhibetur. Ergo opus est, inquis, divitiis? non divitiis opus est, sed certa voluntate, Si hanc habeas, vel duobus minutis poteris regnum emere, sin minus, neque mille auri talenta tantumdem poterunt, ac duo minuta possunt, Cur? quoniam cum multa habens pauciora dedisti, eleemosynam quidem fecisti, sed non tantam, quantam vidua illa. Non enim tantam adhibuisti alacritatem, & animi propensionem, atque illa. Illa enim omnia sibi abstulit; potius autem non abstulit, sed omnia sibi ipsi donavit: non enim aureis talentis regnum pactus est Deus, sed animi propensione; non morte, sed electione. Tom. 11. hom. 15. in epist. ad Philipp. cap. 4.

NOVEMBER.

DE INJURIIS CONDONANDIS.

I.

Qui se ipsum injuria non afficit, a nemine lædi potest.

Nullus ex iis, qui se ipsos injuria non afficiunt, ab aliis lædi potest, quamvis de vita sit periculum subeundum. Quid enim læsus est Abel, quod fraterna manu sit occisus, & immaturam, & violentam mortem sit passus? Nonne

ne potius id lucratus est, ut splendidiorem coronam referret? Quid porro Jacob, qui tantis a fratre incommodis est affectus, & loco pulsus, exsul, extorris, ac servus factus ad extremam famem est redactus? Quid vero Joseph, qui pari ratione loco, domoque pulsus, captivus, & servus, & vinctus evasit, in extremum vitæ discrimen adductus, & cum in patria, tum peregre tam multis est calumniis appetitus? Quid autem Moyses a tanto populo millies lapidatus, & ab iis, de quibus bene meritus erat, insidias passus? Quid omnes Prophetæ, quibus tot intulere mala Judæi? Quid Job ipso, quem innumeris machinis diabolus oppugnavit? Quid tres pueri? Quid Daniel, qui vitæ, libertatis, & capitis summum subiere discrimen? Quid vero Helias, qui summa pressus inopia, sedibus suis pulsus, fugitivus, incola deserti, semper exsul, & extorris est factus? Quid tandem David, qui tot a Saule malis, tot deinde a proprio filio est affectus, nonne illustrior evasit, summis oppressus incommodis, quam cum prospere cuncta succederent? Quid demum Joannes capite truncatus? Quid Apostoli, quorum alii capite truncati sunt, alii cæteris suppliciis affecti? Quid Martyres, qui in mediis tormentis gravissimis animam posuerunt? Nonne omnes isti tum maxime illustres fuerunt, cum appetebantur injuriis, cum insidiis obsidebantur, cum ultima omnia passi constanter ferebant? Tom. 8. lib. ad eos, qui scandalizati sunt. pag. 502.

II. In-

II.

Injuria solum nocet injurianti.

Cum igitur neque pecuniæ jactura, neque calumniæ, & convitia, neque exsilium, neque morbi, neque cruciatus, neque id ipsum, quod omnibus terribilius esse videtur, mors, perferentibus damnum afferat, sed utilitatem potius: quibus rebus potes ostendere quempiam lædi, quando his non læditur? Ego enim contrarium demonstrare conabor: nempe, qui maxima damna, ac detrimenta, & incurabiles clades perferant, eos esse, qui inferunt. Quid enim miserabilius esse possit, quam Cain, qui talibus modis fratrem accepit? Quid infelicius uxore Philippi, quæ Joanni caput abscidit? Quid fratribus Joseph, qui eum venumdederunt, & in exilium relegarunt? Quid diabolo, qui Job tot malis affecit? Non enim cæterorum duntaxat scelerum, sed ita quoque non vulgares insidiarum pœnas dabit. Cernis & hic plura, quam pollicita fuerat, orationem demonstrasse? Non modo nullum incommodum eos, qui perferunt insidias, ab insidiatoribus accipere, verum etiam id omne in caput insidiantium converti? Quoniam enim nec in divitiis, neque in libertate, neque in habitanda patria, neque in cæteris, quæ dixi, hominis sita est virtus, sed in animæ recte factis: merito cum horum fit jactura, nihil detrimenti accipit virtus hominis. Tom. 3. lib. quod nemo læditur &c.

III. *Af-*

III.

Affectus gravi injuria nullum verbum maledicum edat, juxta exemplum Jobi, & Pauli.

Quid igitur, si ipsius animæ philosophiæ jacturam quis faciat? Neque hic, si læditur, ab alio læditur, sed a se ipso; quomodo, inquies, a se ipso? Cum quis cæsus a quopiam, aut facultatibus exutus, aut aliquam aliam gravem perpessus injuriam, blasphemum aliquod verbum protulit, hic affectus est ille quidem damno, eoque maximo, non tamen ab injurio, sed a propria pusillanimitate. Quod enim ante dixi, etiamnum dicam, nullum hominem, mille licet nocendi artibus imbutum, infesto illo dæmone, & implacabili nostro hoste diabolo pejus aliquid cuipiam infligere posse, aut acerbius: at istum sævum dæmonem tum non valuisse contra eum, qui ante legem, ante gratiam vixit (*) nec potuit tot in illum, tamque gravibus immissis undique jaculis, supplantare, & dejicere. Tanta est animæ generositas. Quid vero Paulus? an non pertulit tot mala, quæ ne recensere quidem facile est? Carceres inhabitans, vinctus catenis, actus, & circumactus, flagellis cæsus a Judæis, lapidatus, non loris tantum, sed etiam virgis humeros laceratus, in mare demersus, sæpe in latrones incidens, intestinum bellum ferens, ab inimicis, ab amicis jactatus continenter, infinitis insidiis exagitatus, cum fame, & nuditate luctatus, alios crebros, & assiduos casus, & afflictiones perpessus: quid opus est multis? quotidie moriens.

(*) Jobum intelligit.

riens. Sed tum tot tantaque passus, non modo nullum verbum maledicum edidit, sed gaudebat his rebus, & gloriabatur, atque alias, *gaudeo*, inquit: *in passionibus meis* (x); alias: *non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus* (y). Si igitur ipse tanta perferens gaudebat, & gloriabatur, quæ venia dabitur, quæ excusatio tibi, qui nec minimam illorum partem sustines, & tamen maledicis? Tom. 3. lib. *quod nemo læditur* &c.

IV.

Injuriæ utiles patienter ferenti.

Danieli leones non nocuerunt; nobis autem, si vigilemus, utiles erunt ii, qui injuriam inferunt. Ita & Paulus splendidus evasit ab iis, qui ipsi molestias, & insidias inferebant; sic Job a multis plagis; sic Jeremias a lacu luti; sic Noë a diluvio; sic Abel ab insidiis; sic Moyses a sanguinariis Judæis; sic Elisæus, sic magnorum illorum singuli, non a quiete, & voluptate, sed ab ærumnis, & tentationibus, splendide coronati sunt. Ideo Christus, hanc cum nosset rei eximiæ gerendæ rationem, discipulis dicebat: *In mundo tribulationem habebitis; sed confidite, ego vici mundum* (z). Quid ergo, inquies, an non multis ab ærumnis subversi sunt? Non ob tentationum naturam, sed ob suam ignaviam. Qui autem facit cum tentatione proventum, ita ut possimus sustinere, ipse adsit omnibus nobis, & ma-

(x) Col. 1, 24.
(y) Rom. 5, 3.
(z) Joan. 16, 33.

manum porrigat, ut splendide celebrati æternas consequamur coronas. Tom. 9. hom. 3. in epist. ad Rom.

V.

Penes nos est, ut ne mala patiamur.

Christus non cædem modo prohibet, sed & iram quoque, non fornicationem tantum; sed & lascivum aspectum; non perjurium, sed & quodvis juramentum. Neque in hoc virtutis modo consistit: sed postquam eam legem posuit, ad majorem progreditur. Postquam enim a cædibus avertit, iramque prohibuit, jubet paratum esse ad mala sustinenda, neque modo ad tanta subeunda, quanta vult insidiator; sed etiam ad procedendum ulterius, ita ut per philosophiæ tuæ excellentiam ejus insaniæ magnitudinem superes. Neque enim dixit, si quis te percusserit in maxillam dexteram, fer generose, & quiesce; sed addidit, ut alteram ei præbeas. Verte enim, inquit, illi & alteram (*a*). Hæc splendida est victoria, plus illi præbere, quam ipse velit, & pravæ voluntatis illius terminos patientiæ largitate superare. Sic illius insaniam sedabis, & prioris facti mercedem ex posteriore facies, illiusque iram mitigabis. Videndum penes nos semper esse, ut ne mala patiamur, non penes illos, qui mala inferunt? Tom. 9. hom. 12. in epist. ad Rom.

VI.

Qui ab alio læditur beneficio afficitur.

Imo potestatem habemus, non ut mala non patiamur tantum, sed etiam ut beneficio afficiamur.

(*a*) Matth. 5, 39.

mur. Id quod eſt maxime admirandum, quod non modo non lædamur, ſi vigilemus; ſed etiam beneficio afficiamur ab iis, qui nos lædunt, & ab aliis. Rem perpende: te injuria quispiam affecit? in poteſtate tua eſt hanc injuriam in laudem tuam vertere. Nam ſi injuriam injúria repellas, turpitudinem auxiſti; ſin benedixeris ei, qui te injuria affecit, videbis omnes, qui præſentes ſunt, te coronantes & celebrantes. Videndum quomodo a quibus injuria afficiamur, ab iis beneficia accipiamus, ſi velimus? Hoc ipſum in pecuniis, hoc in plagis, hoc in cæteris omnibus, quæ perpeſſi ſumus, & ex beneficiis, quæ præſtitimus, duplicem nobis coronam contexemus. Cum ergo accedens quispiam dixerit: ille talis te injuria affecit, & male de te apud omnes loqui non ceſſat; apud te loquentem lauda eum, qui injuriam intulit. Sic enim, ſi illum ulciſci velis, potes ab eo pœnas repetere. Nam qui audiunt, etiamſi ſenſu careant, te laudabunt, illum vero ut fera quavis immaniorem odio habebunt: quoniam ille nihil læſus mala intulit; tu vero etiamſi male affectus contraria rependiſti. Sicque dicta illa omnia ut futilia exhibere poteris. Etenim qui mordetur, ſi doleat, oblati criminis ſe ſibi conſcium eſſe declarat: qui autem hæc deridet, hoc ipſo ſe præſentibus vel ſuſpicione liberum demonſtrat. Perpende igitur quot bona inde colligas; primo te ipſum a perturbatione & commotione liberas. Deinde (hoc enim primo cenſeri debet) ſi in peccatis ſis, illa abſtergis, ut publicanus ille, qui phariſæi accuſationem patienter tulit. Ad hæc, per hujusmodi exercitationem animum tuum philo-

ſophum reddis, & mille laudibus apud omnes frueris, & dictorum vel ſuſpicionem amoves. Ib.

VII.

Ab injuriato vindicta Deo relinquenda.

Quod ſi illum (*) ulciſci cupias, hæc ex abundanti ſequetur, Deo criminationis ab illo pœnas exigente, philoſophicaque tua, ante pœnas illas, plagam ipſi gravem inferente. Nihil enim ita eos, qui nobis injuriam inferunt, mordere ſolet, ut cum nos illas, quibus affecti ſumus, injurias deridemus. At ſicut ſi philoſophice agamus, tot tantaque bona aderunt; ſic ſi rixas & ſimultatem exerceamus, contraria omnia contingent. Etenim nos ipſos dedecore afficimus, ac nos iis, quæ dicta ſunt obnoxios eſſe a præſentibus exiſtimamur; animam tumultu replemus, & inimicum gaudio afficimus, Deum irritamus, & peccatis prioribus hoc addimus. Hæc itaque omnia cogitantes, ſimultatum barathrum vitemus, & ad portum tolerantiæ confugiamus, ut & hic inveniamus requiem animabus noſtris, ut Chriſtus pronunciavit, & futura conſequamur bona, gratia & benignitate Domini noſtri Jeſu Chriſti. Tom. 9. hom. 2. in epiſt. ad Rom.

VIII.

Non qui malum patienter patitur, ſed qui infert, malo afficitur.

Si manſuetudinem exhiberemus, inſuperabiles eſſemus omnibus, nemoque ſive parvus, ſive mag-

(*) Qui te injuria affecit.

magnus, vel tantillum nocere possent. Si enim quis maledixerit tibi, te ille nihil, se vero multum læserit. Si tibi injuriam fecerit, damnum penes inferentem injuriam erit. Non vides in judiciali foro, quod qui injuria affecti sunt, splendidi & cum multa fiducia stent libere loquentes; qui vero læserunt demisso capite, cum pudore & metu versentur? Et quid dico accusationem & justitiam? Etiamsi gladium inimicus contra te acuerit, dexteramque in guttur immerserit, te quidem nihil læsit, seseque jugulavit. Sermoni fidem facere possit, is qui primus sic interfectus est fraterna manu. Ille enim ad tranquillum portum abiit, immortalem adeptus gloriam; alter vero vita quavis morte miseriore vixit, gemens ac tremens, & in corpore accusationem sceleris circumferens. Ne itaque hoc, sed illud persequamur. Qui enim male patitur, non habet manens in se malum; neque enim ipse malum peperit; sed aliunde illud accepit, & per patientiam bonum reddidit: qui autem malum intulit, in se plagam nequitiæ habet. An non Joseph in carcere erat, insidiatrix vero ejus adultera in ædibus splendidis, & illustribus? quem malles esse? Necdum tum mercedem dixeris, sed ipsa utrinque facta per se perpende: sic enim longe præferes carcerem cum Josepho ædibus illis, in queis scortum erat. Nam si utriusque animam videris, hanc in latitudine, & fiducia multa videbis; Ægyptiæ vero animam, in angustia, pudore, mœrore, tumultu, multaque tristitia. Quamquam illa vincere videtur: at non erat hæc victoria. Hæc cum sciamus, ad mala patienda nos præparemus, ut a malis tan-

dem liberemur, & futura bona consequamur. Tom. 9. hom. 12. in epist. ad Rom.

IX.

Injuriarum memoria deponenda, secus haud satis quis præparatur ad S. Communionem.

Nullus in solo jejunio fiduciam habeat, qui vitiis sine emendatione inhæsit. Fas enim est, eum, qui non jejunaverit, veniam consequi, excusata nimirum corporis imbecillitate: ei vero, qui non castigaverit delicta, impossibile est, ut ullam excusationem instituat. Non jejunasti ob corporis infirmitatem: sed dic mihi, cur inimicis tuis reconciliatus non es? an hic habes, unde prætendas corporis infirmitatem? Rursum si odium, invidiamque retineas, quid possis excusationis allegare? Nusquam enim in istiusmodi delictis ad corporis imbecillitatem confugere licet. Atque id Christi humanitatis opus est, quod præcipua, & vitam nostram continentia præcepta, nihil a corporis infirmitate lædantur. Cæterum quoniam æque omnibus sacris legibus indigemus, ac in primis illa, quæ interdicit inimicitias, irarumque perpetuitatem, sed reconciliationem statim fieri jubet, age, de hoc præcepto nunc in præsentia disputamus. Ut enim fornicantem, blasphemantemque impossibile est sacræ mensæ participem fieri, ita quoque, qui inimicitias fovet, aut in ira pertinax est, non potest frui sancta communione. Tom. 2. hom. 20. ad pop. antioch. Vide de S. Communione 28. Junii.

X. Qui

X.

Qui iram non refrænat, in cruciatu vivit.

Quod si nec gehenna immineret odio laborantibus, saltem ob ipsius odii cruciatum, peccata proximorum condonanda essent: cum autem æterna nos supplicia maneant, quid stultius, quam & hic, & illic semetipsum mulctare, dum de altero se credit ultionem sumere? Si enim florentem illum videamus, mœrore perimus: sin afflictum, veremur, ne fortuna se in melius commutet: utriusque culpæ nobis pœna indeprecabilis constituta est. *In supplantatione inimici ne te efferas*, inquit Scriptura. Ne mihi alleges injuriarum acceptarum molem: non enim illud in te facit pertinaciam irarum, sed quod parum memor es tuorum delictorum, neque gehennam ante oculos habes, aut Dei timorem. Ut autem condiscas, id verum esse, ex casibus istius urbis documenta promam. Cum enim rei istorum facinorum ad judicium trahebantur, ac flamma intus incendebatur, circumstantibus carnificibus, ac latera discerpentibus, si quis ibi assistens, ita eos ex adverso allocutus fuisset: si habetis inimicos, mittite simultatem, & ex isto supplicio vos liberare poterimus, an non cum osculis ad illius pedes se devolvissent? imo quid de pedibus loquor? Si quis servitutem illis proposuisset, non eam conditionem aspernati fuissent. Quodsi humana pœna, quæ terminum habet, quaslibet iras superat, multo magis futurum supplicium: si memoria ejus perpetuo nostras mentes teneret, non solum simultatem, sed & omnes cogitationes, ab animo excluderet. Ib.

XI.

Injuriam condonare facile est.

Quid facilius, dic quæso, quam homini, qui te læserit, iram remittere? non enim longis ad id peregrinationibus opus est, non pecuniarum insumptu, non aliorum exorationibus; sufficit, ut tantum velis, ac jam virtus illa suum opus explevit. Qua igitur pœna digni non fuerimus, si sæcularium rerum causa, & servilia sustinemus ministeria, & præter dignitatem inservimus, pecunias expendimus, cum janitoribus fabulamur, ut scelestis hominibus adulemur; omnia denique & dicimus, & facimus, ut proposita efficiamus: pro divina autem lege, fratrem, qui læsit, non solum non sustinemus exorare, sed & inter probra ducimus, eum priores adire? An vero tibi probro esse putas, si tu prior lucrum reportes? imo vero verecundiæ esse debet, si in eo affectu persistas, exspectesque, donec injuriæ auctor pro reconciliatione te adeat, id probrum, id vitium, id ingens damnum. Qui enim prior venit, is totum lucrum anticipat. Si enim ab alio exoratus iram relinquis, illi bonum opus imputatur: non enim Deo obtemperans, sed illi gratificans legem adimplesti; quod si nemine intercedente, neque illo, qui te læsit, adeunte, aut preces adhibente, ipse rejecto ipso pudore nihil cunctatus, ad injuriæ auctorem accurreris, eique iras tuas resolveris, tuum ex toto fit illud officium, universamque mercedem ipse recipies. Ibid.

XII.

Nemo se excusare potest, quod injuriam sibi illatam non remittat.

Si dixero, jejuna, corporis imbecillitatem mihi subinde obtendis: si dixero, des pauperi, allegas contra tuam tenuitatem, & onus educandorum liberorum: si dixero, des operam sacræ synaxi, sæculares curas affers: si dixero, attende concionibus, ac doctrinæ vim intellige, imperitiam clamas: si dixero, fac, ut alium emendes, respondes illum tuis monitis non obtemperaturum; sæpe eum te inter dicendum aspernatum fuisse. Frigidæ quidem istæ sunt causificationes, sed causificationes tamen. Quod si dixero, iram dimitte, quid istorum allegare poteris? non corporis imbecillitatem, non paupertatem, non imperitiam, non occupationes; nil certe istorum obtendi potest: quapropter minime omnium hoc peccatum veniam meretur. Ibid.

XIII.

Deus non remittit nobis, si non remittimus aliis.

Quomodo poteris manus in cætum extendere, aut linguam movere, aut veniam postulare? Si enim voluerit tibi Deus peccata condonare, tu id non permittis, cum adversus conservum offensum animum retineas? Sed crudelis est, inquis, & efferus, pœnæ vindictæque avidus: quin ob id ipsum peccata remitte: multas injurias tulisti, multis spoliatus es, sæpe convitia audisti, in maximis rebus damnum passus es, ac pro-

dem liberemur, & futura bona consequamur. Tom. 9. hom. 12. in epist. ad Rom.

IX.

Injuriarum memoria deponenda, secus haud satis quis præparatur ad S. Communionem.

Nullus in solo jejunio fiduciam habeat, qui vitiis sine emendatione inhæsit. Fas enim est, eum, qui non jejunaverit, veniam consequi, excusata nimirum corporis imbecillitate: ei vero, qui non castigaverit delicta, impossibile est, ut ullam excusationem instituat. Non jejunasti ob corporis infirmitatem: sed dic mihi, cur inimicis tuis reconciliatus non es? an hic habes, unde prætendas corporis infirmitatem? Rursum si odium, invidiamque retineas, quid possis excusationis allegare? Nusquam enim in istiusmodi delictis ad corporis imbecillitatem confugere licet. Atque id Christi humanitatis opus est, quod præcipua, & vitam nostram continentia præcepta, nihil a corporis infirmitate lædantur. Cæterum quoniam æque omnibus sacris legibus indigemus, ac in primis illa, quæ interdicit inimicitias, irarumque perpetuitatem, sed reconciliationem statim fieri jubet, age, de hoc præcepto nunc in præsentia disputamus. Ut enim fornicantem, blasphemantemque impossibile est sacræ mensæ participem fieri, ita quoque, qui inimicitias fovet, aut in ira pertinax est, non potest frui sancta communione. Tom. 2. hom. 20. ad pop. antioch. Vide de S. Communione 28. Junii.

X. *Qui*

X.

Qui iram non refrænat, in cruciatu vivit.

Quod ſi nec gehenna immineret odio laborantibus, ſaltem ob ipſius odii cruciatum, peccata proximorum condonanda eſſent: cum autem æterna nos ſupplicia maneant, quid ſtultius, quam & hic, & illic ſemetipſum mulctare, dum de altero ſe credit ultionem ſumere? Si enim florentem illum videamus, mœrore perimus: ſin afflictum, veremur, ne fortuna ſe in melius commutet: utriusque culpæ nobis pœna indeprecabilis conſtituta eſt. *In ſupplantatione inimici ne te efferas*, inquit Scriptura. Ne mihi alleges injuriarum acceptarum molem: non enim illud in te facit pertinaciam irarum, ſed quod parum memor es tuorum delictorum, neque gehennam ante oculos habes, aut Dei timorem. Ut autem condiſcas, id verum eſſe, ex caſibus iſtius urbis documenta promam. Cum enim rei iſtorum facinorum ad judicium trahebantur, ac flamma intus incendebatur, circumſtantibus carnificibus, ac latera diſcerpentibus, ſi quis ibi aſſiſtens, ita eos ex adverſo allocutus fuiſſet: ſi habetis inimicos, mittite ſimultatem, & ex iſto ſupplicio vos liberare poterimus, an non cum oſculis ad illius pedes ſe devolviſſent? imo quid de pedibus loquor? Si quis ſervitutem illis propoſuiſſet, non eam conditionem aſpernati fuiſſent. Quodſi humana pœna, quæ terminum habet, quaslibet iras ſuperat, multo magis futurum ſupplicium: ſi memoria ejus perpetuo noſtras mentes teneret, non ſolum ſimultatem, ſed & omnes cogitationes, ab animo excluderet. Ib.

XI.

Injuriam condonare facile est.

Quid facilius, dic quæso, quam homini, qui te læserit, iram remittere? non enim longis ad id peregrinationibus opus est, non pecuniarum insumptu, non aliorum exorationibus; sufficit, ut tantum velis, ac jam virtus illa suum opus explevit. Qua igitur pœna digni non fuerimus, si sæcularium rerum causa, & servilia sustinemus ministeria, & præter dignitatem inservimus, pecunias expendimus, cum janitoribus fabulamur, ut scelestis hominibus adulemur; omnia denique & dicimus, & facimus, ut proposita efficiamus: pro divina autem lege, fratrem, qui læsit, non solum non sustinemus exorare, sed & inter probra ducimus, eum priores adire? An vero tibi probro esse putas, si tu prior lucrum reportes? imo vero verecundiæ esse debet, si in eo affectu persistas, exspectesque, donec injuriæ auctor pro reconciliatione te adeat, id probrum, id vitium, id ingens damnum. Qui enim prior venit, is totum lucrum anticipat. Si enim ab alio exoratus iram relinquis, illi bonum opus imputatur: non enim Deo obtemperans, sed illi gratificans legem adimplesti; quod si nemine intercedente, neque illo, qui te læsit, adeunte, aut preces adhibente, ipse rejecto ipso pudore nihil cunctatus, ad injuriæ auctorem accurreris, eique iras tuas resolveris, tuum ex toto fit illud officium, universamque mercedem ipse recipies. Ibid.

XII.

XII.

Nemo se excusare potest, quod injuriam sibi illatam non remittat.

Si dixero, jejuna, corporis imbecillitatem mihi subinde obtendis: si dixero, des pauperi, allegas contra tuam tenuitatem, & onus educandorum liberorum: si dixero, des operam sacræ synaxi, sæculares curas affers: si dixero, attende concionibus, ac doctrinæ vim intellige, imperitiam clamas: si dixero, fac, ut alium emendes, respondes illum tuis monitis non obtemperaturum; sæpe eum te inter dicendum aspernatum fuisse. Frigidæ quidem istæ sunt causificationes, sed causificationes tamen. Quod si dixero, iram dimitte, quid istorum allegare poteris? non corporis imbecillitatem, non paupertatem, non imperitiam, non occupationes; nil certe istorum obtendi potest: quapropter minime omnium hoc peccatum veniam meretur. Ibid.

XIII.

Deus non remittit nobis, si non remittimus aliis.

Quomodo poteris manus in cætum extendere, aut linguam movere, aut veniam postulare? Si enim voluerit tibi Deus peccata condonare, tu id non permittis, cum adversus conservum offensum animum retineas? Sed crudelis est, inquis, & efferus, pœnæ vindictæque avidus: quin ob id ipsum peccata remitte: multas injurias tulisti, multis spoliatus es, sæpe convitia audisti, in maximis rebus damnum passus es, ac

XI.

Injuriam condonare facile est.

Quid facilius, dic quæso, quam homini, qui te læserit, iram remittere? non enim longis ad id peregrinationibus opus est, non pecuniarum insumptu, non aliorum exorationibus; sufficit, ut tantum velis, ac jam virtus illa suum opus explevit. Qua igitur pœna digni non fuerimus, si sæcularium rerum causa, & servilia sustinemus ministeria, & præter dignitatem inservimus, pecunias expendimus, cum janitoribus fabulamur, ut scelestis hominibus adulemur; omnia denique & dicimus, & facimus, ut proposita efficiamus: pro divina autem lege, fratrem, qui læsit, non solum non sustinemus exorare, sed & inter probra ducimus, eum priores adire? An vero tibi probro esse putas, si tu prior lucrum reportes? imo vero verecundiæ esse debet, si in eo affectu persistas, exspectesque donec injuriæ auctor pro reconciliatione te adeat, id probrum, id vitium, id ingens damnum. Qui enim prior venit, is totum lucrum anticipat. Si enim ab alio exoratus iram relinquis, illi bonum opus imputatur: non enim Deo obtemperans, sed illi gratificans legem adimplesti; quod si nemine intercedente, neque illo, qui te læsit, adeunte, aut preces adhibente, ipse rejecto ipso pudore nihil cunctatus, ad injuriæ auctorem accurreris, eique iras tuas resolveris, tuum ex toto fit illud officium, universamque mercedem ipse recipies. Ibid.

XII.

XII.

Nemo se excusare potest, quod injuriam sibi illatam non remittat.

Si dixero, jejuna, corporis imbecillitatem mihi subinde obtendis: si dixero, des pauperi, allegas contra tuam tenuitatem, & onus educandorum liberorum: si dixero, des operam sacræ synaxi, sæculares curas affers: si dixero, attende concionibus, ac doctrinæ vim intellige, imperitiam clamas: si dixero, fac, ut alium emendes, respondes illum tuis monitis non obtemperaturum; sæpe eum te inter dicendum aspernatum fuisse. Frigidæ quidem istæ sunt causificationes, sed causificationes tamen. Quod si dixero, iram dimitte, quid istorum allegare poteris? non corporis imbecillitatem, non paupertatem, non imperitiam, non occupationes; nil certe istorum obtendi potest: quapropter minime omnium hoc peccatum veniam meretur. Ibid.

XIII.

Deus non remittit nobis, si non remittimus aliis.

Quomodo poteris manus in cætum extendere, aut linguam movere, aut veniam postulare? Si enim voluerit tibi Deus peccata condonare, tu id non permittis, cum adversus conservum offensum animum retineas? Sed crudelis est, inquis, & efferus, pœnæ vindictæque avidus: quin ob id ipsum peccata remitte: multas injurias tulisti, multis spoliatus es, sæpe convitia audisti, in maximis rebus damnum passus es, ac pro-

proinde desideras pœnam inimici. Atqui in hoc ipsum utilis est tibi condonatio offensarum. Si enim ipse vindictæ incumbas, ultionemque sumas, sive per verba, sive per facta, sive per imprecationem, Deus ipse a sumenda ultione supersedebit, utpote te satagente circa tui ipsius vindictam. Imo non solum non persequetur pœnas injuriarum tibi illatarum, sed a te ipso mulctam exiget, ut injuriose a te habitus. Ibid.

XIV.

Ultio ab injuriato Deo relinquenda. — Injuriantibus nil mali imprecandum.

Quod si in hominibus id fit, ut verberato a nobis alieno servo, dominus illius indignetur, ac pro contumelia accipiat, ipsi quoque si injuriis afficiamur, vel a servis, vel a liberis, sententia judicum, & dominorum exspectanda est: si igitur in rebus humanis nemo sibi tuto ultionem sumit, quanto magis id observandum in rebus illis, ubi Deus ipse vindex constitutus est? Injurias aliquis tibi fecit, læsit, infinita mala inflixit: cave pœnam tuam persequare, ne dominum tuum contumeliose tractes, cede Deo, ipse negotium multo melius administrabit, quam tu cupis. Tibi solummodo jussum est, ut pro eo, qui te læsit, preces fundas: quid autem de eo statuendum sit, sibi reservari jussit.

Nunquam tibi tales ultiones assequere, quales ille instruxit, modo illi jus tuum concedas. Neque imprecationes facito adversus inimicum, sed illi relinquas arbitrium judicandi: sive enim nos injurias condonemus, sive reconciliemur, sive

five pro inimicis precemur, nisi ipsi conversi fuerint, atque in melius se mutaverint, Deus ipse non dimittet: non dimittet autem eorum utilitati studens. Te quippe laudat, tuamque philosophiam amplectitur, illum vero punit, ne tua philosophia deterior reddatur. Ibid.

XV.

Reconciliationem respuentium frivola excusatio refellitur.

Inanis est illa vulgi sententia: multi enim a nobis admoniti, super reconciliatione, ubi obtemperare non placebat, hanc excusationem prætenderunt, quæ nihil aliud fuit, quam prætextus ipsorum malitiæ, nolle scilicet se reconciliationem, ne deteriorem inimicum faciant, ne acerbiorem postea, & majorem ejus contemptum experiantur: ad hæc, illud quoque adjiciunt: vulgo existimatum iri, ipsos propter imbecillitatem priores ad reconciliationem, placationemque inimici venisse. Hæc omnia vana sunt. Oculus enim ille nunquam dormitans, novit mentem tuam, ac proinde conservorum rumusculos curare non debemus, modo judici persuadeas, qui de causa tua judicaturus est. Si aut illud tibi curæ est, ne eum deteriorem tua bonitate facias; scias velim; eum hoc pacto deteriorem non futurum: sed deteriorem potius futurum, si eum non places: nam etsi mortalium omnium scelestissimus sit, etsi non dicat, neque palam præseferat, attamen tacitus approbabit tuos philosophicos mores, conscientiaque sua tuam reverebitur mansuetudinem. Quod si

in

in eadem malignitate perstiterit, nec blanditiis emolliatur, maximam pœnam a Deo sustinebit. Ibid.

XVI.

Prius dicta confirmantur exemplo.

Ut autem discatis, tametsi nos oremus pro inimicis, & injuriosis; Deum non dimittere illis peccata, si ex nostra tolerantia deteriores fiant, veterem historiam vobis recensebo. Obtrectavit Moysi Maria: quid hic Deus? leprosam eam, & immundam fecit, probam alioqui, & castam; deinde Moyse deprecante, qui eam injuriam passus erat, ut crimen remitteret, noluit Deus, sed quid, inquit: *Si inspuens inspuтasset pater in ipsius faciem, non confusa fuisset? maneat*, inquit, *extra castra septem diebus* (b) (*). Quod autem dicit tale est. Si patrem habuisset, isque eam a conspectu suo removisset, numquid non toleraret eam increpationem? Te quidem laudo de fraterna pietate, mansuetudine, & bonitate, mihi autem notum, quando illam oporteat ab hac pœna liberari. Quamobrem & tu quoque humanitatem ostende erga fratrem, neque majoris vindictæ cupiditate delicta dimittas, sed charitate, & benigno animo. Id tibi certum habe, quod, quanto magis aspernatus fuerit tuæ placationis industriam, tanto majorem sibi pœnam coacervat. Quid ais? deterior fit

---

(b) Num. 12, 14.

(*) Vulgat. *Si pater ejus spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & postea revocabitur.*

fit colendo? id crimen ipſius, tuum autem encomium, quod, cum eum talem videres futurum, non tum ab eo colendo abſtiteris, ut divinæ voluntati ſatisfaceres: ipſius crimen, quod tua bonitate nihilo, quam antea melior redditur. Paulus vero ait, multo optabilius alios incuſari propter nos, quam nos propter alios. Ibid.

XVII.

Qui ex reſpectu humano reconciliationem non omittit, multo majorem mercedem accipit.

Ne mihi dixeris frigida iſta verba, verendum, ne ob metum me putet ad ſe accurriſſe, ac proinde majores faſtus ſumat: puerilis iſta animi ſunt, & ſtulti, & ad hominum exiſtimationem obſtupeſcentis. Pudet ſane, quod ob metum acceſſiſti: nam & ita merces tua major futura eſt, cum & iſtud præcognoſcas, & tum ob timorem Dei omnia ſuſtineas. Qui enim famam hominum aucupans, reconciliationem inſtituit, abſcinditur a remunerandi lucro: qui autem hoc ipſum plane cognitum habet, quod multi & irridebunt, & vituperabunt, neque tum vel ita abſiſtit a reconciliatione, duplicatam, & triplicatam habebit coronam. Et hic potiſſimum is eſt, qui propter Deum id fecit. Ne mihi dicas, has, & illas injurias intulit: nam, ſi quidquid malorum eſt in hominibus, id adverſus te depromſiſſet, etiam ita juſſit Deus offenſas remittere. Ibid.

XVIII.

XVIII.

Reconciliatio non differenda.

Sol, inquit, *non occidat super iracundiam vestram* (c). Si ante vesperam stomachum ponis, habes a Deo aliquam veniam: quod si ulterius tua bilis durarit, non ex ira, & indignatione raptim invadente ista simultas, sed ex malitia, ac mente scelerata, & scelerum meditatrice exoritur. Non illud solum grave est, quod te venia spolias, sed quod difficiliorem tibi reddis usum istiusmodi virtutis exercendæ: nam una die elapsa grandescit vitium, augetur ex secunda die, quod si tertia, & quarta accesserit lux, addetur quinta. Rursus quinque fiunt decem, decem autem viginti, viginti centum, ac imposterum vulnus omnino immedicabile est: & quanto plus temporis adjungitur, tanto magis disjungimur intervallis. Cave tibi homo ab istis irrationabilibus affectibus, neque pudefias, neque erubescas, neque ita loquare: modo inter nos rixati sumus, fanda atque infanda diximus innumera; ac statim ad reconciliationem accurram? Quis non vituperabit meam facilitatem? Nemo cordatus damnabit tuam facilitatem, sed si manseris implacabilis, tum te omnes irridebunt, tum magnum dabis diabolo spatium: non enim ex tempore solum difficilior fiet reconciliatio, sed etiam ex rebus interea oborientibus. Ut *charitas operit multitudinem peccatorum* (d), ita inimicitia, ea, quæ delicti naturam

(c) Ephes. 4, 26.
(d) Petr. 4, 8.

turam non habent, delicta facit: adeo ut omnes deinde criminatores, qui de alienis malis gaudent, & aliorum vitia traducunt, fidem apud istiusmodi inveniant. Istis igitur cognitis præoccupa fratrem, eumque detine, priusquam penitus resiliat, etiam si opus sit, ut eo die universam civitatem percurras, etiam si extra mænia pergendum, etiam si longum iter carpendum; relictis omnibus, quæ in manibus sunt, id unum cura, ut cum fratre reconcilieris. Quod si arduum sit negotium, cogita, quod ob Deum talia patiaris, & plenam percipies consolationem: animamque subterfugientem excita, eique continuo ista accine: quid cessas? quid subterfugis? quid detrectas? non de pecunia, non de aliis fluxis rebus, sed de nostra ipsorum salute agitur. Deus ista facienda præcipit, omnia igitur istius mandatis postponantur. Tom. 2. hom. 20. de simult.

XIX.

Qui fratri injurioso non reconciliatur, nullam veniam meretur.

Vis cognoscere, nullam esse veniam nobis, si memores simus irarum, neque esse, si tales simus, qui nos eripiat? Quod dico, manifestum faciam. Læsit te proximus, bona rapuit, publicavit, fraudavit. Non illud solum dico, sed & alia his majora adjungo, & quantacunque tandem vis: occidere te voluit: sexcenta pericula tibi obtulit, omni te injuria læsit, quodvis scelus improbitatis humanæ adversus te tentavit: ne enim omnia sigillatim percurramus, pone tanta ipsum te affecisse injuria, quanta nullus unquam

unquam affecit: ne ita quidem, si iram retineas, venia dignus eris. Quo pacto id fiat, ego dicam. Si servus tuus tibi ad centum aureos obæratus esset, cui alios paucos argenteos deberet, isque debiti condonationem flagitasset: si tu deinde servum jussisses, debitorem suum obligatione liberare, teque illi vicissim debiti sui, quod est centum aureorum, gratiam facere, isque deinde impudens, & improbus debitorem suum strangularet, an quispiam illum e tuis manibus eximeret, an non plagas illi incuteres, quasi extrema injuria ab eo affectus? ac merito id quidem. Deus etiam id ipsum faciet: dicet enim, tibi in illa die, improbe serve, & perquam scelerate, non de tuo illi remisisses? sed de meo, quod tu mihi debebas, jussus es illi æs alienum relaxare, dimitte enim, inquit, & dimitto tibi. Atqui, si neque illud addidissem, dimittere oportebat, ut obsequereris domino: nunc autem non ut dominus imperavi, sed ut ab amico beneficium postulavi, idque ex meo, & majora me redonaturum spopondi: cæterum ne ita quidem melior factus es. Ibid. n. 6.

XX.

Prosecutio prioris argumenti. — Quanta merces reconciliationis.

Homines autem cum talia faciunt, tantum servis suis acceptum ferunt, quantum ipsum debitum fuit. Exempli causa: debuit hero servus centum aureos, huic vicissim debitor decem aureorum fuit. Si ipsi debitum remittat, non centum aureos remittit herus, sed decem tantum, cæterosque omnes repetit.

Deus

Deus vero non item; ſed ſi pauca condones tuo conſervo: omnia tibi in totum remittet. Unde id liquet? ex ipſa precatione: *Si enim*, inquit, *remiſeritis hominibus ſua debita*, *etiam pater veſter cœleſtis remittet vobis debita veſtra*: (*e*) quantum autem intervallum inter centum denarios, & decies mille talenta, tantum quoque inter illa, & iſta debita. Qua igitur pœna dignus fuerit, qui decies mille talenta pro centum accepturus, ne ſic quidem iſta minutula remittis, ſed tuam precationem in temetipſum convertis? Cum enim dixeris, *dimitte nobis ſicut & nos dimittimus*: (*f*) ſi tu non dimittas, nihil aliud a Deo poſtulas, quam ut te omni excuſatione, omni venia excludat. Cæterum, inquis, non auſim dicere, dimitte mihi, ſicut dimitto: ſed tantum dimitte mihi. Quid tum hoc? etiamſi tu ipſe illud non dicas: Deus autem ita facit, & quemadmodum dimittis, ita dimittit. Nam illud ex ſequentibus, quæ poſtea inducit, clarum facit. *Si enim*, inquit, *non remiſeritis hominibus*, *neque Pater veſter cœleſtis remittet vobis*. Ne igitur cautelam putes, ſi non totam orationem proferas, neque dimidiatam precationem facias, ſed prout inſtituit, ita precare, ut neceſſitas dictionis quotidie exterrens compellat te ad proximo veniam condonandam. Ibid. n. 6.

XXI. *In-*

(*e*) Matth. 6, 14. (*f*) ibid. 6, 12.

XXI.

Injuriosus sæpius ad reconciliationem invitandus.

Ne mihi dicas, compellavi, sæpe rogavi, supplicavi, sed reconciliationem impetrare non potui, ne prius absistas, quam reconcilieris. Non enim dixit, dimitte hoc donum, & abi supplicatum fratri tuo, sed *vade, reconciliare*: quam ob rem etsi multam supplicationem adhibueris, ne prius desinas, quam persuaseris. Deus per singulos dies a nobis flagitat, & non audimus, nec tamen a flagitatione desistit, & tu a conservo dedignaris flagitare, qui, quæso, poteris salvus esse? Atqui sæpe rogasti, & sæpe repulsus es: sed tanto majorem mercedem accipies: nam quanto ille pervicacior, & tu sollicitando perseverantior, tanto in majus tua retributio accrescit; rursum quanto cum majore difficultate hoc opus virtutis exples, graviusque reconciliatio restauratur, tanto & illius judicium majus erit, & splendidiores tuæ tolerantiæ coronæ. Non laudanda ista solum, sed factis exhibenda, nec prius abscedamus, quam ad veterem amicitiam reversi fuerimus. Ibid. ante n. 7.

XXII.

Satagendum, ut injuriosus benevolum erga injuriatum animum induat.

Non sufficit, quod non lædis, quod nulla injuria afficis inimicum, & quod non malignum animum adversus eum geris, sed enitendum est, ut ipse quoque erga nos benevolum ani-

animum induat. Multos enim audio dicentes : Ego nihil infenſus ſum, nihil doleo, neque quidquam commune cum illo habeo : verum non id a Deo præceptum eſt, ut nihil cum eo habeas commune, ſed ut multa habeas communia. Hac enim de cauſa frater eſt tuus : hac de cauſa non dixit : Remitte fratri tuo, quæ adverſus eum habes : ſed, abi, & cum eo prius reconcilieris : & ſi ille aliquid habet adverſum te, ne prius incæptum omittas, quam membrum illud concordia junctum coaleſcat. Tu autem ut frugi ſervum compares, & aurum enumeras, & cum mercatoribus multis verba facis, & longam interdum peregrinationem ſuſcipis : ut autem inimicum amicum facias, non omnia moves, & agis; reſponde mihi ? At quomodo poteris Deum in precibus invocare, cum ejus legem tantopere negliges ? Servuli poſſeſſio non magna emolumenta afferre poteſt : inimicus contra amicus factus, & Deum nobis propitium, & benevolentem faciet, & facile noſtra peccata reſolvet, & inter homines laudem, & vitæ noſtræ magnam ſecuritatem conciliabit. Nihil enim periculoſius, quam vel unum habere inimicum. Nam, & fama vitæ noſtræ læditur, cum ille millies nos apud omnes criminatur, & mens noſtra turbatur, & conſcientia, & tempeſtatem continuam in animis ſuſtinemus. Quæ omnia cum cognita habeamus, liberemus nos ipſos a pœna & ſupplicio. Ibid. n. 7.

XXIII.

Injuria condonanda a viris in dignitate constitutis, quia id eos magis gloriosos reddit apud homines & Deum. — Pulchrum Constantini dictum.

Te contumelia affectum dicis, & pertulisse, quæ nullus unquam superiorum Imperatorum. (*) Sed si velis, o humanissime, & sapientissime, & multa pietate plene, diademate isto clariorem, & majorem tibi coronam hæc afferet contumelia. Hoc nempe diadema est, & tuæ virtutis insigne, & ejus, qui dedit, liberalitatis indicium: sed corona ex hac humanitate contexta tui solius erit, & philosophiæ tuæ meritum: nec te tantum omnes admirabuntur propter istos lapides pretiosos, quantum propter victoriam de indignatione superata reportatam laudabunt. Dejecerunt statuas tuas? Sed illis clariores restituere tibi licet. Si enim injuriæ auctoribus crimina remittas, & nullam ipsis inferas pœnam, non æream in foro tibi statuam erigent, nec auream, nec lapillis coagmentatam: sed omni materia pretiosiori indutam, humanitate scilicet, & misericordia. Talem in mente quisque sua te eriget, & tot habebis statuas, quot orbem habitant homines, & habitabunt. Non enim nos tantum, verum & post nos futuri, & post illos omnes hoc audient, & tanquam ipsi fuerint bene habiti, sic te admirabuntur, & ama-

(*) Imperatorem laudat, quod contumeliam in subversione statuarum sibi illatam populo antiocheno remiserit.

amabunt. Et quod hoc non assentans dicam, dicam, quod sic futurum sit omnino, antiquum tibi referam sermonem quemdam, ut discas non tantum exercitus, arma, pecunias, subditorum multitudinem, & alia hujusmodi splendidos facere reges consuevisse, quantum animi philosophiam, & mansuetudinem.

Fertur beatus Constantinus effigie sua aliquando lapidata, multis ipsum instigantibus ad supplicium de auctoribus contumeliæ sumendum, & dicentibus, eos omnem ipsius faciem saxis vulnerasse, manu faciem palpans, & leniter ridens dixisse. Ego vero nusquam vulnus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, sana vero, & facies tota. Illi vero reveriti, & confusi ab hoc iniquo destitere consilio: & hoc verbum hactenus canunt omnes: nec tantum temporis labefecit, aut hujus philosophiæ memoriam extinxit. Quot non sit hoc trophæis splendidius? Multas urbes ille condidit, & multos Barbaros superavit: sed meminimus horum nihil: hoc autem verbum usque in præsentem diem canitur, & posteri nostri, & posteri illorum omnes id ipsum audient. Nec solum est admirandum, quod audient, verum etiam quod laudibus, & faustis verbis prosequentur; dicentesque laudabunt, & audientes grata suscipient: nec ullus est, qui hæc audiens silere possit; quin pariter exclamet, & talia dicentem laudet, & innumera ipsi vel defuncto bona precetur. Quod si propter illud verbum apud homines tanta est gloria, quot apud benignum Deum coronas assequetur? Tom. 2. hom. 21. de Simult.

XXIV.

Non solum ore, sed corde dimittenda est injuria.

Sic vobis faciet Pater meus, inquit, *nisi remiseritis unusquisque fratri suo de corde vestro peccata ipsorum.* (g) (*). Non dixit, Pater vester, sed, Pater meus. Non enim dignus est sic improbus, & inhumanus, qui Deum vocet Patrem. Duo igitur hic quærit, ut peccata nostra damnemus, & aliis remittamus, & hoc propter illud, ut facilius illud sit. Nam qui cogitat peccata sua, indulgentior erit conservo. Neque solum ore, sed corde dimittendum est, ne contra nos gladium adigamus ob injuriarum memoriam. Quid enim tibi tantum mali intulit, qui offendit, quantum tibi infero, cum iram animo versas, & sententiam Dei te damnantem tibi attrahis? Nam si tu vigiles, & philosopheris, in caput illius malum torquetur, & is ipse erit, qui male patietur. Sin tu perseveres moleste, & graviter ferens, solus damnum referes, non ab illo, sed a te ipso. Ne dixeris ergo, me contumelia affecit, calumniatus est, innumera intulit mala: quanto enim plura dixeris, tanto magis beneficum ilium ostendis. Occasionem quippe tibi dedit peccata deponendi; ita ut quanto magis te læserit, tanto majorem peccatorum tibi remissionem conciliabit. Nam si velimus,

---

(g) Matth. 18, v. 35.

(*) Vulgat. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

limus, nemo nos lædere poterit. Sed & ipsi inimici nobis maxime prosunt. Ecquid de hominibus loquor? Ipso diabolo quid sceleratius est? Attamen ab illo magnam bene agendi occasionem mutuamur, ut Job comprobat. Si porro diabolus occasio est coronarum, cur inimicum times? Vide, quanta lucreris dum inimicorum molestias fers patienter. Primo quidem, id quod maximum est, peccatorum remissionem; secundo, perseverantiam, & patientiam; tertio, mansuetudinem, & benignitatem. Qui enim nescit irasci adversus eos, qui se offendunt, multo magis erga amicos mitis erit. Quarto, quod semper ira vacui simus, cui bono nihil par esse possit. Nam, qui nunquam irascitur, nullo mœrore premitur, ut liquidum est, neque vitam aget in vanis laboribus, doloribusque: qui enim odisse nescit, nec dolore afficitur, sed deliciis, milleque bonis fruitur. Itaque nos ipsos supplicio afficimus, dum alios odio habemus; sicut, & nobis beneficia conferimus, si diligimus. Tom. 7. hom. 42. alias 43. in Matth.

XXV.

Inimici non puniendi, sed deflendi sunt.

Læsus fuisti ab illo (*)? miserere illius, nec odio habeas; luge illum, nec averseris. Non enim tu offendisti Deum, sed ille. Tu vero probe rem gessisti, si patienter tuleris. In mentem revoca Christum, cum esset crucifigendus, pro se ipso gavisum, & pro crucifigentibus lachry-

 matum

(*) Sc. inimico tuo.

matum fuisse. Sic nos oportet esse affectos: & quanto magis lædimur, tanto magis debemus nos lædentes deflere. Nobis enim multa bona inde accedunt; illis vero contra. Sed coram omnibus contumeliis affecit, & verberavit? Ergo coram omnibus sese deturpàvit, & dehonestavit, & mille accusatorum ora aperuit: plures tibi texuit coronas, multos patientiæ tuæ præcones collegit. Sed apud alios me calumniatus est. Et quid hoc, cum Deus sit de his rationes expetiturus, non autem illi, qui audierunt? Sibi namque ipsi supplicii causam curavit, ut non modo de suis delictis, sed de iis etiam, quæ contra te locutus est, rationem sit redditurus. Te ille apud homines calumniatus est, ipse vero apud Deum est accusatus. Si vero hæc tibi non sint satis, cogita Dominum quoque tuum calumniis impetitum fuisse, & a satana, & ab hominibus, atque apud eos, quos maxime diligebat. Illius quoque unigenitus similiter: ideo dicebat: *Si Patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus.* (h) Neque solum calumniatus est illum malignus dæmon, sed illi fides adhibita est: calumniatusque est, non de rebus nihili, sed de magnis criminibus. Nam & dæmoniacum illum vocavit, & deceptorem, & Deo adversarium. At postquam beneficia contulisti, mala passus es? Ideoque maxime pro injuriam inferente luge, pro te ipso gaude, quia similis Deo factus es, *qui solem suum oriri facit super malos, & bonos.* (i) Quod si Deum imitari supra vires tuas esse videatur, quamquam studio-so

(h) Matth. 10, 25. (i) Matth. 5, 45.

ſo id non difficile ſit: attamen ſi id tibi ſublimius eſſe videatur, age, te ad conſervos ducamus, ad Joſephum, qui innumera paſſus fratres ſuos beneficiis affecit; ad Moyſen, qui poſt mille inſidias pro Judæis precatus eſt; ad beatum Paulum, qui, quæ paſſus ab illis eſſet, enumerare non poterat, & tunc optabat anathema eſſe pro illis; ad Stephanum, qui lapidatus eſt, & rogavit, ut hoc peccatum remitteretur eis. Et hæc omnia cogitans iram omnem ejice, ut Deus nobis omnia peccata remittat, gratia, & miſericordia Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui cum Patre, & Spiritu ſancto gloria, imperium, honor, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Tom. 7. hom. 42. alias 43. in Matth.

XXVI.

Chriſtum imitemur; & de inimicis noſtris nullam ultionem ſumamus. — Chriſti benignitas erga inimicos ſuos.

Quando omnes, etiamque noxios ſolvi oportebat, tunc illi innocentem (*) occiderunt, qui ipſis mille beneficia contulerat, quique propter illos interim gentes negligere videbatur. Sed, o benignitatem! ſceleſtos illos ita pravos, mille malis onuſtos, rurſus ſalvos facit, mittitque apoſtolos pro ipſis occidendos, & pro ipſis ſupplicationem emiſſuros. *Pro Chriſto enim legatione fungimur,* (k) inquit. Talia igitur exempla habentes, non dico, moriamur pro inimicis, li-

(*) Sc. Judæi Chriſtum.

(k) 2. Cor. 5, 50.

cet hoc quoque oporteret. Sed quia infirmiores sumus, illud interim dico: saltem ne livore ducamur erga amicos, ne invideamus benefactoribus. Nondum dico, mala nobis inferentes beneficio afficiamus: illud certe cuperem. Sed quia crassiores sumus, saltem illos ne ulciscamur.

Num scena sunt nostra, num histrionica? Cur praeceptis ex diametro oppositi estis? Non sine causa scripta sunt tum alia omnia, tum ea, quae crucis tempore fecit, quae potuissent eos revocare; sed ut imiteris ejus bonitatem, ut aemuleris benignitatem. Nam, & supinos illos erexit, & auriculam famulo restituit, & cum modestia respondit: & magna in cruce erectus miracula edidit, radios solares avertens, petras scindens, mortuos suscitans, judicis uxorem per somnia territans, in ipso judicio omnem mansuetudinem exhibens, quae non minus, quam alia miracula possent ipsos attrahere, multa praedicens in judicio, in ipsa cruce clamans: *Pater, dimitte illis hoc peccatum.* (l) (*) Sepultus vero, quot bona ad illorum salutem exhibuit? Cum resurrexisset autem, an non statim Judaeos vocavit? an non veniam peccatorum dedit? an non sexcenta bona contulit? Quid hoc mirabilius? Qui crucifixerant, qui necem spirabant, postquam crucifixerunt eum, filii Dei facti sunt. Quid huic providentiae par est? Haec audientes prae pudore nos abscondamus, quod tantum distemus ab illo, quem imitari jubemur. Videamus, quanta sit

(l) Matth. 23. 34.
(*) Vulgat. *Pater, dimitte illis*:

ſit intercapedo, ut ſaltem nos damnemus, eo quod illos impugnemus, pro quibus Chriſtus animam poſuit; nec illis velimus reconciliari, quos ut reconciliaret, nec occidi recuſavit. Tom. 7. hom. 79. & 80. in Matth.

XXVII.

Injuriarum remiſſione, & oblivione nihil ſalubrius. — In malis inimicorum non gaudendum.

Cogita, quam noxius ſis, & non modo non recuſabis lædentibus te veniam dare, ſed etiam ad illos accurres, ut tibi id ſit remiſſionis occaſio, ut propriorum malorum conſolationem reperias. . . Quod ſi dixeris, te inflammari, cum contumeliæ recordaris, in memoriam revoca, ſi quid tibi boni a lædepte acceſſerit, cogita, quanta tu aliis mala intuleris. Tibi maledixit, te probro affecit? tecum reputa, te quoque aliis maledixiſſe. Quomodo ergo veniam conſequeris, quam aliis non dediſti? Sed nihil tale dixiſti? ſed alium hæc dicentem audiſti, idque amplexus es. Neque illud culpa vacat. Vis diſcere, quantum ſit bonum injuriarum oblivio, & quam Deus hac de re lætetur? Eos, qui lætantur, cum vident quosdam ab ſe juſte caſtigari, ulciſcitur: etiamſi enim illi juſte puniantur, te de his gaudere non oportet. Etenim propheta multa criminatus, hoc ſubjunxit: *Nihil paſſi ſunt in contritione Joſeph*, (m) (*) & rurſum, *Non*

(*m*) Amos 6, 6.
(*) Vulgat. *Nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph.*

Non exivit vicina ad plangendum unam domum conjunctam ei. Quamvis Joseph, id est, tribus ex illo ortæ, ac vicini, Dei nutu punirentur; sed vult illis condolere. Nam si nos, qui improbi sumus, cum servum castigamus, si quem conservorum ridentem videamus, magis indignamur, & in illum iram convertimus; multo magis Deus pœnas repetet ab iis, qui de suppliciis aliorum lætantur. Quod si in eos, qui a Deo puniuntur, non insurgere, sed illis condolere oportet, multo magis iis, qui contra nos peccarunt. Hoc enim charitatis argumentum est, hanc vero omnibus anteponit Deus. Quemadmodum enim in purpura regia illi flores, illi colores pretiosi sunt, qui chlamydem sic exornant; sic & illæ pretiosæ virtutes sunt, quæ charitatem continent. Nihil autem ita charitatem servat, ut oblivio peccatorum, quæ in nos admissa sunt. Ibidem.

XXVIII.

Viro bono nihil nocere, aut tristitiam causare potest.

Vir bonus nihil mali pati potest. Sit enim quis uxorem, & liberos habens, qui philosophetur, habeatque multas damni accipiendi occasiones, pecunias multas, principatum, amicos multos, honoresque obtineat; attamen philosophetur; hoc enim supponendum est: ærumnas illi accedere fingamus. Accedat quispiam scelestus homo, qui damnum in opibus inferat: Quid hoc ad virum, qui pecunias nihil esse putat? Filios occidat; quid hoc ad virum, qui circa

circa resurrectionem philosophatur? Uxorem jugulet, quid hoc ad eum, qui doctus est, non lugendos esse dormientes? Dedecus illi conferat: quid hoc lædat eum, qui præsentia omnia florem esse fœni putat? Si vis, etiam corpus percutiat, & in carcerem conjiciat; quid hoc lædet eum, qui didicerit, etiamsi exterior noster homo corrumpatur, interiorem tamen renovari, (n) & tribulatione probatiorem effici? (o) Ego sane polliceor, talem hominem in nullo læsum iri: oratio autem ultra procedens ostendit, ipsum hinc multum juvari, renovari, & probatiorem effici. Ne itaque apud alios dolorem nostrum exprimamus: hinc enim nos ipsos lædimus, animumque nostrum infirmiorem reddimus. Dolor enim ille non tam ex proximi nequitia, quam ex ignavia nostra procedit. Ideo si quis nos contumelia afficiat, lachrymamur, & deprimimur; siquis nostra rapiat, idipsum patimur; perinde atque pueruli illi, quos liberiores pueri incitant pro re nullius momenti dolorem inferentes: si vero illos rixantes viderint, mordere non cessant; si ridentes videant, tunc desistunt. At nos his insipientiores, de iis, quæ ridere oporteret, multum dolemus. Quam ob rem rogo, hoc puerili abjecto animo, cœlos apprehendamus. Nam Christus nos esse viros optat, & viros perfectos. Sic enim jubet & Paulus: *Fratres ne sitis pueri mente, sed malitia parvuli estote.* (p) Infantes ergo malitia simus, & nequitiam fugientes virtutem amplectamur, ut

(n) 2. Cor. 4, 16. (o) Rom. 5, 3.
(p) 1. Cor. 14, 20.

ut bona æterna consequamur. Tom. 7. hom. 80. alias 81. in Matth. pag. 764. n. 5.

XXIX.

Tolerantia convitiorum occasio meritorum. — Davidis lenitas erga Saulem inimicum suum.

Quoties opprobriis milleque malis affecti, convitiantes generoso ferimus animo, majorem nobis a Deo benevolentiam conciliamus. Et unde hoc liquet? Ex his, quæ evenere Davidi. Quid autem illi evenit? Exsulabat aliquando e patria, simul & de libertate, & vita sua periclitans, & exercitu adversus intemperantem illum juvenem tyrannum, & parricidam instructo, errabat in desertis: nec tamen indignatus est, nec despondit animum apud Deum, neque dixit: Quid tandem hoc rei est? permisit, ut filius insurgeret adversus illum, a quo genitus est: qui etiamsi quid haberet, de quo juste queri posset, non oportuit tamen id facere. Nunc vero nec in parvo, nec in magno læsus a nobis obambulat, cupiens dextram paterno sanguine polluere, & Deus hæc videns patitur. Sed nihil horum dixit. Quin quod profecto majus est, & admirabilius, errantem, & undique expulsum Semei quidam vir improbus, ac scelestus insectatus est, homicidio pollutum, & impium appellans, aliisque innumeris convitiis impetens. At ne sic quidem fuit exasperatus. Quod si quis dixerit: quid mirum, si non ultus est, cum propter imbecillitatem ulciscendi potestatem non haberet? Primum illud dixerim: Non perinde mirarer eum,

eum, si diadema gestans, & regno potiens, inque solio sedens convitiantem pertulisset, ut nunc illum & laudo, & admiror tempore calamitatis philosophantem. Nam illic, & imperii magnitudo, & convitiantis vilitas sæpe persuasit, ut contumeliam negligeret. Multi reges frequenter similem animi moderationem præstiterunt, qui insignem convitiantium insaniam acceperunt pro excusatione. Neque enim æque nos in rerum prosperitate, atque in adversis opprobria mordere solent: sed ubi concidimus, tunc magis pungunt nos, acriusque mordent convitia. De hoc porro aliud quiddam licet addere, videlicet quod illi fuerit in manu vindictam sumere, nec sumpserit. Atque ut perspicias, eam animi moderationem non fuisse impotentiæ, cum id dux exercitus cuperet sibi committi, ut ad convitiantem transiret, ejusque caput amputaret, non solum non permisit David, verum etiam indignatus est dicens: *Quid mihi tecum, fili Sarviæ; sinite illum maledicere, ut videat Dominus humilitatem meam, & reddat mihi bona pro maledictis hujus in die hoc.* (q) (*) Quod quidem, & evenit.

Vides justum intellexisse, magno animo perpeti convitia, occasionem esse adipiscendæ gloriæ? Hanc ob causam Saulem aliquando nactus inter geminum parietem, cum esset occidendi facul-

(q) 2. Reg. 16, 11. 12.

(*) Vulgat. *Quid mihi, & vobis est filii Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat &c. Si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.*

facultas, pepercit, idque cum comites hortarentur, ut gladio confoderet. Sed neque tam prompta occidendi facultas, neque comitum, qui aderant, provocatio, neque multarum injuriarum, quas perpessus fuerat, memoria, neque graviora patiendi periculum, ad stringendum gladium illum impellere potuerunt. Tametsi neque exercitui manifestus homicidii reus futurus erat, si cædem illam patrasset. Siquidem spelunca erat, nec ullus alius aderat, nisi ipse solus. Neque dixit, quod quispiam adulterium commissurus dicebat: *Tenebræ circum me, & muri, quid timeo?* (r) (*) sed insomnem oculum spectabat, & sciebat infinitis partibus splendidiores esse sole Domini oculos. Idcirco sic omnia agebat, & loquebatur tanquam ipso præsente, & de iis, quæ dicebantur, judicium ferente. Tom. 4. Serm. 2. de Anna n. 1. & 4.

XXX.

Injuriarum memoria deponenda juxta exemplum Josephi ægyptii.

Facies, inquit (**), *in me misericordiam, & recordaberis mei apud Pharaonem, & educes me ex carcere hoc* (***). Attende, obsecro, hic quomodo nihil dicat contra scelestam illam adulteram,

(r) Eccli. 23, 26.

(*) Vulgat. *Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor?*

(**) Josephus ad pincernarum Præfectum.

(***) Vulgat. *Facias mecum misericordiam: ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere.* Gen. 40, 14.

ram, neque arguat dominum, neque narret fratrum in se inhumanitatem, sed tectis omnibus, dicit: Recordare mei, & fac educi me ex carcere hoc: *quia furtim abductus sum de terra Hebræorum, & hic nihil feci, & immiserunt me in locum hunc.* (*) Ne perfunctorie hoc prætereamus, sed consideremus, quam philosophica mente præditus fuerit, & quomodo inventa opportunitate temporis, & sciens, præfectum pincernarum in felicem statum restitutum, posse omne negotium suum regi significare: non Ægyptiam reprehendit (iterum enim eadem dicam) non dominum assert in medium, non fratres, non dicit causam, propter quam condemnatus sit in carcerem, neque scelus in se commissum narrare studet: sed hoc unum curat, non ut illos condemnet, sed ut pro se solo dicat. Et fratrum quidem causam occultavit, dicens: *Furto abductus sum ex terra Hebræorum:* quæ autem Ægyptia illa fecerat, non profert in medium, neque injustam domini sui erga se indignationem. Sed quid dicit? *Hic feci nihil, & immiserunt me in carcerem hunc.* Hæc audientes, discamus, si in talia inciderimus, ut caveamus, ne convitiis illos, qui nos vexarunt, incessamus, & ad accusationem illorum linguam acuamus; sed solum demonstremus in mansuetudine, & lenitate nos innoxios esse: & imitemur illum admirabilem, qui neque in calamitate existens voluit vel verbis petulantiam Ægyptiæ divulgare. Scitis enim

(*) Vulg. *Quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum,* ib. v. 15.

enim multis criminibus etiam obnoxios, magna impudentia in alios ſua delicta transferre conari: hic autem ſole clarior exiſtens, &, qui poterat omnia cum veritate dicere, & illius inſaniam manifeſtam facere, & ſemetipſum clariorem demonſtrare, nihil illorum in medium affert. Neque enim humanam venabatur gloriam, ſed ſufficiebat ei benevolentia ſuperna, & oculum illum ſolum, qui non dormit, habere volebat laudatorem factorum ſuorum. Ideo ſilente eo, & omnia obtegere moliente, clemens Dominus in tantam eum gloriam perduxit, quando vidit athletam ſuum recte certaſſe. Tom. 4. hom. 63. in cap. 41. Geneſ.

XXXI.

Inimicis ignoſcendum juxta præceptum, & exemplum Chriſti. — Novem Chriſtiani erga inimicos officii gradus. — Chriſtus exemplum patientiæ, & charitatis.

Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum (s). *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, & orate pro calumniantibus, & perſequentibus vos, benedicite maledicentibus vobis; & benefacite iis, qui vos oderunt; ut ſitis ſimiles Patri veſtro, qui eſt in cœlis, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos* (t) (*). Vide, quomodo

(s) Levit. 19, 17. (*t*) Matth. 5, 43. &c.

(*) Vulgat. *Audiſtis, quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: ut ſitis filii patris veſtri, qui in cœlis eſt* &c.

modo ultimam bonorum coronidem posuit. Propterea enim docet, non modo colaphis cædentes ferre, sed etiam dexteram maxillam præbere; neque tantum tunicæ pallium adjicere, sed cum angariante ad unum milliarium per duo milliaria incedere; ut, quod his longe majus erat, cum omni facilitate susciperes. Et quid, inquies, his majus est? Illum, qui hæc faciat, non inimicum habere: imo & aliquid aliud majus. Non enim ait, ne odio habeas, sed, dilige: non dixit, ne lædas, sed benefacito.

Si quis vero hæc accurate exploraverit, aliud videbit additamentum his longe majus. Non enim solum jussit diligere, sed & pro iis orare. Videndum, quos ascenderit gradus, & quomodo nos in ipso virtutis culmine constituerit. Consideres velim eos a principio enumerandos.

Primus gradus est, non injuriam inferre. Secundus, ubi incepta est injuria, non illam pari vice ulcisci. Tertius, non inferre in lædentem idipsum, quod passus es, sed quiescere. Quartus, seipsum offerre ad male patiendum. Quintus, plura illi præbere, quam ipse velit, qui malum intulit. Sextus, non odio habere illum, qui talia egerit. Septimus, ipsum etiam diligere. Octavus, ipsi benefacere. Nonus, Deum & pro ipso precari. Vidistine philosophiæ culmen? Ideo etiam splendidum ille præmium habet. Quia enim magnum præceptum erat, ac strenuo opus haberet animo, magnaque diligentia, mercedem illi constituit talem, qualem nulli priorum . . . quod fierent Dei similes, quantum possunt homines ipsi esse similes. *Ut*

ſitis, inquit, *ſimiles Patris veſtri, qui in cælis eſt* . . . Ne itaque odio habeas hominem, qui te malo afficit, cum tibi tot bona conciliet, & ad tantum te honorem ducat, ne maledicas ei, qui te damno afficit: alioquin & laborem ſuſtinebis, & ejus fructu privaberis; damnum feres, & mercedem perdes, quod extremæ eſt dementiæ, quod ſcilicet cum graviora ſuſtinuerimus, minora non feramus. Et quomodo, inquies, poteſt hoc fieri? Cum Deum videas hominem factum tantum deſcendiſſe, & tanta pro te paſſum eſſe, interrogas adhuc, & ambigis, quomodo poſſumus injurias conſervis remittere?

Non audis illum in cruce dicentem: *Dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt* (u). Non audis Paulum dicentem: *Qui aſcendit ſurſum, & ſedet in dextera, interpellat pro nobis* (x) (*)? Non vides, quomodo poſt crucem, & aſcenſionem Judæis, qui ſe interſecerant, miſerit Apoſtolos, qui ſexcenta ipſis afferrent bona? idque cum mille ab ipſis paſſuri eſſent mala? At tu læſus admodum es? Ecquid tantum paſſus es, quantum Dominus tuus, vinctus, colaphis cæſus, flagellatus, a ſervis conſputus, mortem paſſus, mortem, inquam, omnium turpiſſimam, idque poſt mille ipſis illata beneficia? Si porro multum læſus ſis, ideo maxime beneficia confer, ut tibi ſplendidiorem nectas coronam . . . Nam cæleſtium coronarum jam hic fructum percipiemus,

(u) Luc. 23, 34.
(x) Rom. 8, 34.
(*) Vulgat. *Qui & reſurrexit, & qui eſt ad dexteram Dei, & etiam interpellat pro nobis.*

mus, quasi angeli cum hominibus versantes, tanquam angelicæ potestates in terra circumeuntes, omni cupiditate, omnique perturbatione exempti; & cum his omnibus ineffabilia consequemur bona: quæ utinam nos omnes adipiscamur, gratia, & benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria, imperium, & adoratio, cum principii experte Patre, & sancto, bonoque Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, amen. Tom. 7. hom. 18. in Matth.

DECEMBER.

I.

Nullus justus sine calamitate est.

Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur . . . (y). Persecutiones hic vocat ærumnas, & dolores. Nullus enim vir, qui virtutis viam capesset, expers erit dolore, ærumnis, mærore, tentationbus. Quomodo enim possit is, qui in arcta, & angusta via incedit, qui audivit, *in mundo pressuram habebitis* (z)? Si illo tempore Job dicebat: *Militia est vita hominis super terram* (a), quanto magis nunc? *Mali autem homines, & præstigiatores*, inquit, *in deterius proficient, errantes, & in*

(y) Tim. 3, 12.
(z) Joan. 16, 33.
(a) Job. 7, 1.

in errorem inducentes (*b*) (*). Nihil horum te perturbet, inquit, si illi in quiete, tu vero in tentationibus sis. Talis est ejus rei natura. Ex me id discere possis, non posse virum, qui cum improbis bellum gerat, in ærumnis non versari. Non potest pugil decertans in deliciis esse: non potest, qui pugnat, in convivio esse. Nemo itaque certantium quietem quærat. Rursus præsentia omnia sunt certamen, bellum, ærumna, angustia, tentatio, agonum stadium. Alia sunt quietis tempora, hoc tempus sudorum est, & laborum. Nemo postquam exutus, & unctus est ad certamen, quietem quærit. Si quietem quæris, cur te exuisti? cur manus attollis? Et quomodo non attollam nunc, inquies? si concupiscentias non superes, si cum naturæ violentia non pugnes? . . . Nemo Paulo æqualis erat, & tamen in ærumnis totum tempus transegit, in lacrymis, in gemitibus nocte, & die. Cum lacrymis enim, inquit, nocte, & die per triennium, monens non cessavi (*c*); & rursum: *Instantia mea quotidiana* (*d*). Non hodie gaudebat, cras dolebat: sed quotidie mærere non cessabat . . . Ideo justi hic in ærumnis degunt, quia peregrini sunt, & advenæ, & quia in aliena terra vivunt. Justi ergo probationis causa hæc tolerant. Audi enim Deum Jobo dicentem: *Putas, me tibi aliquid respondisse, quam ut appare-*

res

(*b*) Tim. 3. 13.

(*) Vulgat. *Mali autem homines, & seductores proficient in pejus: errantes, & in errorem mittentes.*

(*c*) Act. 20, 31.

(*d*) 2. Cor. 11, 28.

res justus (*)? Peccatores autem, etiamsi quid simile aliquando patiantur, peccatorum pœnas dabunt. In omnibus ergo gratias agamus Deo, sive sic, sive alio modo agat: utraque enim utilia sunt. Nihil vel odiens, vel aversans nos facit, sed utraque curans. Tom. 11. hom. 8. in 2. epist. ad Tim. cap. 4.

II.

Crucem ferre debemus, uti Christus tulit.

Jesus extra portam passus est, ut sanctificaret populum proprio sanguine . . . (e) (**). Si ergo exierimus, cum eo erimus participes. Quid est autem, exeamus ad ipsum? Simus participes ejus perpessionum: feramus ejus improperium. Non enim sine causa passus est extra portam; sed ut nos crucem ejus feramus, & maneamus extra mundum, & ibi permanere studeamus: sicut ille probris appetebatur tanquam condemnatus, ita nos quoque, Tom. 12. hom. 33. in epist. ad Hebr. c. 13.

III.

Calamitates Christus crucis nomine appellavit.

Magnum bonum est crux, salutaris armatura, clypeus inexpugnabilis, adversans diabolo. Cum hoc igitur si bellum geras, tunc gestas cru-

 cem,

(*) Vulgat. *Volo enim te apparere justum*, Job. 33, 32.
(e) Hebr. 13, 12.
(**) Vulgat. *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

cem, non tantum accepto ſignaculo, ſed etiam, quæ crucis propria ſunt, ſubiens, ac patiens. Conſuevit enim Chriſtus paſſiones nomine crucis appellare; ut cum inquit: Niſi quis tollat crucem ſuam, & ſequatur me, id eſt, niſi quis recte ſe comparaverit ad mortem. Hom. 12. in epiſt. ad Philipp. c. 3. tom. 11. p. 298.

IV.

Benignitas Jeſu erga Judam proditorem.

Veſpere facto, inquit, *recumbebat Jeſus cum duodecim diſcipulis ſuis, & manducantibus illis dixit: amen amen dico vobis, quod unus veſtrum tradet me* (*f*) (*). Proditionem prædixit, ut ſcelus cohiberet. Neminem indicans prædictionem emiſit, quæ de diſcipuli nequitia, recumbentibus occulta, triumphare non potuit. Quis talem unquam domini benignitatem vidit? Et proditur, & proditorem amat. Quis deſpicitur, & miſericordia movetur? venditur, & nequiſſimum mercatorem menſæ conſortem accipit, atque inſidiatori parcit? Tom. 2.

V.

Chriſtus exemplum patientiæ in adverſis.

Tunc accedentes injecerunt manus in Jeſum, & tenuerunt eum (**). Verum o tolerantiam, quæ

(*f*) Matth. 26, 20.

(*) Vulgat. *Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis. Et edentibus illis, dixit: amen dico vobis, quia unus veſtrum me traditurus eſt.*

(**) Vulgat. *Tunc acceſſerunt, & manus injecerunt in Jeſum, & tenuerunt eum.* Matth. 26, 50.

quæ soli ipsi competit! In cœlo Cherubim, & Seraphim, cum non audeant respicere sublimem ejus gloriam, vultum suum alis ceu manibus operiunt, & in terra, cum caro ejus iniquorum manibus teneretur, id ille patiebatur. Videtisne, quam patientis, & benigni Domini servi sitis? Iidem ergo estote erga inimicos conservos vestros, qualem erga inimicos suos Dominum vidistis. Etenim vos quoque ad cænam spiritualem vocandi estis: cum Domino recumbendum vobis erit. Ne quis in vobis Judas moribus reperiatur: omnes cum pace, & tanquillitate accedite; omnes cum pura conscientia Servatori accurramus. Ipse namque est fidelium jejunium, atque convivium. Hic nutritius, & nutrimentum, hic pastor, & ovis.

VI.

Communicantes indigne quales pœnæ maneant.

Qui manducat, & bibit indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini (g). Ejus autem verborum hic sensus est: quemadmodum illi, qui Jesum crucifixerunt, inquit, sic & illi, qui indigne fiunt mysteriorum participes, pœnas dabunt. Neque vero severitatem sermonis illius quisquam condemnet. Regia vestis est corpus dominicum: porro, & qui regiam purpuram dilaceravit, & qui manibus immundis inquinavit, pari eam contumelia affecerunt; quamobrem & pari supplicio plectuntur: ita fit, & in corpore Christi. Judæi quidem illud clavis in cruce dis-

(g) 1. Cor. 11, 27. &c.

ruperunt, tu vero laceras, dum in peccatis, & immunda lingua, ac mente vivis: quam ob causam, & idem tibi supplicium imminere dixit Paulus, & adjicit dicens: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Tom. 2. de S. Martyribus p. 654.

VII.

* *Iterata expositio textus S. Pauli.*

Qui enim manducat, & bibit indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini (*h*). Hanc vobis legem recitavimus, & verborum sensum exposuimus. Diximus, quid sit, *Reus erit corporis, & sanguinis Domini;* easdem nimirum poenas daturum, quas & illi, qui Christum crucifixere, sustinebunt. Nam quemadmodum homicidæ illi rei facti sunt sanguinis, sic & isti, qui sacramentis indigne communicant. Hoc enim est: *Reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Videbatur dictum illud plane modum excedere, atque intolerabiles minæ censebantur: rationem adjunximus ductam ab exemplo, quæ mirifice quadrabat. Ut enim sive quis regiam purpuram discindat, sive luto coinquinet, ex æquo Regem, qui ea indutus est, afficit contumelia: sic nimirum hoc loco cum illi, qui dominicum corpus necarunt, tum qui immunda recipiunt anima, parem injuriam inferunt vestimento. Disciderunt quidem illud in cruce Judæi: coinquinat autem is, qui immunda illud suscipit anima: itaque licet diversa peccata sint, tamen æqualis est injuria. Ibid. p. 658.

VIII. *Com-*

(*h*) 1. Cor. 11, 27. &c.

VIII.

Communicans quanta puritate præditus esse deberet. — Realis existentia Christi in S. Eucharistia.

Oportet semper vigilare: non parvum enim imminet supplicium iis, qui indigne communicant. Cogita, quantum contra proditorem indignaris, & contra eos, qui Christum crucifixerunt: cave ergo, ne tu ipse sis corporis, & sanguinis Christi reus. Illi sacrum corpus trucidarunt, tu post tot beneficia idem agis, cum sordida suscipis anima. Neque enim satis habuit, hominem fieri, alapis cædi, immolari, sed seipsum commiscet nobiscum, non fide tantum, sed re ipsa nos corpus suum constituit.

Quanta ergo puritate oporteret eum esse, qui hoc fruitur sacrificio? quanto radiis solaribus puriorem eum oporteret manum illam, quæ hanc carnem secat, os, quod spirituali repletur igne, linguam tremendo sanguine tinctam? Cogita, quantum adeptus sis honorem? qua fruaris mensa? quod angeli tremunt videntes, nec sine metu respicere audent ob fulgorem inde manantem, eo nos alimur, huic commiscemur, factique sumus Christi unum corpus, & una caro. *Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes ejus* (i)?

IX.

Amor Christi eucharistici erga communicantes.

Quis pastor propriis sibi membris oves nutrit? Ecquid pastorem dico? Matres sæpe sunt, quæ

(i) Psal. 105, 2.

quæ poſt partum infantes aliis nutricibus dant: ipſe vero id non paſſus eſt, ſed nos proprio ſanguine nutrit, & per omnia ſibi copulat. Conſidera autem: ex noſtra ſubſtantia natus eſt. Sed, inquies, nihil hoc ad omnes pertinet: quamquam ad omnes certe. Si enim ad naturam noſtram venit, utique ad omnes venit: ſi autem ad omnes, etiam ad ſingulos. Et quomodo, inquies, non omnes hinc fructum acceperunt? Id certe non illi adſcribendum, qui pro omnibus illud delegit, ſed illis, qui noluerunt. Cuique enim fideli per hoc myſterium ſe conjungit, & quos genuit, per ſe nutrit, neque alii tradit; hocque tibi modo probat, ſe carnem accepiſſe tuam. Ne itaque ſegnes ſimus tanta dignati charitate, & tanto honore. Tom. 7. hom. in Matth. 83.

X.

Quanto cum fervore, & deſiderio ad S. Communionem accedendum. —Transſubſtantiatio. —Pauperes olivæ in domo Dei plantatæ.

Non videtis, quanto impetu infantes labia ſua mamillæ admoveant? cum eodem ſtudio, ut lactantes pueri gratiam ſpiritus attrahamus: unusque nobis ſit dolor, ſi hoc ſpirituali alimento privemur. Non ſunt humanæ virtutis hæc opera. Is, qui tunc in illa cæna hæc confecit, & nunc etiam operatur.

Nos miniſtrorum habemus ordinem: qui vero illa ſanctificat, & transmutat, ipſe eſt. Nullus ergo Judas adſit, nullus avarus; ſi quis diſcipulus non eſt, recedat: non recipit hæc menſa

sa eos, qui tales non sunt. Cum discipulis, inquit, meis facio pascha. Hæc ipsa mensa est, quæ nihil minus, quam illa habet. Neque enim illam Christus homo fecit: Sed & hanc fecit, & illam ipse. Hoc illud est cænaculum, ubi tunc erant.

Hinc illi ad montem olivarum exierunt: nos exeamus ad manus pauperum. Hic enim locus est mons olivarum. Olivæ namque plantatæ in Dei domo sunt pauperum multitudo, quæ stillant oleum, quod illic nobis utile erit: quod quinque illæ virgines habuerunt, cæteræ vero, quæ non hinc acceperant, perierant. Hoc accipientes intremus, ut fulgentibus lampadibus ad sponsum accedamus. Nemo inhumanus accedat, nemo crudelis, & immisericors, nemo impurus. Ibid. p. 787.

XI.

Existentia Christi realis in S. Eucharistia. — Christum in S. Communione edimus.

Deo ubique obsequamur; nec contradicamus ei, etiamsi id, quod dicit, rationi, & intelligentiæ nostræ contrarium videtur: sed prævaleat ejus sermo rationi, & intelligentiæ nostræ. Sic etiam in mysteriis faciamus; non ea solum, quæ sub sensum cadunt respicientes: sed verba ejus retinentes. Verbum quippe ejus fallere nequit; sensus vero noster facile decipitur. Verbum ejus nunquam excidit; sensus vero sæpe fallitur. Quoniam vero ille dixit: *Hoc est corpus meum*, obtemperemus, credamus, & spiritualibus oculis ipsum respiciamus. Nihil enim sensi-

ſenſibile nobis Chriſtus dedit; ſed rebus etiam ſenſibilibus omnia ſunt ſpiritualia. Sic enim, & in Baptiſmo per rem ſenſibilem donum aquæ conceditur, quod autem efficitur, ſpirituale eſt, generatio, & regeneratio, ſive renovatio. Nam ſi incorporeus eſſes, nuda tibi illa, & incorporea dona tribuiſſet; ſed quia corpori conjuncta eſt anima, in ſenſibilibus ſpiritualia tibi largitur. Quot ſunt, qui modo dicunt, vellem ejus formam, typum, veſtimenta, calceamenta videre?

Ecce illum vides, ipſum tangis, ipſum comedis. Et tu quidem veſtimenta videre cupis: ipſe vero ſeipſum tibi dat, non videndum modo, ſed tangendum, comedendum, intus accipiendum. Nemo itaque nauſeans accedat, nemo remiſſus, omnes ardentes, omnes ferventes, & excitati. Nam ſi Judæi ſtantes, calceati, baculos manibus tenentes, cum feſtinatione comedebant, multo magis te vigilare oportet. Illi enim in Palæſtinam ituri erant, ideoque viatorum cultum habebant, tu vero in cœlum migraturus es. Tom. 7. hom. in Matth. 83.

XII.

Reprehenſionum utilitas. — Omnis homo erroribus obnoxius.

Admodum utile eſt vitæ noſtræ, ſi & peccantes arguamus, &, dum labimur, ab aliis argui libenter feramus. In peccatis enim idem ſunt reprehenſiones, quod in vulneribus remedia. Quemadmodum igitur ſtultus eſt, qui pharmaca rejicit; ita & inſanus is, qui reprehenſiones non admittit. Verum multi ſæpe exaſperantur,

hæc apud se cogitantes, & dicentes: Hunccine feram ego sapiens, & prudens? ignorantes, esse illud extremæ dementiæ argumentum. *Videbam enim*, inquit, *hominem, qui sibi videbatur sapiens, & majorem illo spem habet insipiens* (*) (*k*). Eapropter & Paulus dicit: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos* (*l*). Licet enim mirum in modum sis sapiens, & perspicax, attamen homo es, & consilio opus habes. Solius enim Dei est, nullius indigere, & nullo opus habet consiliario. Ideo de illo solo dicitur: *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (*m*)?

At nos homines, quantumcunque sapientes, multoties tamen sumus reprehensione digni, atque hinc apparet naturæ nostræ infirmitas. *Nec enim omnia esse possunt in hominibus* (*n*), inquit: quare? quia filius hominis non est immortalis. quid lucidius sole? attamen & ille deficit. Sicut ergo fulgidam illam lucem, & splendentem radium supervenientes tenebræ obtegunt; ita & intelligentiam nostram, quasi in meridie fulgentem, & perspicuam, inconsiderantia obrepens sæpe tenebrosam reddit: acciditque, ut sapiens quandoque non videat, quod oportet, & is, qui multo illi inferior est, acutius illud perspiciat. Atque ita res se habet, ut neque sapiens se extollat, neque inferior illo sese miserum prædicet. Tom. 3. hom. 3 *de ferendis reprehens.*

XIII. *Proxi-*

(*) Vulgat. *Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens.*

(*k*) Prov. 26, 12.

(*l*) Rom. 12, 16.

(*m*) Rom. 11, 34. (*n*) Eccli. 17, 29.

XIII.

Proximus corrigendus.

Magnum bonum eſt, reprehenſiones ferre: magnum item bonum, poſſe reprehendere; nam hoc ad curam proximi maxime pertinet. Nunc vero ſi videamus hominem tunicam ſolutam, & ex transverſo habentem; aut aliud indumentum male poſitum, monemus, emendamus; ſi vero videamus vitam ejus diſſolutam, ne verbum quidem proferimus. Si videamus vitam ejus indecoram, præterimus: tametſi ea, quæ ad veſtes pertinent, riſum tantum; ea vero, quæ ad animam, periculum, & ſupplicium pariant. Cum vides fratrem per præcipitia ferri, de vita non curantem; nec eo, quo opus eſt, ſpectantem, nonne manum porrigis? nonne a lapſu erigis? nonne reprehendis, & arguis? an pluris facis non importunum videri, vel offendere, quam ejus ſalutem curare? Ecquam habiturus es apud Deum veniam? quam defenſionem? Non audiſti, quid Judæis Deus præceperit, ut ne errantia inimicorum jumenta deſpicerent, & lapſa ne præterirent? Itane Judæi quidem jubentur bruta inimicorum ſuorum non deſpicere, nos vero fratrum animas quotidie ſupplantatas deſpiciemus? Quomodo id non extremæ crudelitatis, & ferini animi fuerit, non tantum curæ hominibus impendere, quantum illi jumentis? Hoc omnia ſubvertit, hoc vitam noſtram confundit, quod nec reprehenſi generoſe feramus, neque alios reprehendere velimus. Ideo enim moleſti ſumus, cum arguimus: quia exaſperamur, cum arguimur. Enimvero ſi ſciret

ret frater tuus, se abs te laudatum iri, si te arg-gueret, reprehensus & ipse parem rependeret vicem. Ibid.

XIV.

Quilibet consilio indiget.

Vis scire, etiamsi admodum prudens esses, etiamsi perfectus, etiamsi ad summum virtutis apicem pervenisses, te opus tamen habiturum esse consiliario, & eo, qui te argueret, ac reprehenderet? Audi veterem historiam. Nihil Moysi par erat: siquidem *vir mitissimus erat super omnes homines, qui morabantur in terra* (o), inquit Scriptura, Deo amicus, externa philosophia imbutus, spirituali intelligentia plenus. *Eruditus* enim erat, inquit, *Moyses omni sapientia Ægyptiorum* (p). Vides omnigenam eruditionem? *Et erat potens in verbis, & in operibus suis.* Verum audi aliud quoque testimonium: *Cum multis*, inquit, *Prophetis conversatus est Deus; sed cum nullo sic conversatus est: nam cum aliis per ænigmata, & somnia, cum Moyse vero facie ad faciem* (q) (*). Quod illo majus virtutis ejus indicium requiras, quando omnium Dominus servum quasi amicum alloquitur? Erat itaque sapiens tam peregrina, quam domestica institutione; erat potens sermone, & opere: impera-

(o) Num. 12, 3.
(p) Act. 7, 22.
(q) Deuter. 34, 10.
(*) Vulgata habet: *Non surrexit ultra Propheta in Israël sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem.*

perabat ipsi creaturæ, quia amicus erat Domini Creatoris. Eduxit tantum populum ex Ægypto; mare divisit, atque iterum conjunxit: videreque erat stupendum miraculum. Tunc enim primum sol vidit mare; non navali, sed pedestri itinere transiri, pelagusque non remis, & navigiis, sed equorum pedibus transfretari. Attamen ille sapiens, ille potens sermone, & opere, amicus Dei, qui creaturæ imperabat, & tot miracula ediderat, non animadvertit rem, quam plerique mortalium facile perspiciunt. Sed Socer ejus barbarus, & obscurus homo id animadvertit, & in medium protulit, quod ille non excogitaverat (r) . . . Neque tum ille indignatus est, sed patienter tulit vir ille sapiens, prudens, & Dei amicus, qui tot myriadibus præerat. Neque enim parvum hoc est, a barbaro, & privato homine erudiri: neque edita miracula, neque imperii magnitudo animum ejus extollebant; neque rubore suffundebatur, quod præsentibus subditis corriperetur. Sed cogitans se, etsi signa magna edidisset, humanæ tamen participem esse naturæ, cui multa sæpe ignota sunt, cum modestia consilium accepit. Multi contra, ne alieno videantur consilio egere, sæpe malunt utilitate consilii carere, quam suscepta admonitione peccatum emendare: imo malunt ignorare, quam discere, nescientes, non esse crimen discere, sed potius ignorare; non doceri, sed in inscitia degere; non argui, sed peccare sine emendatione. Ibid.

XV. *Sæpe*

(r) Exod. 18.

XV.

Sæpe deprehendit vilissimus homo, quod ignorat sapiens, magnusque vir; hinc non erubescat ab illo erudiri, juxta exemplum Moysis. — Consilium bonum nunquam contemnendum, etsi a vilissima persona proveniat.

Accidit, etiam apud vilissimum hominem aliquid boni deprehendi, quod in sapiente, magnoque viro plerumque non reperitur. Quod cum perpenderet Moyses, illum consulentem (*) æquo audivit animo . . . non erubuit, non pudefactus est, non est reveritus subditos: non dixit intra se: me contemnent subditi, si, dux cum sim, ab alio, quid faciendum sit, didicero: sed obtemperavit, & consilium secutus est, neque præsentes, neque post ea futuros erubuit; imo tanquam cohonestatus hac soceri correptione, non modo homines illos, qui tunc erant, sed etiam eos, qui ad hodiernum usque diem fuerunt, & qui in toto orbe futuri sunt usque ad Christi adventum, literis docuit, & se non potuisse, quid facto opus esset, videre, & soceri admonitionem amplexum esse. Nos vero si vel unum videamus hominem, dum emendamur, & corripimur, conturbamur, obstupescimus, & de vita nos excidisse putamus. At ille non item, sed cum videret tot millia hominum præsentium; imo tot millia hominum, qui tunc erant, & qui post fuerunt per totum orbem usque ad præsentem diem, non erubuit; sed omnibus quotidie per litteras denunciat, ea socerum vidisse, quæ ipse non animadverterat.

(*) Sc. socerum suum Jethro.

Cur hoc fecit, & cur rem illam literis tradidit? Ut nobis auctor esset, ne altum sapiamus, quamvis omnium sapientissimi simus, neque aliorum consilia contemnamus, etiamsi omnium vilissimi sint. Si quid aliquis probe consulat, etsi famulus sit, admonitionem accipe; si quid perniciosum quispiam, vel in maxima dignitate positus consulat, sententiam repudies: non enim qualitas personarum consulentium, sed consilii natura spectanda semper est. Illud igitur Moyses fecit, ut nos doceret, non erubescendum esse cum redarguimur, etiamsi nobis universus populus adesset. Illud enim vere laus est non vulgaris, supremæque philosophiæ præconium, reprehensionem generose ferre. Tom. 3. hom. 3. de ferendis reprehens.

DE REBUS VARIIS.

XVI.

Linguæ quot, & quanti lapsus.

Undique nobis nocere solet malignus dæmon, sed in primis lingua, & ore. Nullum enim illi ita opportunum organum ad fraudem, perniciemque nostram, ut intemperans lingua, & os non obturatum. Hinc nobis lapsus plurimi, hinc nobis gravia crimina. Quam facile sit ore labi, sic quidam declaravit: *Multi cecidere gladio, sed non tot, quot lingua* (s) (*): ipseque rursum quam gravis sit hujusmodi lapsus indicavit his verbis: *Lapsus de pavimento potius, quam lapsus de*

(s) Eccli. 28, 22.

(*) Vulgat. *Multi ceciderunt in ore gladii: sed non sic qui perierunt per linguam suam.*

de lingua (*t*) (*). Id est, melius est labi, conterique corpus, quam hujusmodi verbum proferre, quod possit animam nostram perdere. Neque lapsus tantum memorat, sed hortatur, ut magnam solicitudinem geramus, ne supplantemur, his verbis: *Fac ori tuo januam, & vectes* (**) (*u*); non ut vere januas, & vectes paremus, sed ut cum magna cautela absurdis verbis linguam claudamus. Rursumque alibi ostendens, nos & cum studio nostro, & ante studium nostrum superno egere auxilio, ut hanc feram intus contineamus, ad Deum manus tendens Propheta dicebat: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis* (*x*). Et qui prius monuit, rursum ait: *Quis dabit ori meo custodiam, & labiis meis sigillum astutum* (*y*) (***)? Videns singulos hujusmodi lapsus timentes, lugentes, consilia dantes, precantes, ut circa linguam magna cautela adhibeatur? At cur, inquies, si tantam nobis perniciem hoc instrumentum afferat, ipsum nobis a principio indidit Deus? quia magnam etiam affert utilitatem: & si caveamus, utilitatem tantum, perniciem vero nullam affert. Audi enim, quid dicat is, qui prius illa dixerat: *In manu linguæ vita, &*

 mors

(*t*) Ibid. 20, 13.

(*) Vulgat. *Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pavimento cadens.*

(**) Vulgat. *Ori tuo facito ostia, & seras.*

(*u*) Eccli. 28, 28.

(*x*) Psal. 104, 2.

(*y*) Eccli. 22, 33.

(***) Vulgat. *Et super labia mea signaculum certum.*

mors (z) (*). Eademque ipse Christus declarat his verbis: *De sermonibus tuis condemnaberis, & de sermonibus tuis justificaberis* (a) (**). Media quippe stat lingua inter utrumque usum, tu dominus es. Ita & gladius jacet medius; si illo contra inimicos utaris, salutare tibi instrumentum efficitur: sin tibi ipsi vulnus infligas, non ferri natura, sed iniquitas tua cædis causa est. Ita & de lingua cogitemus: gladius est in medio jacens; acue illam ad te de peccatis tuis accusandum, ne fratri tuo vulnus infligas. Ideo illam duplici muro Deus circumvallavit, dentium nempe septo, & labiorum ambitu, né facile, & inconsulte verba non congruentia proferat. Refræna illam intus. Verum si illa non id patitur, dentibus illam castiga, ipsorum ceu carnificum morsui illam tradens: melius quippe est illam nunc peccantem dentibus morderi, quam tunc aridam, & aquæ stillam quærentem, illa consolatione privari. In multis enim sane aliis peccare illa solet, convitiis nempe, blasphemiis, verbis obscœnis, sycophantiis, juramentis, perjuriis. Tom. 2. Catechesi ad illumin. 1. n. 4.

XVII.

Misericordia Dei infinita; proin peccatorum nullus in hac vita desperare debet.

Pœnitentia molesta, & formidabilis est peccatori, etsi sit medela delictorum, consumptio iniquitatum,

---

(z) Prov. 18, 21.
(*) Vulgat. *Mors & vita in manu linguæ.*
(a) Matth. 12, 37.
(**) Vulgat. *Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.*

tatum, effusio lacrymaram, fiducia apud Deum, armatura contra diabolum, gladius ejus caput abscindens, spes salutis, desperationis profligatio. Hæc homini cælum aperit, hæc in paradisum introducit, hæc diabolum superat; ideoque hac de re frequenter sermonem moveo, quod fiduciam inducat ipsum posse prosterni. Peccator es? ne desperes. Non desino vos jugiter hisce medicamentis allinire: etenim novi, quantum contra diabolum sit telum, non desperare. Si in peccatis sis, ne desperes (hæc dicendi nullum finem facio) si quotidie peccas, quotidie poenitentiam age: ut in vetustis ædibus agere solemus, cum enim labefactatæ fuerint, quæ labefactata sunt auferimus, ac nova admovemus, neque usquam ab assidua cura desistimus. Inveteratus es hodie a peccato? renova te ipsum per poenitentiam. Licetne, inquies, per poenitentiam salutem consequi? plane licet. Totam vitam in peccatis contrivi, &, si poenitentiam egero, salvus ero? Prorsus eris. Id unde liquet? ab ipsa Domini tui erga homines benignitate. Num ex poenitentia tua sumo fiduciam? num poenitentia tua potest tot abstergere mala? Sane si poenitentia sola esset, jure timeres: sed quando poenitentiæ tuæ admiscetur Dei clementia: Dei enim clementiæ nulla est mensura, neque ejus bonitas explicari sermone potest. Nam malitia tua quidem mensuram habet; malitia tua, qualiscunque sit, humana est malitia: Dei vero clementia est immensa; confide fore, ut ea tuam vincat malitiam. Cogita, mittis scintillam in pelagus cadentem, num potest illa stare, aut apparere? Quanta est scintilla cum pelago col-

lata, tanta eſt malitia, ſi cum benignitate Dei comparetur; imo vero non tanta, ſed multo major benignitas illa. Pelagus enim, magnum licet ſit, menſuram habet, benignitas vero Dei nullum habet terminum. Hæc dico, non ut vos ſegniores reddam, ſed ut diligentiores efficiam. Tom. 2. hom. 8. *de pœnitent.* p. 341.

XVIII.

Quod quilibet peccator per miſericordiam Dei ſalutem conſequi poſſit, confirmatur exemplis.

Paulus blasphemus erat, & perſecutor, & contumelioſus: quia vero deſudavit, ſpe non decidit, ſed exurrexit par angelis effectus. Judas Apoſtolus erat, ſed pigritans factus eſt proditor. Latro item poſt tantam malitiam, quia de ſpe non lapſus eſt, ante alios paradiſum ingreditur. Phariſæus confidens, ex ipſo virtutis culmine decidit in profundum: Publicanus, quia non deſperavit, ſic erectus eſt, ut illum præveniret. Vis, ut tibi oſtendam, & urbem totam hoc feciſſe? Ninivitarum urbs ſic omnis ſervata eſt: illos certe lata jam ſententia a ſpe depulerat. Non enim dixit, ſi pœnitentiam egerint, ſervabuntur: ſed ſolum: *Tres adhuc dies, & Ninive ſubvertetur* (b). Sed tamen, minitante Deo, & Propheta clamante, ſententia dilationem non habente, neque diſtinctionem, non ceciderunt animis, neque bonas ſpes perdiderunt. Propterea enim diſtinctionem non appoſuit, neque dixit, pœnitentiam ſi egerint, ſervabuntur: quo &

(b) Joan. 3, 4.

& ipsi latam Dei sententiam sine distinctione audientes, neque sic spe cadamus, sed ad illud exemplum respicientes, non desperemus. Neque in eo solum videre est Dei clementiam, quod sententiæ nulla adhibita distinctione, tamen pœnitentibus reconciliatus sit: sed vel ex eo etiam, quod absolute lata sit. Nam augere volens timorem, ingentemque illorum segnitiem tangere, id effecit, ipsumque pœnitentiæ tempus ineffabilem ejus ostendit clementiam. Quomodo enim tres dies effecissent, ut deleretur malitia tanta? Cernis, quod etiam inde Dei providentia appareat? Hæc igitur scientes, spe nunquam cadamus. Neque enim ullum adeo validum est telum diabolo, ac desperatio; idcirco neque tam lætum eum peccantes reddimus, quam desperantes. Tom. 2. hom. 1. *de pœnit.* n. 2.

XIX.

De peccatis dolendum non propter pœnam, sed propter Dei offensam.

Sic nos affecti simus: cum peccaverimus, non doleamus, quia punimur, sed quia Dominum offendimus: & si quod opus bonum nostrum est, non gaudeamus propter regna cœlorum, sed quia rem cœlorum Regi gratam fecimus. Qui enim sanæ mentis est, offensam Dei magis timet, quam ullam gehennam, & placere Deo pluris æstimat, quam ullum regnum. Nec mireris, si erga Deum esse sic affectum oportet; cum erga homines multi sic affecti sint: sæpe enim, qui germanos liberos habemus, si vel inviti eos læserimus, a nobis ipsis pœnas repo-

ſcimus: & erga amicos idem facere ſolemus. Quod ſi amicos aut filios offendere multo gravius putamus, quam pœnas luere, multo magis erga Deum ſic affici decet, & omni gehenna gravius putandum eſt, aliquid feciſſe, quod illi diſpliceat. Talis erat beatus Paulus, propterea dicebat: *Certus ſum, quod neque Angeli, neque Principatus, neque Poteſtates, neque præſentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, nec alia creatura poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Tom. 4. ſerm. de S. Anna. n. 2.

XX.

Vana gloria deſpicienda.

Malorum omnium cauſa eſt vana gloria: quod nempe quis velit nomen ſuum imponi agris, balneis, & ædibus. Quæ tibi hinc utilitas o homo! cum non multo poſt, febri quopiam te corripiente, animaque ſubito evolante, nudus, & vacuus relinquendus ſis? imo virtute quidem nudatus, veſtitus autem injuſtitia, rapinis, avaritia, gemitibus, ejulatibus, lacrymis orphanorum, inſidiis, dolis? Quomodo poteris, grandes, prementesque illas ſarcinas peccatorum ferens, per anguſtam illam portam intrare, quæ capere nequit molem tantæ magnitudinis? neceſſarium itaque erit foris manere, & oneribus illis gravatum fruſtra pænitere, cum jam ante oculos parata videbis tormenta, & ignem illum terribilem, ac nunquam extingendum, vermemque nunquam moriturum. Cæterum ſi quam noſtræ ſalutis habemus rationem, dum adhuc tempus habemus,

mus, desistamus a nequitia, sectemur virtutem, vanam gloriam despiciamus. Nam idcirco vana dicitur, quia inanis est, & nihil habet stabile, neque firmum: sed solum est oculorum deceptio, & priusquam appareat, avolat. Annon & videmus sæpe, eum, quem hodie præcedunt lictores, & stipant satellites, cras in carcerem conjici, & cum malefactoribus versari? Quid hac vana, & inani gloria fallacius? Quod si in hac vita vicissitudinem hanc evadat, omnino mors veniens felicitatem abscindet; & quem hodie in foro magna pompa comitabatur, qui in carcerem conjiciebat, & in solio sedebat, inflabatur, & homines alios quasi umbras descipiebat: is subito postea jacebit mortuus absque spiritu, fœtore plenus, petitus innumeris convitiis, cum ab iis, quos pridem injuria affecit, tum ab iis, quos nunquam læsit, condolentibus tamen iis, qui ab isto injuria affecti fuerant. Quid hoc miserabilius fuerit? Collecta autem omnia sæpe numero inimici, & hostes inter se partiuntur, & distribuunt: peccata autem, per quæ hæc coacervata sunt, homo secum aufert, de quibus diligens, & accurata ratio exigetur. Ideo obsecro, ut fugientes vanam hanc gloriam, veram desideremus, & quæ omnibus duret sæculis: & neque opum amor nos supplantet, neque concupiscentiæ flamma exurat, neque livor, & invidia torqueant, neque furor, & ira nos incendant: sed has omnes malas, & perniciosas affectiones rore spiritus extinguentes, despiciamus præsentia, desideremus futura, in memoria habeamus futurum diem, magnaque diligentia vitam instituamus. Tom. 4. hom. 23. in cap. 6. Genes.

XXI. *Mor-*

XXI.

Mortificatio gulæ, aliarumque passionum homini christiano necessaria.

Neque enim hac de causa in hanc vitam nati sumus, ut solum comedamus, & bibamus: Non vita est propter cibum, & potum, sed propter vitam cibus, & potus. Ne ergo invertamus ordinem, neque sic ventri, & carnis voluptatibus serviamus, quasi eam ob causam facti simus: sed reputantes damnum, quod inde nascitur, castigemus motus carnis; ne simus segnes, nec permittamus illam adversus animam insurgere. Nam si Paulus ille talis, & tantus, qui quasi alatus per totum orbem transcurrebat, corporalibus necessitatibus superior factus, & arcanorum illorum verborum auditor, quæ usque in hunc diem alius audivit nullus, scribens dicebat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans ipse reprobus inveniar* (b). Si igitur ille, qui tanta dignatus est gratia, post tanta, & talia opera, opus habebat, ut castigaret, in servitutem redigeret, ac potestati, dominioque animæ corporis lascivias subjiceret: castigat enim quis quod insurgit, & in servitutem redigit id, quod fræna rejicit; quid dicemus nos, qui omnibus virtutibus destituti, omnibus peccatis onerati sumus, & præterea magnam ignaviam præ nobis ferimus? Num inducias habet hoc bellum? num tempus aggrediendi assignatum? Semper nos vigilare, & sobrios esse oportet, & nunquam in securitate de-

(b) 1. Cor. 9, 27.

degere: quia non est præfinitum tempus, quando nos aggressurus est hostis. Igitur semper nobis cura hæc sit, semper solliciti simus de salute nostra, ut sic nunquam expugnari possimus; & hostiles effugientes insidias misericordiam a Deo assequamur. Ibid.

XXII.

Intentio bona semper elicienda, atque operibus præmittenda.

Bonus enim Dominus non consuevit attendere ad ea, quæ a nobis fiunt, sed ad internam mentem, a qua, ut hæc faciamus, impellimur, & ad hanc spectans, vel approbat ea, quæ a nobis fiunt, vel aversatur. Itaque sive precemur, sive jejunemus, sive eleemosynam faciamus; ipsæ enim sunt spirituales nostræ hostiæ, sive aliud spirituale quoddam opus faciamus, hoc faciamus bona mente incitati: ut & laboribus dignam referamus coronam. Esset enim perabsurdum, laborem nos sustinere, & mercede fraudari, siquidem non secundum leges ab illo nobis datas virtutem exerceamus. Fieri autem potest ob magnam Dei benignitatem, ut opere nondum completo, coronam quis accipiat a sola pia mente. Et ut hoc discas, adverte, obsecro, hoc in eleemosyna. Nam si quando vides jacentem in foro, & extrema inopia detentum, & condoles, ac mente in cœlum sublata gratias agis Domino, tum propter ea, quæ tibi concessa sunt, tum propter inopis patientiam: etiamsi non possis expellere, & sedare illius famem, propter bonum propositum, consummatam

tam recipies mercedem. Et ea de causa Dominus quoque dicebat: *Si quis potum dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* (c) (*) Nam quid poculo aquæ frigidæ tenuius? sed animus pius mercedem inde sibi conciliat: hoc & in opposito inveniemus. Operæ pretium enim est, ut de iis loquamur charitati vestræ, quo vobis hæc accurate scientibus probitatis tutamen comparetis. Audi enim quid dicat Christus: *Qui respicit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* (d) Vides, & hic iterum malam mentem sequi condemnationem, & ob inconsideratum intuitum, quasi completum esset adulterii opus, pœnam inferri? Itaque cum hæc sciamus, undique mentem nostram bene muniamus, ut per eam fiant accepta, quæ facimus. Tom. 4. hom. 27. in cap. 8. Genes. n. 3.

XXIII.

Nunc, cum adhuc tempus habemus, operemur bonum. — Quilibet per sua bona opera cum gratia Dei salutem consequi debet.

Transit enim figura mundi hujus, (e) & brevis est vita præsens: & nisi nunc, cum adhuc in stadio sumus, labores virtutum aggrediamur, & laqueos malitiæ effugiamus, postea in vanum nosmetipsos reprehendemus, quando nulla erit pœni-

(c) Matth. 10, 42.

(*) Vulgat. *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ &c.*

(d) Matth. 5, 28. (e) 1. Cor. 7. 31.

pœnitentiæ utilitas. Nam quamdiu in præsenti vita fuerimus, possumus inde pœnitentes lucrum accipere, & ablutis prioribus peccatis misericordiam Domini assequi. Quodsi præterierimus tempus præsens, repenteque abrepti fuerimus: pœnitentia quidem tunc ducemur, nullam autem utilitatem inde capiemus. Quod ut discas, audi Prophetam dicentem: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* (*f*) & iterum: *Frater non redimit, redimet homo?* (g) Nullus, inquit, erit illic postea, qui eripiat eum, quem sua desidia perdiderit: neque si frater fuerit, neque si pater, neque si mater. Et quid dico, frater, pater, & mater? neque justi, quibus tanta apud Deum fiducia est, poterunt nobis tunc aliquid prodesse, si nunc desides fuerimus. Dicit enim: *Si steterint coram me Noë, & Job, & Daniel, filios suos, & filias non eripient* (*h*) (*). Et vide minarum gravitatem, qualesque justos in medium adduxerit. Quoniam illi suis temporibus etiam aliis salutis causa fuerunt. Noë enim, cum terribilis illa diluvii tempestas terram occupasset, & uxorem, & filios servavit: & Job similiter aliis salutis auctor fuit: Daniel quoque multos eripuit a morte, quando barbarus ille exquirebat, quæ supra humanam sunt naturam, & interimere volebat Chaldæos, & Magos, atque Garazenos.

Et

(*f*) Psal. 6, 6. (g) Psal. 48, 8.
(*h*) Ezech. 14, 20.
(*) Vulgat. *Et si Noë, & Daniel, & Job fuerint in medio ejus: vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium, & filiam non liberabunt: sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas.*

Et ne putemus, in futuro sæculo fore talia, ut ii, qui virtute præditi sunt, & fiduciam habent in Deum, alios, qui hic negligenter vixerunt, necessarios suos liberare illic a supplicio possint: propterea adduxit nobis justos illos, terrorem nobis inferens, & docens in propriis bonis operibus, cum superna gratia, spem salutis nostræ habendam, & non in progenitorum virtutibus; neque in alio quopiam superbiendum, vel confidendum, si nos in peccatis esse non desinimus, sed hoc unum curandum, ut si parentes habuerimus virtute claros, imitemur eorum virtutem: & si e diverso accidat, & ex improbis simus parentibus, non putandum nobis aliquid accidere nocumenti, dummodo exerceamur ad virtutum labores: nullum enim hinc nobis damnum erit. Nam unusquisque per ea vel coronatur, vel condemnatur, quæ ipse gessit, quemadmodum & beatus Paulus inquit: *Ut reportet unusquisque ea, quæ per corpus fiunt, juxta id quod fecit, sive bonum, sive malum* (*i*) (*). Et iterum: *Qui reddet unicuique juxta opera sua* (*k*) (**). Quæ omnia cum sciamus, excussa omni negligentia, virtutis maximam habeamus rationem. Et cum adhuc in stadio sumus, & certandi tempus est, priusquam dissolvatur spectaculum, solliciti simus de nostra salute, ut in brevi isto tempore virtutes exercendo, in illo sæculo

(*i*) 2. Cor. 5, 10.

(*) Vulgat. *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

(*k*) Rom. 2, 6.

(**) Vulgat. *Secundum opera ejus.*

lo perpetuo illarum mercedes recipiamus. Tom. 4. hom. 43. in cap. 19. Genes.

XXIV.

Explanatio Textus : Si quis vult &c. — Abnegare semetipsum quid sit.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me . . . (l) sive mulier, sive vir, sive princeps, sive subditus hanc ingrediatur viam.

Videturque unum tantum dixisse, sed tria proponit, abnegare semetipsum, tollere crucem suam, & ipsum sequi ; duo autem conjuncta sunt, tertium solum proponitur. Sed primo videamus, quid sit abnegare semetipsum. Prius discamus, quid sit abnegare alterum, & tunc sciemus, quid sit abnegare semetipsum. Qui abnegat alterum, sive fratrem, sive servum, sive alium quempiam, etsi flagellatum viderit, etsi vinctum, etsi ad mortem abductum, etsi quidvis aliud patientem, non adest, non auxiliatur, non animo frangitur, non ejus causa patitur, utpote quasi ab eo alienatus sit. Sic itaque vult nos nullo modo corpori parcere ; ut sive flagellent, sive pellant, sive urant, sive aliud quidvis faciant, non nobis parcamus. Illud enim est parcere. Nam etiam patres filiis tunc maxime parcunt, cum, magistris tradentes, mandant, ne parcant eis. Ita & Christus, non dixit, ne parcat sibi, sed, quod gravius est, abneget semetipsum;

(l) Matth. 16, 24.

ipsum; id est, nihil cum seipso commune habeat, sed periculis se dedat, & certaminibus, atque ita sit affectus, ac si alius id pateretur. Nec dixit, neget, sed abneget, hoc parvo additamento vim magnam dictioni affert: nam abnegare multo plus est, quam negare. Tom. 7. hom. 55. alias 56. in Matth. n. 1.

XXV.

Tollere crucem suam quid sit.

Et tollat crucem suam. Hoc ex illo sequitur. Ne putes enim ad verba usque tantum, & contumelias, & opprobria abnegare seipsum oportere: dicit quousque abnegare seipsum oporteat; id est, usque ad mortem, & mortem turpissimam. Idcirco non dixit, abneget semetipsum usque ad mortem, sed, *tollat crucem suam*, turpissimam mortem declarans: & quod non semel, aut bis, sed per totam vitam id faciendum sit. Perpetuo, inquit, hanc mortem circumferas, & quotidie ad necem paratus sis. Quia enim multi opes contempserunt, & voluptatem, & gloriam; mortem vero non spreverunt, at timuerunt pericula; Ego, inquit, athletam meum volo ad mortem usque pugnare, & certamina ad sanguinem usque peragi. Itaque si mortem obire oporteat, & mortem turpissimam, mortemque execrandam, etiamsi pro prava quadam suspicione, omnia oportet fortiter ferre, & ideo maxime exultare. Ibid. n. 2.

XXVI.
Christum sequi quid sit.

Et sequatur me. Quia enim fieri potest, ut, qui patitur, non sequatur Christum, cum non patitur propter ipsum; nam latrones sepulchrorum expilatores, & præstigiatores multa, & graviora patiuntur. Ne vero putes sufficere ipsam malorum naturam, causam malorum addit. Quænam illa est? ut hæc agens, & patiens ipsum sequaris; ut propter ipsum omnia patiaris, & reliquas virtutes obtineas. Nam id significavit illud, *sequatur me;* ita ut non modo fortitudinem in ærumnis, sed & continentiam, æquitatem, omnemque philosophiam exhibeas. Illud enim est, ut oportet, sequi, & alias curare virtutes, & propter ipsum omnia pati. Sunt enim, qui diabolum sequuntur, & hæc patiuntur, & propter illum animas suas produnt. Sed nos propter Christum patiamur, immo propter nos ipsos. Illi ut sibi ipsis, & hic, & illic noceant; nos ut utramque vitam lucremur. Quomodo ergo non summæ fuerit ignaviæ, non tantam fortitudinem exhibere, quantam ii, qui pereunt, exhibent; & quidem cum tot coronis donari debeamus? Atqui nobis adest Christus auxiliator, illis nemo. Hoc porro præceptum mandavit, cum misit eos dicens: *In viam gentium ne abieritis.* (m) *Mitto enim vos sicut oves inter lupos, & ad præsides, & ad reges ducemini.* (n) Nunc autem illud gravius, & acrius expressit. Tunc enim mortem tan-

(m) Matth. 10, 5.
(n) Luc. 10, 3.

tantum dicebat, hic vero etiam crucis mentionem fecit, & crucis perpetuæ; nam ait, *Tollat crucem suam*, id est, ferat semper, & portet. (o) Illud porro facere solebat ubique, non ab initio, & exordio, sed sensim, & paulatim majora præcepta inducens, ne auditores rei gravitate turbarentur. Deinde, quia id, quod dictum fuerat, durum esse videbatur, in sequentibus lenit illud, ponitque præmia sudores superantia; neque præmia tantum, sed & nequitiæ supplicia. Ibid.

XXVII.

Custodia oculorum servanda. — Aspectus venustarum formarum pericula affert, & damna.

Qui respexerit mulierem, ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo; (p) id est, qui solet venusta corpora curiosius intueri, faciesque formosas venari, & hoc spectaculo animum pascere, oculosque defigere in formosos vultus. Non enim corpus tantum venit a malis actibus liberare, sed & animam ante corpus. Quia enim in corde Spiritus gratiam accipimus, cor primum expurgat. Et quomodo possumus, inquies, a concupiscentia liberari? Maxime quidem, si velimus, possumus eam extinguere, &, ne erumpat, continere. Alioquin autem hic non modo concupiscentiam tollit; sed etiam illam concupiscentiam, quæ ex aspectu prodit. Nam qui formosas intueri facies studet, ille præcipue vitii fornacem accendit, animamque captivam efficit,

(o) Matth. 16, 24. (p) Matth. 5, 28.

efficit, & cito ad opus quoque accedet. Propterea non dixit, qui concupierit mœchari, ſed qui reſpexerit ad concupiſcendum. Et cum de ira loqueretur, diſtinctionem quamdam poſuit, *temere*, vel *ſine cauſa* dicendo. Hic vero non ita, ſed ſemel totam concupiſcentiam ſuſtulit. Etiamſi hæc ambo innata nobis ſint, & utiliter utraque nobis inſint, ira nempe, & concupiſcentia; illa ut improbos puniamus, & incompoſitos emendemus: hæc ut liberos ſuſcipiamus, & genus noſtrum ſucceſſione propagetur.

Cur ergo non hic etiam diſtinctionem poſuit? Maximam certe, ſi attendas, hic diſtinctionem percipies. Non enim ſimpliciter dixit, qui concupiverit; poteſt enim quivis etiam in montibus ſedem habens, concupiſcere: ſed, qui reſpexerit ad concupiſcendum, id eſt, qui ſibi ipſi concupiſcentiam accerſit, qui nemine cogente feram illam in ſedatum animum immittit. Illud enim non jam ex natura proficiſcitur, ſed ex deſidia. Hoc quippe in veteri lege jam olim vetitum fuit, quæ ſic habet: *Noli diſcere pulchritudinem alienam.* (q) (*) Deinde ne quis diceret: Quid ergo, ſi didicero, & non capiar? Cohibet aſpectum, ne hac fidenter uſus licentia, in peccatum aliquando incidas. Quid igitur, ſi videam, & concupiſcam, nihilque mali agam? Etiam ſic cum mœchis numeraris. Sententiam tulit legislator, neque debes ultra curioſe inquirere.

(q) Eccli. 9, 8.

(*) Vulgat. *Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam.*

Cum enim ſemel aut bis aut ter ſic reſpexeris, te forte poteris continere, ſi vero frequenter id facias, & fornacem accendas, profecto capieris. Non enim extra humanam ſitus es naturam. Quemadmodum ergo nos, cum puerum videmus gladium tenentem, etiamſi nondum vulneratum cernamus, verberamus tunc, prohibemusque, ne ſic unquam attingat; ſic quoque Deus impudicum aſpectum ante opus tollit, ne forte in opus ipſum incidamus. Nam qui ſemel flammam accendit, etiam abſente illa, quam reſpexit, muliere, rerum turpium imagines ſibi ipſi frequenter fingit, & ex ipſis imaginibus in opus ſæpe deducitur. Ideoque Chriſtus etiam illum, qui in animo figitur, coitum de medio tollit. Tom. 7. hom. 17. in Matth.

XXVIII.

Crucis efformatio contra inſultus diabolicos, & omnia mala efficaciſſimum remedium. — Jam tempore S. Chryſoſtomi; Crux ubique depingi ſolebat. — Signum crucis in facie digito efformabatur. — Signi Crucis vis mirabilis.

Crucem Chriſti quaſi coronam circumferamus: per eam enim omnia, quæ ad nos ſpectant, perficiuntur. Si regenerari oporteat, crux adeſt; ſi myſtico illo cibo nutriri, ſi ordinari, & ſi quidvis aliud faciendum, ubique nobis adeſt hoc victoriæ ſymbolum. Idcirco & domi, & in parietibus, & in feneſtris, & in fronte, & in mente illam cum multo ſtudio depingimus.

Hoc

Hoc quippe ſignum eſt noſtræ ſalutis, communis libertatis, & manſuetudinis Domini: *Sicut ovis enim ad occiſionem ductus eſt.* (r) Cum igitur te ſignas, totum crucis argumentum cogita, extingue iram, omnesque pravos affectus. Cum te ſignas, multa fiducia frontem tuam reple, liberam facito animam. Scitis plane, quænam ſint, quæ libertatem nobis pariant. Ideo Paulus ad id nos cohortans, hoc eſt, ad libertatem nobis congruentem, crucis, & ſanguinis Dominici mentione facta, ſic habet: *Pretio*, inquit, *empti eſtis, ne ſitis ſervi hominum* (s) (*). Cogita, inquit, pretium pro te numeratum, atque nullius hominis eris ſervus: pretium vero crucem vocat.

Neque enim ſimpliciter illam digito efformare oportet; ſed prius voluntate, & multa fide. Si hoc modo illam in facie tua depinxeris, nullus impurorum dæmonum contra te ſtare poterit, cum enſem videat, quo vulnus accepit, cum gladium videat, quo lethali plaga perfoſſus eſt. Si nos enim loca videntes, ubi rei cæduntur, perhorreſcimus, cogita, quid paſſuri ſint diabolus, & dæmones, telum illud videntes, quo Chriſtus totam illorum potentiam ſolvit, draconisque caput abſcidit. Ne itaque te pudeat tanti accepti boni; ne Chriſtum tui pudeat: quando veniet cum gloria ſua, & hoc ſignum ante Chriſtum videbitur ipſis ſolaribus radiis ſplendidius.

(r) Iſai. 53, 7. & Act. 8, 32.
(s) 1. Cor. 6, 20.
(*) Vulgat. *Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.*

Tunc enim crux veniet, conspectu suo vocem emittens, & adversus orbem totum, causam Domini defendens, ostendensque, nihil ex ejus parte defuisse.

Hoc signum, & majorum nostrorum tempore, & ævo nostro, clausas aperuit januas; hoc signum venenata pharmaca extinxit: hoc cicutæ vim solvit, hoc venenatarum ferarum morsus curavit. Nam si portas inferorum aperuit, si cœlorum ostia reseravit, & paradisi renovavit ingressum, si diaboli nervos rescidit, quid mirum, si lethifera pharmaca, feras, aliaque hujusmodi superaverit? Hoc ergo in mente tua insculpe, & animarum nostrarum salutem amplectere. Hæc quippe crux orbem servavit, & convertit; errorem expulit, & veritatem induxit: terram cœlum effecit, ac homines Angelos reddidit. Vi crucis dæmones non ultra formidandi, sed despiciendi sunt, neque mors mors est, sed somnus: per crucem, quæ nobis adversabantur, omnia humi dejecta conculcantur. Si quis ergo dicat tibi, crucifixumne adoras? Læta voce, hilari vultu responde, adoro, nec adorandi finem faciam. Si rideat, de ejus insania lachrymas funde. Gratias age Domino de tantis beneficiis, quæ sine cœlesti revelatione ne discere quidem quis possit. Ideo namque hic ridet, quia *animalis homo non percipit ea, quæ Spiritus sunt* (*) (*t*). Nam & pueri sic solent affici, cum magna quædam, & mirabilia viderint: si infantem

(*) Vulgat. *quæ sunt Spiritus Dei.*

(*t*) 1. Cor. 2, 14.

tem ad myſterium introduxeris, ridebit. His pueris ſimiles ſunt gentiles; immo his quoque pares ſunt imperfectiores. Tom. 7. hom. 54. alias 55. in Matth. n. 4.

XXIX.

Chriſtianus ſe talem eſſe operibus oſtendat, præſertim in eccleſia, & ſacrificio miſſæ. — Ubique locorum quis ſalvari, & damnari poteſt. — Verba Liturgiæ. — In Eccleſia, præſertim durante ſacrificio Miſſæ, ſumma cum devotione comparendum.

Quemadmodum nihil prodeſt iis, qui ſeminant, ſi juxta viam ſemina jaciant: ita neque nobis quidquam proderit, ſi chriſtiani dicamur, niſi, quæ appellationi noſtræ conveniant, opera præſtemus. Ejus rei, ſi placet, adhibebo fide dignum teſtem fratrem Dei Jacobum, dicentem: *Fides ſine operibus mortua eſt.* (u) Ergo ubique opus eſt mandatorum operatione. Nam illa abſente neque chriſtiani nominis appellatio nobis prodeſſe poterit. Et ne mireris. Quid enim, dic mihi, lucri habet miles, quando in exercitu eſt, niſi militia dignus ſit, & pro rege, a quo alitur, militet? Forte autem, tametſi terribile eſt, quod dicitur, melius ei erat, non militare, quam in militia curam, & honorem regis negligere. Qui enim fieri poteſt, ut non puniatur is, qui a rege nutritur, & pro rege non certat? Quid autem dico pro rege? Utinam etiam pro noſtris animabus curam gereremus.

(u) Jacob. 2, 17.

Et, quomodo, ais, possibile est in mundo, & medio hominum sic versantem salvari? Quid dicis homo? Vis breviter ostendam, non esse locum, qui salvet, sed mores, & voluntatem? Adam in paradiso, ut in portu naufragium fecit. Loth in Sodomis, sicut in pelago servatus est. Job in stercore justificatus est. Saul ille in thesauris versans, regno præsenti, & futuro excidit. Non est defensio, quod dicis, te non posse etiam in mundo versantem in medio negotiorum salvari. Sed hæc gravia unde accidunt? Quia alii divinis precibus, alii conventibus frequentes non adestis. An non videtis eos, qui volunt dignitatem a terreno rege accipere, quomodo assident, quomodo alios ad patrocinandum incitant, ut potiantur eo, quod quærunt? Hæc ego dixerim ad eos, qui divinas collectas relinquunt, & sub horam terribilis mysticæ mensæ colloquiis, & vanis sermocinationibus occupati sunt.

Quid facis homo? Non promisisti Sacerdoti, qui dixit: *Sursum mentem, & corda*, & dixisti, *habemus ad Dominum?* Non revereris, & erubescis, quod illa ipsa hora mendax inveniaris?

Papæ! mensa mystica parata est, & agnus Dei pro te immolatur; Sacerdos pro te angitur, ignis spiritualis ex sacra mensa erumpit: Cherubim adstant, Seraphim advolant, & Spiritus sex alas habentes faciem tegunt, omnes incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt: ignis spiritualis e cœlo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere effusus est: & non erubescis, & revereris? nec te pudet,

pudet, in illa tremenda hora mendacem te deprehendi? Centum sexaginta octo horas habente hebdomada, unam & solam horam sibi ipsi segregavit Deus, & hanc in opera sæcularia, & in ridicula, & in vana colloquia insumis? . . . Oro vos, & obsecro, ne absimus ab Ecclesiis, neque ibi colloquiis, & garrulitati vacemus. Stemus trementes, & timidi, demissis oculis, elevata autem anima, gementes sine voce, jubilantes corde. An non videtis eos, qui sensibili, corruptibili, temporali, & terreno regi assistunt, quam sint immobiles, non loquentes, non oculos huc, & illuc mittentes, sed mœsti, demissi, pertimescentes? Ex ipsis documentum accipite o homines! & sic assistite Deo, quasi ad terrenum regem accessuri. Multo magis cœlesti regi cum timore adstare oportet. Tom. 2. hom. 9. de Pœnit.

XXX.

In eroganda eleemosyna non est perquirenda pauperum vita.

Magnam Deus rationem habet de misericordia, non de sua tantum erga nos, sed de nostra etiam in conservos: qua de re multas, & in veteri, & in novo Testamento leges constituit, hominem jubens, & verbis, & pecuniis, & operibus benignum esse. Hac de re passim Moyses in legibus sermonem inserit; hoc ex persona Dei Prophetæ clamant: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* (x) Apostoli quoque iis consona, & faciunt,

(x) Osee 6, 6.

Et, quomodo, ais, poſſibile eſt in mundo, & medio hominum ſic verſantem ſalvari? Quid dicis homo? Vis breviter oſtendam, non eſſe locum, qui ſalvet, ſed mores, & voluntatem? Adam in paradiſo, ut in portu naufragium fecit. Loth in Sodomis, ſicut in pelago ſervatus eſt. Job in ſtercore juſtificatus eſt. Saul ille in theſauris verſans, regno præſenti, & futuro excidit. Non eſt defenſio, quod dicis, te non poſſe etiam in mundo verſantem in medio negotiorum ſalvari. Sed hæc gravia unde accidunt? Quia alii divinis precibus, alii conventibus frequentes non adeſtis. An non videtis eos, qui volunt dignitatem a terreno rege accipere, quomodo aſſident, quomodo alios ad patrocinandum incitant, ut potiantur eo, quod quærunt? Hæc ego dixerim ad eos, qui divinas collectas relinquunt, & ſub horam terribilis myſticæ menſæ colloquiis, & vanis ſermocinationibus occupati ſunt.

Quid facis homo? Non promiſiſti Sacerdoti, qui dixit: *Surſum mentem, & corda*, & dixiſti, *habemus ad Dominum?* Non revereris, & erubeſcis, quod illa ipſa hora mendax inveniaris?

Papæ! menſa myſtica parata eſt, & agnus Dei pro te immolatur; Sacerdos pro te angitur, ignis ſpiritualis ex ſacra menſa erumpit: Cherubim adſtant, Seraphim advolant, & Spiritus ſex alas habentes faciem tegunt, omnes incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt: ignis ſpiritualis e cœlo deſcendit, ſanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere effuſus eſt: & non erubeſcis, & revereris? nec te pudet,

pudet, in illa tremenda hora mendacem te deprehendi? Centum sexaginta octo horas habente hebdomada, unam & solam horam sibi ipsi segregavit Deus, & hanc in opera sæcularia, & in ridicula, & in vana colloquia insumis? . . . Oro vos, & obsecro, ne absimus ab Ecclesiis, neque ibi colloquiis, & garrulitati vacemus. Stemus trementes, & timidi, demissis oculis, elevata autem anima, gementes sine voce, jubilantes corde. An non videtis eos, qui sensibili, corruptibili, temporali, & terreno regi assistunt, quam sint immobiles, non loquentes, non oculos huc, & illuc mittentes, sed mœsti, demissi, pertimescentes? Ex ipsis documentum accipite o homines! & sic assistite Deo, quasi ad terrenum regem accessuri. Multo magis cœlesti regi cum timore adstare oportet. Tom. 2. hom. 9. de Pœnit.

XXX.

In eroganda eleemosyna non est perquirenda pauperum vita.

Magnam Deus rationem habet de misericordia, non de sua tantum erga nos, sed de nostra etiam in conservos: qua de re multas, & in veteri, & in novo Testamento leges constituit, hominem jubens, & verbis, & pecuniis, & operibus benignum esse. Hac de re passim Moyses in legibus sermonem inserit; hoc ex persona Dei Prophetæ clamant: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* (x) Apostoli quoque iis consona, & faciunt,

(x) Osee 6, 6.

faciunt, & dicunt. (y) Ne itaque rem illam negligamus: non enim pauperibus tantum, sed nobis ipsis maxime prosumus, majoraque accipimus, quam præbemus. Hæc non sine causa nunc dico; sed quia plerique egenos curiose interrogant, inquirunt patriam, vitam, mores, artem, corporis valetudinem: accusationes intentant, & sexcentas de sanitate rationes repetunt. Ideoque multi corporis mutilationes simulant, ut fictæ calamitatis artificio crudelitatem, inhumanitatemque nostram flectere valeant. Et æstate quidem taliter criminari, grave licet sit, non usque adeo tunc grave est: hyeme vero urgente frigore ita se inhumanum, & ferum præstare judicem, veniamque nullam otiosis concedere, an non summæ crudelitatis fuerit? Cur itaque Paulus, dicet aliquis, Thessalonicensibus hanc legem ferebat: *Si quis non vult laborare* (*), *nec manducet?* (z) Ut & tu hæc audias, & non ipsum tantum: sed te quoque hisce Pauli verbis compellas. Pauli quippe leges non pauperibus tantum, sed & nobis positæ sunt. Dicam aliquid onerosum, & molestum; scio fore, ut vos succenseatis, attamen dicam: non enim, ut offendam, sed ut emendem, dico. Illis otium objicimus, rem sæpe venia dignam: nos autem ea perpetramus, quæ otio longe graviora sunt. At ego, inquies, paternam hæreditatem habeo. An ergo, dic mihi, quia ille pauper est, & ex pauperibus ortus, nec opulentos majores habuit, dignus

(y) Matth. 9, 13.
(*) Vulgat. *Operari.*
(z) 2. Thess. 3, 10.

dignus est, qui pereat? Profecto ea ipsa de causa commiseratione, & misericordia apud divites dignus fuerit. Tu quidem sæpe diem in theatris transigens, vel in consessibus, colloquiisque, ex quibus nihil accedit lucri, multis obloqueris, nihilque mali te facere, nec otiosum esse putas: hunc vero miserum, & ærumnosum, qui in precibus, lachrymis, milleque ærumnis toto die versatur, damnas, ad tribunal trahis, de eoque rationes exposcis? Hæccine, quæso, humani sunt animi? Igitur quando dicis, quid dicemus Paulo, tu ea ipse tibi, non pauperibus dicito. Alioquin vero, ne minas ejus tantum legas, sed & veniam quoque: nam qui dicit: *Si quis non laborat, nec manducet* (*), adjecit: *Vos autem fratres, nolite deficere bene facientes* . . . . (a) Deus ita diligenter nos scrutatur, ut ipsi nos propter causam pauperum nullam non veniam, vel misericordiam consequamur: *In quo enim judicio,* inquit, *judicabitis* (**), *judicabimini.* (b) Esto igitur benignus, humanusque conservo: multaque peccata dimitte, ac misericordiam exerce, ut & ipse talem impetres sententiam . . . Deus mercedem nobis perfectam se daturum pollicitus est, sive mali, sive boni sint ii, qui accipiunt. Et unde hoc liquet, inquies, quod sive bonis, sive malis dederimus, mercedem accepturi simus? Eo quod ipse dixerit: *Orate pro insectantibus, & calumniantibus vos, ut sitis similes patris vestri,*

(*) Vulgat. *Si quis non vult operari &c.*

(a) 2. Thess. 3, 13.

(**) Vulgat. *judicaveritis.*

(b) Matth. 7, 2.

vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos: & pluit super justos, & injustos (c) (*). Quemadmodum ergo Dominus tuus, cum innumeri ipsum blasphement, innumeri fornicentur, furentur, latrocinentur, sepulchra effodiant, infinita mala perpetrent, a suis erga omnes beneficiis non absistit, sed communes radios, communes imbres, & fructus terræ profert, suam exhibens erga homines beneficentiam: sic & tu facito, & cum tempus misericordiæ, humanitatisque exhibendæ adfuerit, pauperes fove, famem seda, ab ærumnis libera, nihil ulterius scrutare. Tom. 3. de Eleemosyna pag. 257.

XXXI.

Eleemosyna etiam indignis danda.

Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. (d) Quid est *in benedictionibus?* cum magna largitate. Hic quidem in rebus sæcularibus tam messis quam sementis eorundem est seminum: nam qui serit triticum, aut hordeum seminat, aut aliquid simile; & qui metit, idipsum metit. At in eleemosyna non idem usuvenit, sed spargis argentum, & colligis fiduciam erga Deum: das pecuniam, & accipis remissionem

---

(c) Matth. 5, 44.

(*) Vulgat. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est: qui &c.*

(d) 2. Cor. 9, 6.

nem peccatorum: præbes panem, ac vestem, & pro his regnum cœlorum tibi paratur, bonaque illa infinita, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: & quod est omnium bonorum summa, similis efficeris Deo, quatenus id homini est possibile. Nam cum de eleemosyna, & benignitate disseruisset Christus, subjunxit: *ut efficiamini similes patri vestro cælesti* (*), *qui solem suum oriri jubet super malos, & bonos, & pluit super justos, ac injustos.* (e) Tu non potes oriri jubere solem, neque imbres immittere, neque beneficus esse in orbem terrarum, tam longe lateque patentem; utere facultatibus tuis ad beneficentiam, & factus es similis ei, qui solem suum oriri jubet, in quantum hominem Deo similem fieri licet.

Animadvertite diligenter, quæ dico: *Super bonos, & malos*, inquit. Ergo tu quoque quoties eleemosynam facis, ne vitam examines, neque morum rationem reposcas. Eleemosyna enim, hoc est, miseratio ideo dicitur, ut etiam indignis præbeamus; qui enim miseratur, non recte viventem, sed peccantem miseratur: nam, qui recte vivit, laude est dignus, & corona, qui vero peccat, venia, & misericordia. Quapropter hac quoque parte Deum imitabimur, si etiam malis benignitatem nostram non subducamus. Considera enim, quam multi orbem terrarum habitent blasphemi, scelerati, præstigiatores,

---

(*) Vulgat. *Ut sitis filii patris vestri, qui in cælis est: qui &c.*

(e) Matth. 5, 45.

tores, omnibus vitiis referti, attamen hos quoque per singulos dies enutrit Deus, docens nos, ut universos homines beneficentia complectamur. Nos vero omnia contrario modo facimus: non solum enim malos, & improbos homines aversamur; verum etiam, cum sanus quispiam nos adit, aut propter probitatem, aut propter libertatem, forte etiam propter pigritiam, ut & hoc addam, in paupertate vivens: probra, contumelias, & innumera in eum jaculati dicteria, vacuis ipsum manibus remittimus, valetudinem exprobrantes, otium objicientes, pœnas reposcentes. Hoccine jussus es, o homo, objurgare tantum, ac increpare egenos? Miserari, ac sublevare paupertatem eorum jussit Deus, non rationem reposcere, ac convitiari. Sed vis illius mores corrigere, & hominem inertem a segnitie sua revocatum ad opus aliquod applicare? Da prius, ac tum demum increpa, ut non crudelitatis suspectus fias, sed benignitatis laudem reportes. Eum enim, qui nihil dans tantum exprobrat, aversatur pauper, & inique fert, ac ne aspicere quidem sustinet, & merito. Putat enim, non quod bene sibi velit, sed quod dare nolit, objurgatorem eum esse; ita ut revera est; qui vero posteaquam dedit, objurgat, facit ut libenti animo objurgatio sua recipiatur: eo quod non propter inhumanitatem, sed propter benevolentiam increpationem adhibere videatur. Sic etiam Paulus fecit, cum enim dixisset: *Qui non vult operari, ne edat* (*) (*f*): adjungit exhortatio-

(*) Vulgat. *Si quis non vult operari, non manducet.*
(*f*) 2. Theff. 3, 10.

tationem dicens : *Vos autem bonum facientes ne deficiatis* (*). Atqui hæc præcepta contraria esse videntur. Si enim otiosos non oportet cibos capere, quomodo jubes bene talibus facere? Sed non sunt contraria : absit. Ideo enim hoc dixi, inquit : *qui non vult operari*, *ne edat*, non ut eos, qui alioquin largituri erant, averterem a danda eleemosyna, sed ut in otio viventes a segnitie sua revocarem. Itaque cum dicit, *ne edat*, illos exstimulat ad laborem, comminatione hac territos : cum vero dicit, *bonum facientes ne deficiatis*, hos excitat ad beneficentiam, utili exhortatione impulsos. Ne enim quidam retraherent manus, audientes, qua illi comminatione feriantur, ad beneficentiam his verbis illos provocat : *Bonum faciendo ne deficiatis.* Itaque etiamsi otioso des, bonum fecisti . . . .

Hæc igitur scientes, non respiciamus sumptum, quando eleemosynam facimus, sed eum, qui inde speratur, proventum, immo etiam præsens lucrum : non solum enim regnum cœlorum eleemosyna procurat, sed in præsenti etiam vita securitatem affert, & abundantiam. Quis hæc pollicitus est? Ipse, qui præstare potest, Dominus. Dicit enim : *qui sua pauperibus largitur, centuplum accipiet in hoc sæculo, & vitæ æternæ hæreditatem habebit.* (g) (**) Vides, retributionem in utra-

(*) Vulgat. *Vos autem fratres, nolite deficere benefacientes. Segnes revocat ab otio Paulus.*

(g) Matth. 19, 29.

(**) Vulgat. *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

utraque vita cum magno fœnore recipiendam? Ne igitur cessemus, neque procrastinemur, sed per singulos dies eleemosynæ fructum percipiamus, ut & in præsenti sæculo rebus secundis fruamur, & futuram vitam consequamur: quæ nobis omnibus contingat gratia, & benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri una cum Spiritu sancto gloria, honor, imperium in sæcula sæculorum, Amen.

INDEX

INDEX RERUM.

Ava-

B.

C.

Cælum

Con-

Cor-

Crux,

Deus,

E.

Elec-

F.

G.

H.

Humi-

I.

Infer-

Judi-

M.

N.

O.

P.

Paſſio-

Pecca-

Pœni-

Proxi-

Q.

R.

S.

S.